

CHRONIQUE

D'ADRIEN DE BUT,

COMPLÉTÉE PAR

LES ADDITIONS DU MÊME AUTEUR.

---

1451.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XXXI<sup>o</sup>, Philippus dux Burgundiae, convocatis apud Insulis cunctis nobilibus et fratribus ordinis de Aureo Vellere quem nuper instituerat, certos articulos et puncta varia semper et in perpetuum observanda posteris illius ordinis sigillo suo confirmavit, tam pro se quam pro suis successoribus. Unde celebrata ibidem curia militum illius ordinis, cujus ipse primus omnium de triginta praecedens in armis, omnes subsequuti sunt ordine tali : Dominus Guillelmus de Vienne, dominus Reynerus Pot, dominus Johannes de Roubays, dominus Rolandus de Huuckerke, dominus Anthonius de Vergy, comes Dampmartini, dominus David de Brimeu, dominus Hugo de Lannoy, dominus Johannes de Commines, dominus Anthonius de Tholonjon, marescallus Burgundiae, dominus Petrus de Lucemburch, comes Sancti-Pauli, de Conversan et de Brienna, dominus d'Engheen, dominus Johannes de La Tremouille, dominus Gilbertus de Lannoy, dominus Johannes de Lucembourch, comes de Lengy, dominus de Boham, dominus Johannes de Villers, dominus de l'Isle-Adam, dominus Anthonius de Croy et de Renty, dominus Florimondus de Brimeu, dominus Robertus Massemine, dominus Jacobus Brimeu, dominus Balduinus

de Lannoy, dominus Petrus de Bessroimont, comes de Charny, dominus Philippus Ternant, dominus Johannes de Croy, dominus Johannes de Créki. Ceteros ejusdem ordinis milites ad complendum numerum sibi usque ad sequens capitulum reservavit. Creati fuerunt heraldi novi per eundem ducem. Sed quaerere multi solent unde sit heraldi nomen, quis primus instituit et quod officii genus hoc hominum inter mortales habeat. Quae res aliquando mihi dubia, sed cupienti plura noscere, ut moris est humano ingenio, venit in manus hystoria ante annos sexcentos, ut signatum erat, conscripta, quae si vera est et meae et aliorum potuit sufficere cupiditati. Auctor hystoriae Thucidides Graecus annotatus erat, quem fama celebrem clarumque fuisse retulit; translatoris autem nomen non inveni. Constat tamen peritum fuisse illum, qui magnum et facundissimum auctorem illum latinae linguae non minorem quam graecus est, reddidit. Non teneo verba ut contexta erant, sed memini sententiae ad hunc ferme tenorem scriptae. Heraldus sunt qui apud majores nostros heroes vocabantur, quos majores hominibus, minores diis fuisse tradunt. Nam quem conspicuum rebus gestis clarumque et insignem videbant, hunc et virtute sublimem deorum coetui colligebant, si modo miracula stabant quibus aut aliquid supra naturam aut infra mirabiliter operatum constaret, unde virtutibus admirabilis videbatur. Hunc neque hominem, neque deum fas appellare putabant, sed medium inter utrumque sortiti vocabulum heroem vocitabant: quasi semi-deum. Sic heroes introducti, a quibus corrupti sunt heraldi. Illos autem instituit primus Dyonisius qui etiam primus armatus Indiam invasit; ac Indos et agrestes illos corticibus arborum et crudis ferarum carnibus utentes, in urbes legit, boves aratro jungere, frumenta serere, deos colere, nutrire comam, mitram ferre et unguentorum docuit unctiones efficere; fuitque eis vini dator sicut et Graecis, armavitque eos armis martialibus et ad usum vitae cultiores crexit. Quibus compositis, cum vellet abire, atque alias intrare regiones, fuerunt in ejus comitatu quam plurimi, jam senio confecti et assiduis triti laboribus, qui nec remanere volebant sine rege, nec ducem sequi volebant, recessurumque ducem obsecrabant, ut miseretur eorum, ad quos Liber ille pater: « Ponite, inquit, curas, commilitones » fratresque mei: diu satis pugnastis; diu me secuti estis. Ego alia ex aliis » in fata vocor, vobis jam parata quies est et haec praemia laboris. Sistite hic » et uberem hanc terram quam michi vestri lacerti quaesierunt, in aeter-

» num possedite. Ego vos hodie militiae laboribus absolvo; veteranos milites  
 » vos esse volo, heroesque vocari, onus vestrum reipublicae consulere, sontes  
 » arguere, laudare probos, crebris vacare muneribus. Quocumque terrarum  
 » veneritis, victum vobis reges ac vestitum dabunt. Honorati vos apud  
 » omnes eritis, euxenia vobis principes offerent, suasque vestes condona-  
 » bunt; stabit fides dicto vestro, sed mendacia horrebitis, proditores judi-  
 » cabitis; qui fortunas male habent, hos infames asseverabitis; in omni  
 » terra liberi erunt vobis securus transitus et incolatus. Si quis vos vestrum-  
 » que verbo factove angariaverit quempiam, gladio ferietur. Ceterum ex  
 » amicis meis bachosissimum Spartambam regem vobis, Indisque consti-  
 » tuo, qui vobis alimenta praebat, annos stipesque custodiat, vestra pri-  
 » vilegia servet et honoratos vos habeat, ex grege vestro ad regni fastigium  
 » evocatus. Vos illi consulite et posteris ejus. Si genus defuerit ex vobis ves-  
 » trisque liberis, reges Indorum sumite.» Atque sic adhortatos heroes Dyo-  
 nisius ex India duxit exercitum.

Spartambas regnavit super Indos LII annis, Undamque filium succes-  
 sorem reliquit. Qui cum regnasset annis xx, instituto filio, grandaevam  
 vitam sumpsit, et post eum per XII generationes heroum soboles usque  
 ad Hereulem regnare. Hercules autem cum, domitis terrarum moustris  
 ac saevitia tyrannorum deleta, penetrasset Indiam, regnum heroum in se  
 recepit; privilegia tamen hiis non ademit, sed auxit eorum numerum,  
 conscriptis inter eos hiis qui secum ab Hispania et Mauritania militaverant  
 ac contra Berionem triplicis animae et Antheum filium Terrae arma tulerant,  
 longis itineribus et sentita virtute defectis. Sed cum venisset ad  
 mortem multosque filios haberet, multis enim matrimonio junctus fuit  
 mulieribus, unicam autem filiam, Pandeam nomine, sustulisset, huic  
 regnum commisit; et ut ostenderet heroes quanti faceret, praeteritis liberis,  
 unum ex numero heroum, nomine Platem, virum filiae dedit qui regnum  
 regeret; quingentosque huic elephantes, III<sup>m</sup> equitum et centum xxx<sup>m</sup> pe-  
 ditum constituit, quibus regnum tueretur. Ex hoc natus est Polumbatras,  
 a quo dicta est urbs maxima Polumbatra. Ejus posteritas usque ad Alexan-  
 drum magnum per centum et xxviii generationes regum Indiam guber-  
 navit. Ex quibus ortus est Porrus; cujus virtutem miratus est Alexander  
 atque adeo dilexit, ut victor victo regnum dignitatemque restitueret.  
 Tamen idem quoque Alexander rex ex suis militibus heroes elegit senes

v<sup>e</sup> longa ac laboriosa militia contritos, quos Porro commendavit, quibus singulis annis in singula capita xx talenta daret argenti, adjecitque privilegiis heroum ut auro et purpureis coccineisque vestibus et paludamento uti possent, quin et arma regia deferre quovis gentium terrarumque ruerint; si quis hos manu pulsasset aut verbo laesisset, capitis esse reum, bonaque sua fisco deberi.— Sic Thucydides : haec ille refert qui transtulit, quae etiam Herodotum et Didimum et Megastenen et Zenofontem sentire contendit; additque demum ex persona sua translationis auctor : « Habemus igitur » heraldi nomine idem significari quod apud veteres heroes significat, » quodque Dyonisius primus et hoc genus hominum apud Indos instituit : officiumque eorum est ut regibus assistant et consulant, reipublicae » virtutes extollant, vitia fulminent; nec aliud sunt quam milites veterani » qui post multa egregia facinora bellaque mirifice confecta, viribus exhausti fessique labore militari remittantur in curiam consularem, traduntque majores hujusmodi homines semper honoratos fuisse, ac tum » Saulis, tum Davidis, tum Salomonis, tum ceterorum regum Hebraeorum » latera constipasse olim, et inter Machabeos haec dignitas locum obtinuit. » Legimus quoque Julium Caesarem cum victo Pompeyo in Ægyptum » perrexisset, hoc nomine et hoc honore plures suorum commilitonum » dotasse, qui secum in Gallia et Britannia, Germania ac in Graecos fortiter » pectore militaverunt, jamque torpenti senecta languebant. Nec Octavianus Augustus hoc praeclarum genus hominum neglexit, qui superato » apud Actium Marco Anthonio, extincta Cleopatra, cum Parthorum superbia, timore posito, veniam postulasset, ablatoque Marco Crasso cum » practiosissimis muneribus signa remisisset; cum reges Indorum ad » infamiam tanti nominis moti usque in Hispaniam legatos misissent ac » ultra parituros se romano imperio optulissent; cum, subverso Cantabro, » terra marique pacem haberet Romanus populus, clausissetque Jani denovo portas, hujusmodi fertur legem tulisse. Omnes idcirco mortales » sistere se solent et objectare periculis ut aliquando pace frui possint et » quiete; nec labor ullius est qui praemia non expectet. Ea propter majores nostri militibus qui bene pugnassent, non solum stipendia quibus » se suamque possent nutrire familiam, sed etiam honores amplissimos » constituere ut coronas, armillas, hastas et alia virtutis insignia quasi » solamen et praemium laboris exacti. Similiter et nos fecere decet, qui,



» diis faventibus et magna virtute militum, rem romanam restituimus et  
 » altam pacem toto reformavimus orbe, ne milites qui longa et durissima  
 » nobiscum bella peregerunt ac plurimum tum, suum, tum hostium  
 » sanguinem fuderunt, sine tanti laboris mercede evadant. Quisquis ergo  
 » per decennium militaveris, si modo quadragenarius sexagenariusve  
 » fueris, sive pedes, sive eques, stipendia merueris militiae. Post haec,  
 » labore vocato, heros esto veteranusque miles. Nemo te civitate, domo,  
 » foro vel templo prohibeat; nemo tibi crimen ascribat, onus imponat,  
 » pecuniam ex te quaerat. Si quid peccaveris, solam Caesaris vindictam  
 » expectato. Quidquid turpitudinis admiserint homines, te judicem pro-  
 » palatoremque timeant, privati seu principes fuerint. Quod dixeris  
 » affirmaverisque, nemo falsum arguat; libera et aperta tibi sint omnia;  
 » stipendia quibus te domumque tuam serves, ex publico quotannis ha-  
 » beto; quem reprobaveris aut informaveris, sit ille reprobatus et infamis.  
 » Sic Octavianum suos honorasse confirmant, asseruntque id idem Haniba-  
 » lem facere voluisse nisi fractus infortunio regis Anthioici. Sic Attilam,  
 » Hunorum regem, licet efferatum et immanem, similia contulisse suis  
 » veteranis, et Theodericum regem Gothorum maximum. Karolus autem  
 » Magnus, qui primus post Graecos apud Romanos cepit imperium, Ger-  
 » manus homo ex antiqua Francorum prosapia, postquam Saxones saepius  
 » rebellantes multa vi domavit ac Hunorum faeces Longobardos ab infes-  
 » tatione romani praesulis exterruit, suos in hunc morem libertavit: *Ite,*  
 » *inquit, milites mei, vos homines vocabimini socii regum et iudices cri-*  
 » *minum; vivite post haec laboris experti; caveteque ne decus tantum*  
 » *justo bellorum labore partum, ebrietatis aut scurrilitatis vitio maculetis.*  
 » *Verum enim cur haec nostris in diebus hominum dignitas comminuta*  
 » *sit nescio, nisi quod omnia degenerant, nec est hominum genus quod*  
 » *stet suis legibus. Nam et indistincte doctores insignia recipiunt, et qui*  
 » *nondum equos viderint, militiam profitentur, nitentque calcaribus; ut*  
 » *de majori dignitate dicamus, absque litteris, absque moribus, sed more*  
 » *leves et vita cathedram ascendunt. Quaere religiones, percurrere mecha-*  
 » *nicos: omnes aberrant, nichil est quod pure inviolateque perseveret.* »  
 Haec procul dubio juxta veritatem hujuscemodi historiae non omittenda  
 censi, quamquam minus proposito videantur deservire.

Eodem anno, dux Burgundiae Philippus, effectus comes Namurcensis,

venit Namurci propter Leodienses, qui turrim quamdam juxta Bovines constructam supra Mosam, in comitatu Namurcensi, conabantur destruere. Alta enim erat ut ab ea respiciebantur Dinantenses ab alio latere Mosae. Quamobrem illi de Leodio minus contentati, cum magno exercitu sunt egressi, devastando terram circumquaque in comitatu Namurcensi. Et tribus aut quatuor castris ejectis plura mala fecissent, nisi dominus dux misisset quosdam valentes capitaneos eis obviam: videlicet dominum Johannem de Crouwy et dominum Symonem de Laleyn, qui cum illis de Namurco exeuntes villam de Maceriis obsiderunt. Quod percipientes Leodienses, qui obsiderant villam de Bovines, dominum Johannem de Ghistella, quem ceperant ex parte ducis, occiderunt, et se retraxerunt.

Circa idem tempus, Philippus dux contra Casletenses aciem direxit, sed illi minime se opposcentes eundem receperunt, veniam nudi capite ceterisque vestibus in algore permaximo repetentes. Quibus receptis gratiose, dux principales concitatores occidi jussit et, recepta pecuniarum emenda, plurima privilegia eisdem ademit, datis aliis.

Eodem etiam tempore, natus est ipsi Philippo duci Burgundiae filius in Bruxella, nomine Anthonius, ex Elisabeth, uxore sua tertia, qui paucis supervixit diebus.

Eodem tempore, dux Bethfordiae venit obsidere villam de Layngny supra Maternam, cujus capitaneus ex parte regis Franciae erat dominus Johannes de Foutqualt, qui se viriliter habebat in defendendo. Quod cum rex percepit, misit dominum de Richemont, connestabularium Franciae, Ludovicum Culant, admiralem Franciae, Poton et Lahyre et plures alios, qui levarent obsidionem. Sed nocte quadam dux Bethfordiae fugit versus Parisius, ac sic remansit levata obsidio.

Hiis etiam temporibus, quidam auriga Carnoti commorans, habebat fratrem in curia regis Franciae, qui clericus fuit unius magni domini; cujus medio praefatus auriga licentiam obtinuit recedendi a Carnoto cum auriga sua versus Aurelianis cum victualibus. Porro taliter practicavit clericus iste cum auriga, fratre suo, ut Carnotum traderetur in manibus regis. Factum est mane, cum egrederetur auriga portam civitatis Carnotensis, quod centum viri armorum saltarent de penu infra bararias et reducerunt currum aurigae sub porta, caesis custodibus ibidem existentibus; nec mora dominus comes de Dunoyis ac dominus de Gaucort cum tribus milibus

hominum de parte regis intrantes ceperunt civitatem Carnotensem. Caesus ibi fuit episcopus Carnotensis cum pluribus ejusdem villae civibus qui se opposuerant, Anglicis fugientibus qui hanc civitatem tenebant multis jam diebus, et ita paulatim rex Francorum, Karolus, villas recuperare coepit.

Hoc anno, secundum aliam translationem, inter comitem Barensensem et comitem de Vaudemont, guerra orta est, et comes Barensensis obsedit castrum de Vaudemont. Mox fugit comes de Vaudemont ad ducem Burgundiae qui misit dominum Johannem de Croy, eo quod haberet filiam comitis in uxorem, cum magna multitudine, commissoque praelio, captus ibi fuit Renatus, dux Barensensis, et dominus de Barbazen, gubernator Campaniae, occubuit cum XII<sup>o</sup> hominibus: licet haec superiore anno dicta sunt, tamen hoc anno veraciter evenerunt.

---

Declaratio nominis heraldorum, unde sumitur ex dietis Eneae Senensis episcopi, secretarii Sigismundi, et postmodum in summum pontificem electi, qui dietus est Pius II<sup>us</sup>, qui et pulcherrima descripsit eorum quae suo tempore contigerant. Unde sic de situ et origine Pruthenorum ac de controversia per quam perierunt, ait: « Pruchia regio » est supra mare Baltheum quod ad Sueciam Norwegiamque protenditur; hinc Saxones, illinc Polones Livonesque habet conterminos; mediam terram prolabitur fluvius » cui Visecla nomen est, qui Sarmatiae montibus ortus, per Poloniam et Pruchiam in » mare devolvitur, et Germaniam Sithiamque disternit. Hoc mare quamvis ab Oceano britannico ducit originem, undique tamen terra cingitur, neque, ut plerique » tradunt, amphitrites dici potest. In quo errore mihi videtur fuisse Jordanus qui Viseclam Justulam nominans in Oceanum decurrere confirmat. Hanc terram, cum Gothi » duce Berigo Scandaviam reliquissent, Ulmerigi tenebant; quos illi bello victos propriis » sedibus expulerunt atque cum Wandalis, qui vicini fuerant, manum conferentes, cum » virtutem pene parem invenissent, eos sibi socios asseverunt. Manserunt hic Gothi » usque ad Philimerum qui post Berigum quinto loco regnavit. Filimerus autem gloriae cupidus, sedes dum novas quaerit, ad paludes Meothidas pervenit, ac ponte facto, » magnam partem trajecit exercitus, et in Pontum Euxinum, victis quae mediae fuerunt » gentibus, penetravit, ibique sibi suisque perpetuas sedes habuit. Hinc Schitarum laboribus ac bellis asperum genus ortum, a quo rex Persarum, Darius, turpi fuga sum- » motus, Cyrus cum omni exercitu trucidatus, dux Alexandri magni Spirion pari » ratione cum universis copiis deletus traditur, quod Romanorum audisse, nec sensisse

» arma perhibetur. Quod Parthicum et Bactrianum imperium condidisse, vetus opinio  
 » confirmat. Nondum tamen omnes Filimeri copiae trajecerant, cum pons in medio frac-  
 » tus, et illis redeundi et hiis qui retro fuerunt transeundi facultatem ademit. Remansit  
 » igitur non parva pars Gothorum citra paludes quae sedes priores ad Viscelam fluvium  
 » ac Baltici maris littora reperiunt. Haec cum ritu barbaro foetidoque vitam gens degerat  
 » quae Brutenica dicta est, quamvis postea, mutata prima littera, Pruthenica dicta sit.  
 » Huic Christi nomen incognitum, neque audita romana tuba, neque signum aquilae  
 » visum ante Frederici II<sup>i</sup> tempora fuit. — Eo vero imperante, cum jam Sarracheni  
 » Jherosolimam obtinuissent atque urbem Aecharon expugnassent, fratres Beatae Mariae  
 » Theutonicorum qui ex Oriente fugam fecerant, ne per otium tabescerent, Hermanno  
 » duce claro, dote quoque animi et pariter corporis pollente, qui tunc religionis magister  
 » fuit, imperatorem adeunt, Pruschiam, si queant ab infidelibus extorquere, dono pe-  
 » tunt; optinent mox auxilia vicinorum et bellum Pruchenis inferunt. Diu varia victoria  
 » pugnant; ad extremum victos paganos sub jugum mittunt, dominatum terrae acci-  
 » piunt, in Livoniam transeunt. Regionem longe lateque populantur, barbaros quam-  
 » plures ad religionem trahunt, ditionem suam mira felicitate amplificant, fiunt potentia,  
 » fastu, gloria pares regibus, cum Polonis frequentes lites ineunt; nunc superantur,  
 » nunc superant. Denique patrum memoria Ladislaum, Hungariae regem, gentemque,  
 » prudentia, religione, animi magnitudine et cultu memorabili strenuum oppugnant et  
 » bellum indicunt. Is impigre praelium struit, Vitoldumque fratrem suum, magnum  
 » Lituaniae ducem in auxilium vocat, virum sui temporis severissimum et astutiarum  
 » plenum. Praelium julio mense committitur. Pugnatum est summa contentione: diu  
 » Mars dubius fuit. Multi bine atque inde ceciderunt; ad ultimum victi religiosi cor-  
 » ruere, sexcenti equites natu nobiles ea pugna perire, vulgus ignobile sine numero  
 » caesum. Victor Polonus omnem Pruschiam invadit; religioni castellum Beatae Mariae  
 » tamen remanet; sed interveniente Sigismundo Caesare, provincia fratribus restituta est,  
 » aurum regi datum, foedus utrinque perpetuo dictum. Regnaverunt post hoc suo modo  
 » religiosi compluribus annis, subditos suos pace parta non tam metu quam beneficiis  
 » in obedientia retinentes. At cum pax divitias, divitiae vero superbiam luxuriamque  
 » peperissent, saevire fortuna ac miscere omnia coepit; administrante Paulo, religio scissa  
 » est; aliud hiis, aliud illis videri, insidias invicem tendere, alter alterum ferre non posse,  
 » qui res belli asperrimas maximaque pericula toleraverant, quietem atque opem pati  
 » non posse. Fratrum igitur major pars a magistro deficit; is veritus ne civitates quoque  
 » dividerentur et aliae suam, aliae suorum aemulorum partem sequerentur, vocatis rec-  
 » toribus earum, ut se uniant jubet, haud dubitans quin unitae secum sentirent civitates,  
 » occasionem nactae faciendi quod tota mente quaerebant, accersita nobilitate ac militia  
 » provinciae; quas vel praelati vel religiosi multas ante annis injurias in populum contu-  
 » lissent, non sine grandi querela commemorant; regimen terrae pessimum esse; nisi

» occurratur, ruituram patriam dicunt; est omnibus unus animus nunc, cum facultatem  
 » habeant succurrendi, ne propriam salutem deserant: fit conventus. Indulgente ma-  
 » gistro in eo decernitur sedecim virorum oportere fieri concilium, quod singulis annis  
 » certo loco certoque tempore sedens, querelas privatorum audiat, gravamina corrigat,  
 » neque injuriam cuiquam fieri sinat. Si quis hujus concilii censuram contempserit, in  
 » eum publice vindicetur, sive is episcopus, sive magister fuerit. In eo concilio qui  
 » praesideant placet quatuor ex ordine praefatorum, quatuor ex religiosis, reliquos octo  
 » ex nobilibus et civitatibus assumi debere. Probat omnia Paulus, faventes sibi ut civi-  
 » tates sunt, nec diu post legati civitatum, Fredericum III<sup>um</sup> Caesarem adeunt. Religio-  
 » sorum ineptum regimen accusant, indignis se contumeliis affici queruntur; foedus  
 » quo se ab injuriis tucatur ut sibi habere liceat impense petunt. Indulget Caesar, si non  
 » viris religionis nil prejudicii fiat. Post aliquot annos, mortuo Paulo, Ludovicoque in  
 » ejus locum suffecto, notitia foederis ad Nicholaum quintum, Romanum pontificem,  
 » defertur. Is legatum in Pruschiā mittit episcopum Silvensem, virum Portugalia  
 » natum, qui brevi tempore cuncta rimatus, conventiones nexusque civitatum in publica  
 » forma Romam defert. In hiis pleraque capitula inventa sunt ecclesiasticae libertati  
 » adversa canonibusque contraria, decernitque apostolica sedes iniquum foedus atque  
 » ipso jure irritum, qui illo post haec utatur et eum anathemate ferit. Id ibi inter Pru-  
 » thenos palam factum est: sunt qui, censuras veriti, foederi renuntiant, quos reliqui  
 » velut infames ac dejerantes fidem probro habent atque indignos hominum consortio.  
 » Crescit ob eam causam vulnus, et odia inter civitates ac religionem augentur, turbida  
 » omnia fiunt, nichil boni aut aequi consulitur. Religiosi, postquam auctoritas ecclesias-  
 » tica contemptui est, Caesarem ut brachium saeculare adhibeat contra rebelles, oratum  
 » faciunt; imperatori vocanda atque audienda altera pars videtur. Ante Caesaris tribunal  
 » ubi utriusque partis legati comparent, alteri erimantur alteros. Deinde in Caesarem  
 » velut arbitrum compromittunt ut is controversiam quae hinc atque objeci posset inde,  
 » omnem audiat ac jure definiat, eo pacto ut conventio et reconventio eodem judicio  
 » terminetur. Ad diem dietam, cum ante partes misissent legati civitatum, dum per Mo-  
 » raviam iter faciunt, in manus latronum incidunt, excussisque bonis omnibus carceri  
 » mancipantur. Hiis rebus suspenditur in alteram diem cognitio et rursus in alteram  
 » donec verisimile sit, aut dimitti legatos interceptos, aut alios ex Pruschia remitti.  
 » Fit haec prorogatio contranitentibus religiosis, qui non obstante captura procedendum  
 » esse contendebant, cum legati civitatum aliud iter habentes, suapte ingenio per Mo-  
 » raviam perrexissent, in hostium terram et latronum domum, ubi rapina laudatur, nec  
 » nobilis quisquam censetur nisi praeda captuque vivat; sed qui dandam esse dilationem  
 » putabant, nullam ex Pruschia in Austriam satis tutam inveniri viam dicebant, lega-  
 » tisque nichil imputandum, qui non modo imperatoris sed Ladislai quoque Bohemiae  
 » regis ac Moraviae marchionis, publicae securitatis litteras impetrassent, atque hiis

» confisi recta via ad Austriam properassent. Fuit autem ultima quae concessa est dilatio  
 » dierum sex et XII hebdomadarum. Ea pendente legati civitatum e custodia dimittuntur,  
 » adnitate plurimum Georgio Pogiebrachio, regni Bohemiae gubernatore, viro illustri  
 » ac alto ingenio. Postquam secundo partes in praesentia Caesaris adsunt, concordiam  
 » prius quaerere quam judicarium rigorem sequi placet. Delecti qui hoc agitent, diebus  
 » plusculis frustra nituntur. Legati civitatum indigna se perpressos a religiosis querentur,  
 » relicturos se foedus aiunt, si modo cautum sit ne qua privilegia deinceps rixari  
 » queant. Religiosi nihil se indigne fecisse affirmant; foedus nisi ante omnia refutetur,  
 » spem nullam concordiae praehent. Iter ergo in jus. Ibi Petrus Knor, qui tunc religionis  
 » patronus erat, vir doctus ac dicendi peritus, iniquitatem foederis exponit, quod neque  
 » civili neque canonico jure subsistere possit; civitates magno magistro similique con-  
 » ventui obedientiam promississe ac jurasse dicit: constitutiones Karoli VI et aliorum  
 » Caesarum vetustas leges in medium profert, quibus conventiculae prohibentur omnes  
 » qui convenissent et dampnosum religioni foedus inissent, infames atque perjuros asserit  
 » excidisse privilegia, amisisse feoda, dignitate quavis nudatos esse, simulque magno  
 » auri pondere plectendos, foedus iniquum, cassum atque irritum pronuntiari debere.  
 » Anathema quoque in omnes promulgat qui foederi contra mandata Romani praesulis  
 » adhaesissent. — Martinus Moer eo tempore causam civitatum tuebatur bona facultia  
 » et scientia juris, viris disertioribus utique comparandus. Ubi Petrus dicendi finem  
 » fecit, rogato Cesare ut se quoque audiret: Civitates, inquit, indigne accusari, neque  
 » merito perjuras aut infames dici quae minime jusjurandum contempsissent, foedus  
 » incuntes quod cum voluntate magistri et aliorum praeceptorum percussissent, factu-  
 » rasque esse omnia promississent in quibus religioni tenerentur, neque velle adduci  
 » leges aut canones conventiculas prohibentes quae tunc dampnantur cum sine jussu  
 » aut voluntate superiorum aguntur. Civitates namque Prutenicas, magistro jubente,  
 » convenisse ligam nullo pacto irritam videri posse, quae auctore praesenteque principe  
 » facta fuisset, nec rursus excommunicationis vinculo civitates teneri quae nunquam  
 » vocatae neque audita a summo pontifice fuissent; esse praeterea jus naturae ut se  
 » quisque vitam corpusque tueatur, neque indignas oppressiones ferat; religiosos tenuisse  
 » civitates loco servorum, nichil curasse libertates a divis imperatoribus optentas. Hos  
 » agris, illos uxoribus spoliasse, monetam percussisse dampnosam, thelonia graviora  
 » induxisse, bella minus necessaria gessisse, dampnasse ultimo supplicio innocentes,  
 » delinquentes accepta pecunia liberasse, non fuisse in terra Prusehia locum justitiae,  
 » frustra questum populum; si quando Romanus pontifex imploratus est, dixisse fratres  
 » ad imperii se tribunal pertinere; si rursus imperatoris censura quaesita est, in apos-  
 » tolicae sedis fugisse tutelam; viros quatuor de viginti, qui de gravibus causis Ro-  
 » mam ibant questum, interceptos, a religiosis occisos et cum equis terra obrutos; tot  
 » insolentis oppressas civitates, cum nullum esset aliud remedium ad sui defensio-

» nem, id foederis necessario recepisse, ad eamque rem Caesaris auctoritatem accedere  
 » dicens : qui litteras Frederici III<sup>i</sup> qui tunc sedebat, legi jussit. Auditis illis, negavit  
 » Petrus magistrum Prusehiae conventum indulgisse, aut ligam quovis modo probasse ;  
 » quod si factum fuisset, non tamen excusatas esse civitates, quae non magistro  
 » dumtaxat sed et magistro atque conventui juramentum obedientiae praestitissent ;  
 » apostolicum anathema refelli non posse dixit, cum Romanus pontifex causa cognita  
 » dampnasset ligam, jussitque ne quis illa uteretur ; si quis contra faceret, anathema  
 » feriret. Quid nisi excommunicati essent, scienter usi ? Quae de gravaminibus atque  
 » injuriis Martinus dixerat, partim refellit, partim negavit, contra Caesaris litteras ob-  
 » jecit, quia neque locum in quo datae fuissent, neque secretum geminae signum  
 » ex more continerent, emanassentque longe post ligam factam, neque retro trahi de-  
 » berent. Deinde laxatis habenis : — Quid ego, inquit, tecum, Martine, contendam ?  
 » Concedo tibi quae cupis omnia ; esto magister, conventusque ligam fieri consenserit  
 » Caesar, facultatem praebuerit papa, minime manum apposuerint, gravissimas injurias  
 » ex religione civitates acceperint. Quid tum licet-ne ideireo foedus inire perversum,  
 » statuta quidem iniqua, juramenta recipere quae libertatem pessumdent ecclesiasticam ?  
 » Age, Martine, quid hic respondes ? Capitulum illud est unum pessimum quod inter  
 » civitates sanxerunt in quo se iudices super dominos statuerunt ; aiunt enim si factam  
 » injuriam cuiquam cognoverint, sive religiosi, sive praelati injuriati fuerint, daturus se  
 » operam emenda ut aequa dignaque fiat. Id si nequeant obtinere, vindicatos se id  
 » mali minantur in eum qui dampnum dederit, quicumque is demum fuerit sive ma-  
 » gister ordinis, sive pontifex. Quid tibi Martine, videtur ? Licet-ne subditos facta supe-  
 » riorum corrigere ? Esto, liceat. Quid illud vindicare in praelatos inque religiosos licet ?  
 » — Tum Martinus : Cogis me, inquit, Petre, plura quam ab initio statueram dicere.  
 » Parebo voluntati tuae. Unicum est ut video capitulum quod toto in foedere dampnas,  
 » reliqua ergo omnia probas. Recte hic agis, illud inique, quia multa quae bona sunt,  
 » unico malo perire vis. Non sic rector orbis coelique motor, Deus, qui multa milia  
 » malorum salvaturum se Loth promisit, si decem in civitate bonos viros ostendisset ;  
 » apud Deum pauci boni multis malis salvati sunt ; apud te, Petre, multis bonis, unus  
 » malus exitio est. Sed ostendam tibi, neque unicum hic malum inveniri capitulum ;  
 » namque quod xvi viris permissa est super illatis injuriis cognoscendi facultas, eate-  
 » nus intelligendum est quatenus illi capaces sint, si de re prophana quaestio est. Cur  
 » nequeat laicus adjuncto clerico cognoscere si hoc, quemadmodum diximus, ex con-  
 » sensu partium datum est ? Aut hic actio injuriarum intentatur quam dicere possis  
 » personalem ; sed rei per injuriam amissae vindictio datur. Si hoc modo capitulum  
 » accipis, nichil est quod criminari possis, neque tua est justa objurgatio, qui vindictam  
 » accusas in episcopos ac magistrum. Ostendis enim, eum multum intelligis, te nichil  
 » intelligere. Non enim vindicturas sese injurias, civitates aiunt, nisi cum alia via

» saluti consulere nequeant. Hoc est si potenti manu vel magister vel episcopus inju-  
 » riam pergīt facere, ibi obviam ac vim vi repellam; neque tu, Petre, hoc justum esse  
 » negabis qui a natura ipsam defensionem indultam esse non ambigis, neque hic vin-  
 » dictam quasi vetitam ultionem interpreteris. Nam et vindicta dicitur cum se quispiam  
 » adversus injuriantes modo licito atque honesto tuetur, neque nos tam verba quam  
 » sensum convenit sequi. Ego paulo ante dixi tuos religiosos multis modis injurias  
 » civitatibus esse, multaque ab hiis indigna fieri, neque permitti homines Pruschie  
 » justitiae causa vel papam vel imperatorem adire. Haec si vera sunt, quis non intelli-  
 » git licere civitatibus factum facto tollere? At cum tu ista neges, in nos onus probandi  
 » transfers; neque id nos recusamus, si modo tempus datur et ad partes remissio et  
 » compulsoria. Annuis jam hiis, Petre, non dubito, qui nos aequum petere non ignoras.  
 » — Ymmo vero, inquit Petrus, neque annuo, neque justum censeo; hic jam finiri litem  
 » oportet, diem dietam novistis, armatos venire in bellum decuit, non postquam in  
 » campum exieras, domum redire atque arma sumere. Demiror tuam, o Martine, pru-  
 » dentiam, qui tempus ad ea probanda requiris, quae probata tuam causam nichil  
 » adjuvent. Age; si quid telorum habes, nunc emittito, neque arte prudente certa-  
 » men effugias. Novi ego tuas versutias, fuga salutem quaeris. — Cum diuque Petrus,  
 » diuque Martinus invicem contendissent, eo demum deducta est res ut super danda  
 » negandave dilatione omnis controversia consistere videretur. Emissis igitur litigatio-  
 » nibus, Caesar inter assistentes ex bono et aequo, quid agendum sit percunctatur.  
 » Aderant legati principum quamplures, qui cum accepissent coram Caesare, civitates  
 » Prutenicas adversus religionem litem habere subditosque contra superiores atque,  
 » ut ipsi dicebant, servos contra dominos jus sibi minimum vindicare, non tam vocanti  
 » Caesari morem gesturi quam propriam acturi causam ad commune restringendum in-  
 » cendium accurrisse videbantur. Primus tamen qui sententiam dicere rogaretur, Aeneas  
 » fuit, episcopus Senensis, qui hoc modo locutus est: — Lis quantum mihi videtur, optime  
 » Caesar, neque parva, neque contempnenda est, quae religiosos fratres civitatesque  
 » vexat. Non hic ager Arpinas aut Tusculanus in dubium venit: de grandi provincia, de  
 » regno potenti, quaestio est: religiosi ut sibi subjectas et ad omne imperium obsequen-  
 » tes habeant civitates conantur, contra ut liberae sint religionique minimum debeant,  
 » contranitentur. Quinque ni fallor et quinquaginta civitates inter se foedus iniere, quod  
 » nunc religio dampnat: hoc lippis, oculis ac summis, ut ita dicam, digitis, aut infrin-  
 » gere aut approbare grave est, quantum ego sive legendo sive videndo in hanc  
 » usque diem percipere potui; haudquaquam regnorum causas jure ac judicio diffinitas  
 » invenio, nisi fortasse sub magno imperio parvum regnum in litem cecidit. Nam tem-  
 » pore quo floruit Romana potestas non me latet et litigasse reges de regno et accepta  
 » sententia paruisse; neque obscurum est duos fratres de regno Bulgariae conten-  
 » dentes apud Francfordiam, imperatorum olim judicium suscepisse, sed poterat eo



» tempore Caesar, quod verbo dixerat, opere complere. Nunc quae sit potestas im-  
 » perii, neminem fugit. Sedes apostolica, et si nonnunquam regnorum causas suscipit,  
 » quantas diffiniat, videtur saepe nostris diebus; de regno Ceciliae, de regno Hunga-  
 » riae disputatum audivimus, sed adhuc sub iudice lis est. Regnorum controversias  
 » aut amici, bonique viri componunt, aut gladius dirimit. Mutae sunt leges, ubi loquun-  
 » tur reges. Non minus vere quam pulchre dictum est : similes arancarum telis fore  
 » leges, quae tenuis census homines quasi muscas capiunt; in transitu potentium velud  
 » aquilarum dissipantur; sed quorsum haec dicat aliquis, nempe ne credas, Caesar,  
 » quameunque sententiam tuleris acceptam iri, ne, princeps, iudicium agas, ne sen-  
 » tentiam promas quae ridiculo sit; omnia experiri prius quae sunt ad concordiam ma-  
 » lim, quam ferri sententiam cui non pareant partes. Quaeris a nobis an quae petitur,  
 » dari dilatio videatur. — Minime, inquit Petrus. — Cur enim eorum probatio requiratur  
 » quae probata nichil praesidii causae afferant? Si Petrus existimat, ego contra sentio.  
 » Namque si probant civitates magnum magistrum conventusque magnam partem  
 » fieri foedus consensisse, rursusque religiosos contumeliose rexisse provinciam, pri-  
 » vilegia civitatum sprevisse, neque Romani praesulis, neque Caesaris adiri tribunalia  
 » permisisse, quamvis ruit in statum ecclesiasticae dignitati contrarium, non tamen est  
 » cur civitates quasi perjuras atque infames grandi pecuniae condempnemus, foedusque  
 » totum irriterimus quod potest magna ex parte salvari. Statuto igitur dandam esse dila-  
 » tionem quae petitur, non modo ut probentur quae civitates objiciunt, sed ut iterum  
 » atque iterum de pace tractetur. Illic principales erunt partes apud quas et pacis et  
 » belli plena potestas est; hic procuratores sunt quos servare mandati fines diligenter  
 » oportet. Quis novit an quae hic negatur ibi concordia, reperiatur? Dilationem mea  
 » sententia, Caesar, quae petitur non negabis. Legatos in Prusciam praestantes viros  
 » mittes, quos ad concordiam summo conatu vocabis : si annuunt, rem pene divinam  
 » confecisti; si neque illic paci locus est, jube probationes recipi quae possunt, atque  
 » in alteram diem, vocatis partibus, cum concilio principum sententiam prome. Quod,  
 » si, negata dilatione, processeris, vereor ne civitates indigne circumventas aut pos-  
 » sessas se dicant atque sententiae tuae, quasi nimis affectatae, parere recusent. — His  
 » ab Enea dictis, rogantur legati archiepiscopi Maguntini quae sentiant dicere. Hii  
 » eum exteris principum legatis colloquium petunt; assurgunt universi atque in alterum  
 » se locum recipiunt. Diu inter se confabulantur. Ubi unanimes sunt reversi, dilatio-  
 » nem concedendam negant, neque aliud causae dicunt, nisi probatis quae Martinus  
 » pro sua parte adduxisset, non tamen foederi pondus inesset atque hoc esse legatorum  
 » omnium concors iudicium asserunt. Ad ea quae dixerat Eneas, nichil respondent.  
 » Quaeritur deinde quid opinionis habeant Caesaris consilarii. Demptis paucis, omnes  
 » in sententiam Eneae dilabuntur. Legati principum duodeviginti fuerunt, consilarii  
 » Caesaris XIII, ex quibus duo incerti; ceteri, quamvis cum Enea saperent, tamen

» numero victi sunt. Caesar, quod est consuetum, majorem partem sequutus est, quam-  
 » quam male se res haberet, cum sententiae numerantur, non ponderantur. Martinus  
 » quamvis spe magna cecidisset, non tamen animo cecidit; sed cum sibi succedere  
 » hac via non se videt, aliam aggreditur. Audiri jam civitates aequum esse dicit contra  
 » religiosos, antequam sententia promatur de foedere, quando ex compromisso liquet  
 » conventionem atque reconventionem simul terminari debere, nichil dubitans quin  
 » admissa reconventionem dilationem optineat, ad ea probanda quae contra religiosos  
 » objecerit. Sed neque hac via successit in querelis contra illos. Assurgens enim  
 » Petrus renunciatum esse reconventioni a Martino dixit. Qui cum defensionem suam  
 » multis verbis exposuisset, interrogatus denique num quidquam proponere vellet et  
 » reconventionem se nolle interpretari dixisset, fatetur Martinus illis se verbis usum  
 » quae Petrus ait, sed addidisse ea vice atque illam vicem pro illa audientia posuisse  
 » ne taedio esset auditoribus, neque verisimile cuiquam videri posse tantam causam  
 » tam magnam, tam contentiose agitatam unico verbo donari ac propterea esse remis-  
 » sum, quia dictum a se fuerit ea vice nolle reconventionem proponere neque se man-  
 » datum tantae donationis habere qui sit ad causam procurator atque advocatus consti-  
 » tutus. Negat Petrus dictum esse ea vice, Martinus instat dictum; fit controversia an  
 » dictum sit. Ille rursus de dicto emissis litigatoribus quaeritur notario qui pro Martino  
 » testimonium praebet, non adhibetur fides. Rogantur assistentes quid audiverint, ea  
 » vice dictum quinque dicunt, xii negant. Reliqui neque hoc, neque illud se posse  
 » asserunt qui non sunt omnium verborum memores. Res tum magis dubia redditur.  
 » Sunt qui voces illorum praefereudas putant qui dictum aiunt obaudivisse. Namque  
 » quae sunt dicta, facile quisque potest audisse; quae dicta non sunt, nemo potest. Con-  
 » traria tamen sententia obtinuit, atque hiis creditum est qui dictum ea vice negaverunt.  
 » Non tamen reconventio prorsus negata est, sed procedendum in causa foederis sen-  
 » tentiatum, atque id tacite sublatum quod Martinus ex forma compromissi petebat  
 » conventionem simul ac reconventionem currere. Inter haec rursus de concordia traec-  
 » tatur. Legati civitatum arbitrio Caesaris concedunt foedus ex communi consensu,  
 » dum suis tamen privilegiis alio consulat remedio. Religiosi vero, nisi sententia fera-  
 » tur, casseturque liga, nulli concordiae auscultant. Tum Martinus civitates inquit ex  
 » compromisso coram Caesare litigare, arbitros autem, prohibente parte, pronuntiare  
 » non posse, ne Caesar in causa ultra procedat quando formae compromissi non est  
 » locus, rogat. Legati procuratores revocant, notarios quosdam relinquunt qui publice  
 » protestantur si contingat, absente parte, procedi; pars legatorum e vestigio recedit.  
 » Sequentibus diebus quaeritur in concilio an liceat Caesari, parte altera sive absente  
 » sive prohibente, sententiam promere. Sunt qui negant et qui affirmant, nec leges aut  
 » isti parti aut illi desunt; scientia namque juris facile huc atque illuc flectitur; ma-  
 » jori parti placet litigatoribus quam absentibus sententiam ferri, quia compromissum

» in Caesarem factum, jurisdictionem quae illi est in omnes haudquaquam extinxerit;  
 » quod si non teneat sententia tanquam arbitri, tanquam Caesaris et ordinarii iudicis  
 » omnino sit valitura. Caveri quoque in compromisso dicunt, si qua pars litigatorum  
 » abfuerit, ad instantiam praesentis procedi debere. Tunc vocantur civitates de more  
 » sententiam auditorae notarii, quibus id negotii mandatum erat adversus compromissi  
 » formam et absentem parte procedi; queruntur, solemnemque protestationem efficiunt,  
 » sed nullum hiis pondus inest; fertur sententia quae hunc habet sensum: civitates  
 » inter se foedus jure facere non potuisse, neque valide factum, cassum quoque atque  
 » irritum esse; de poenis nihil dicitur, nam religiosi, priusquam sententia promeretur,  
 » in voluntate Caesaris posuerant. Litteras sententiae utraque pars recipit: civitates ut  
 » calumpnientur, religiosi ut se juvent. Legati civitatum reversi domum spreto se  
 » atque irrisos coram Caesare dicunt; sententiam ex odio atque invidia latam; compro-  
 » missum violatum; venisse consiliarios principum, homines partiales pretio conductos  
 » qui Caesari assedissent, neque jus fieri ex bono atque aequo sinissent, debitam dila-  
 » tionem pactamque conventionem negassent, in auditis rationibus ligam dampnassent,  
 » civitates omnes infames declarassent, pecunia inestimabili muletassent, privilegia  
 » libertatesque ademissent, optimates populi capitali poenae subiecissent, reliquum  
 » vulgus in perpetuam servitutem iratis fratribus praebuissent. — Commoti hae ratione  
 » populares non sine grandi furore arma sumunt, opida muro cineta et arces quasque  
 » munitas sive praelatorum sive religiosorum expugnant, diripiunt, fratres in vincula  
 » conjiciunt, obstantes occidunt, infraque dies paucos omnem sibi Pruschiā subji-  
 » ciunt; opidum quod Beatae Mariae vocitant, cum paucis aliis in potestate religionis  
 » remanet, quod esse munitissimum ferunt, triplici fossa circumdatum, muris egregie  
 » ac turribus aedificatum, amona, armis et omni machina belli copiose refertum. Huc  
 » se tota religio recepit sperans, quod olim contigit, ex isto loco amissam provinciam  
 » vindicare posse; nec populares hujus opidi fortitudine deterrentur; copias huc ad-  
 » movent, obsidionemque parant; sed non absque magno suorum detrimento repel-  
 » luntur. Magister Almaniae, vir nobilitate ac prudentia memorabilis, cum haec audivit,  
 » Albertum marchionem Brandenburgensem, magnum illum et peritissimum belli du-  
 » cem, multis rogatum precibus, in Bohemiam dirigit, ibi ut auxilia regis adversus  
 » civitates Prutenicas quaerat. Ipse Ratisponam se confert, ubi Theutoniae principes,  
 » jussu Caesaris Frederici, anno videlicet Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> quinquagesimo quarto,  
 » in festo sancti Georgii conventuros intelligit de tuenda christianitate, propulandisque  
 » hostibus nostrae fidei Thureis, qui paulo ante Constantinopolim, Graeciae caput,  
 » invaserant, acturos. Quo cum venisset atque fandi facultatem impetrasset, perfidiam  
 » civitatum diris verbis accusat, quae spreto apostolicae sedis atque imperii sacri  
 » decretis adversus dominos suos arma cepissent, castra diruissent, religiosos fratres  
 » partem neci, partem captivitati dedissent; concilia atque auxilia contra rebellem

» perjuramque gentem flagitat, et quum necessarium sit ei argentum ad militem condu-  
 » cendum, super quae sunt in Alemania possessiones religionis, redditurum se ait. In-  
 » dulgentiam papae atque imperatoris ex legatis petit; multa ibi de tanta injuria fuerunt  
 » verba, dolere se omnes religionis casum ostendunt, acta civitatum vituperant, rem  
 » potissime gravem reddunt oratores marchionum Brandeburgensium qui primi inter  
 » amicos religionis videri volunt. Cardinalis quoque Sancti-Petri amarulento animo de  
 » tali novitate locutus est, nationem Theutonicam pluribus verbis admonet, ne suam  
 » gloriam suumque decus amittat. Pruschiam enim unicam esse terram, ait, quam  
 » Theutones armis in alieno solo quaesiverint; caveant ne id laudum perditum eat si  
 » vel libertatem sibi civitates vendicent, vel dominium ex alia natione assistant. Legati  
 » papae ac imperatoris rem esse odio dignam aiunt, neque imperio, neque apostolicae  
 » sedi tolerandam, quam civitates attemptasse dicuntur; nec dubitandum esse quin  
 » utraque potestas in favorem religionis assurgat, consensum de venundandis posses-  
 » sionibus ex papa, ex imperatore petendum consuleret religio, quam primum possit, cum  
 » benivolis atque amicis exercitum paret atque ante occurrat quam Mariae castrum  
 » expugnetur; non tamen concordiae tractatum spernat si quis haberi posset: scitum  
 » illud: Esse omnia prius consilio quam armis aggredi sapientem. — Inter haec venit ad  
 » concilium Johannes Lichico, Casimiri regis Poloniae ac Lithuaniae magni ducis orator,  
 » homo cautus et qui in juris scientia calleret. Is cum audiretur, regis sui animum atque  
 » intentionem super hiis quae christianitatem concernebant aperuit. — Post haec, inquit:  
 » Video hic stare fratres Theutones admodum sollicitos; fortasse de re Prutenica vobis-  
 » cum agunt, quamvis ea minime mihi commissa est; quia tamen regi meo sum ob-  
 » noxius, si quid ex vobis petitur quod ad Pruthenos pertineat, oro ne properetis, neve  
 » contra regem meum inauditum quidquam decernatis: nichil enim contra civitates  
 » Pruschiae statuere potestis quin regi Poloniae dampno atque incommodo sitis. Fuit  
 » enim Pruschia quondam Polonici juris, sed jam hii fratres multis annis contra jus  
 » fasque occupaverunt; nunc, quia nichil est perpetuum quod violenter agitur, exclusi  
 » eliminatique sunt. Pruschia ad suum dominum reversa est; praelati omnes, excepto  
 » Varunensi pontificè, mei regis fidem sequuntur, neque is diu alienus erit; militia et  
 » civitates universae juramentum praestitere. Is jam magno magistro bellum per fecia-  
 » les indixit, obsiderique ab eo castrum Mariae non ambigo. Cavete ne vestris decretis  
 » meo regi molesti sitis; pensate et diligenter attendite ne quid statuatis quod postea  
 » statutum esse nolitis: a Deo factum est istud et est mirabile in oculis nostris ut tam  
 » terrae, tam populorum, tam dominium tot saeculis a corona nostra alienatum, jam  
 » sine gladio, sine sanguine, sine ulla, ut ita dicam, opera nostra, in Polonicam redierit  
 » potestatem. Quod si vos modo hanc regionem novo implicueritis bello, vereor ne  
 » Thurcorum causae faveatis. — Hiis dictis fremere atque maledicere homini omnes  
 » coeperunt Almani, vixque se continere quin unguibus hominem laniarent. At magister

» *Almaniae* : — Nos, inquit, homo, cum tuo rege foedus aeternum paucis ante annis  
 » percussimus, jurejurando, litteris ac sigillis firmavimus; nec putamus tuum regem  
 » fidem fallere. Pruschiā ex manibus infidelium armis quaesivimus, emimusque nostro  
 » sanguine; nunc si vera narras, mirum est ac monstri simile, et regem et praesules ac  
 » nobiles *Poloniae* juramenta contempnere. Nos tamen provinciam nostram haudqua-  
 » quam vindicare negligemus. — Jurgatum est utrinque diu, donec ea die soluta est  
 » conventio. Post aliquot vero dies, *Albertus*, marchio *Brandenburgensis*, qui petiturus  
 » adversus *Pruthenos* auxilia in *Bohemia* se contulerat, magistro *Almaniae* scribit hujus-  
 » modi sese conventiones cum rege *Bohemiae* pepigisse. Exercitum *Bohemi* contra *Pru-*  
 » thenos ducebant, equitum quatuor milium, peditum viginti milium, instructi armati-  
 » que erunt ut est *Bohemis* pugnaturis modus, pugnabuntque summo conatu ebdomadis  
 » quindecim. Si *Pruschiā* hoc tempore vindicaverint, religioni restituent; si minus,  
 » non erunt obnoxii amplius morari aut bellum gerere absque novis pactionibus. Hujus  
 » rei causa dabit religio regi *Bohemorum*, quamprimum exercitus erit instructus, auri  
 » *Hungarici* tricenta milia, tantumdemque postquam *Pruschiā* introierint copiae. Ven-  
 » dicata autem regione, quatuor milia quotannis coronae *Bohemorum* pendebit. Rex  
 » vero in aevum protector religionis erit. Rex vero *Poloniae*, ne sit impedimento religio-  
 » sis, quadringenta milia similium nummorum ex ipsis accipiet. *Georgius*, *Bohemiae*  
 » gubernator et harum fabricator rerum, auri *Renensis* LXXX<sup>m</sup> emerebitur; ea, si velint  
 » religiosi amplecti, necessarium esse quamprimum scribere; non videri dubium quin eo  
 » pacto superbia civitatum conteratur. Ad rem hanc remissi sunt nonnulli ex fratribus  
 » qui eum marchione profecti fuerant. Ipse paululum aegrotans marchio *Pragae* aliquot  
 » diebus remansit. Magister *Almaniae*, hiis cognitis, ex legatis principum qui conven-  
 » tum agebant, exclusis oratoribus civitatum, quos favere *Pruthenis* opinabatur, con-  
 » cilium petit, auri maximam quae requiritur summam dicit neque scire se unde colligi  
 » possit. Cardinalis *Sancti-Petri* suo more copiose prudenterque locutus legatos mitti  
 » suadet qui concordiam cum rege *Poloniae* exactent quem constaret patrocinari civi-  
 » tatibus; interea quem possent religiosi exercitum comparent, marchioni scriberent  
 » tractatus ut eum *Bohemis* eo usque prorogaret donec ex magistro *Pruschiae* cognosci  
 » posset an aurum expetitur in promptu habeat. Nam ex *Almania* etsi omnes pos-  
 » sessiones venderentur, non tamen pactionibus satisfacerent. Ea fere omnium sententia  
 » fuit; placuit tamen expectari marchionem quem brevi affuturum dicebant, ut ex eo  
 » pressius omnia cognoscerentur. Qui eum post aliquot dies ex *Praga* reversus fuisset  
 » et conventum audivisset, multa eum *Pruthenis* religiosis agitat, conventaque eum  
 » *Bohemis* recipi suadere nititur. Nam eam rem unicam esse viam qua vindicari  
 » *Pruschia* valet; nec mirum videri debere magnam expeti pecuniam ubi magna auxilia  
 » promittuntur. Homo eloquens et auctoritate praeditus facile omnes in suam sententiam  
 » trahit. Religiosi vel invitati marchionis sequi consilium statuunt. At dum quaerunt

» aurum neque inveniunt, ex proposito excidunt, rursusque concilia legatorum Caesaris  
 » et aliorum quaerunt, fit conventio in praetorio civitatis. Ibi cum exposita essent ea  
 » super quibus consulendum videbatur, eques quidam Franco, homo minime malus : —  
 » Nescio, inquit, quinam homines Theutones sumus; juris certe nostri atque communis  
 » boni desertores sumus; omnes quae sua sunt quaerunt, et nos regni nostri fines ac  
 » jura negligimus. Gallici pro jure coronae suae pugnant; Anglici mori malunt quam  
 » de coronae debito quidquam dimittant; Hungari bellum assiduum pro corona gerunt;  
 » Bohemi cum Saxonibus de limitibus coronae litigant; Poloni Prusiam ad suam  
 » spectare coronam dicunt. Et quid nos desides de nostra corona dicimus? Et quae, oro,  
 » corona est cujus vel majora vel digniora sunt jura? Nemo coronae nostrae curam gerit:  
 » corona excellens est, sublimis est; sed nemo eam respicit, indefensa desertaque manet.  
 » — Tunc Gurencensis episcopus: Miraris, inquit, ut video, vir bone, non esse qui coro-  
 » nam nostram tucatur; tacite quod illa cingit caput accusas, quasi elingue, quasi  
 » mutum sit. Desine, obsecro, mirari. Non est capiti nostro quod manduces. Ceteri reges  
 » divitem cameram habent, hinc jura coronae tucantur; tamen nostra inops nichil regi  
 » nostro praebet. Age deinde, qui sunt jura coronae occupantes nisi nostri? Si velit im-  
 » perator jura coronae vindicare, suos primum principes in jus vocare cogetur; quod  
 » an tutum sit, ipse nosti. Nycholaus, cardinalis Sancti-Petri, sermonem institutus est.  
 » Licet dolere, licet flere nostrae nationis statum. Nescimus more hominum vivere, neque  
 » caput nostrum in honore habemus. Inde cum eo perimus; omnes tangit nos illa quam  
 » ferunt fabula. Ægre fuit aliquando manibus et pedibus quod se laborantibus stoma-  
 » chus omnia consumeret eorum parta labore, statuerunt cessare ac nichil ori porrigere,  
 » ac cessante nutrimento, cessare corporis vires, neque pedibus, neque manibus vigor  
 » inerat. Cognoverunt igitur errorem suum, atque tum in gratiam redeuntes, quae illi  
 » necessaria erant, ministrarunt. At nos multo insulsiore sumus, qui etsi videmus  
 » statum nostrum deficere, regi tamen nostro, qui stomachi loco est, nichil praebemus.  
 » Quod si pergimus, hoc modo actum est de natione nostra, omnes in circuitu nationes  
 » nos invadent, erimusque eunctis in derisum et subsannationem. — Ibi et Johannes  
 » Lysura et ceteri multa locuti sunt quae ad reformandum imperium ex usu putaverunt;  
 » omnium vero ea sententia fuit non posse stare rem Theutonicam nisi capiti consu-  
 » lerent. — Post haec rursus de Pruthenis agitatum est, cumque religiosi negarent se  
 » posse argentum invenire quod Bohemis darent, ad sententiam legatorum Caesaris  
 » deventum est, qui tractatus amicabilem intemptari persuadebant. Cardinalis Sancti-  
 » Petri rogatus hanc provinciam suscipere: Prohibitos cardinales, ait, in jussu Romani  
 » praesulis, cujusvis hominis legationem gerere, neque proficisci quopiam absque  
 » dominicae signo crucis, quod autem rogatu Caesaris Ratisponam petivisset, id actum  
 » esse ex Nicholai pontificis jussione. Diu ventilata res est, nunc hoc, nunc illud con-  
 » cioni videri melius; nusquam tamen pedem figere, neque finem invenire disputatio-

» num. Tum Senensis episcopus : — Si michi auscultatis, inquit, duos pluresve nomine  
 » vestro legatos ad regem Bohemiae transmittatis, qui novitatem Pruthenicam huic  
 » conventioni molestam dampnosamque reipublicae christianae visam fuisse dicant,  
 » rogentque consiliarios suos ad regem Poloniae una dirigat, rogatum inducias cum  
 » religiosis, et suo civitatumque Pruthenicarum nomine amplectatur, velitque Vratisla-  
 » viae aut alio in loco conventum fieri, in quo de universis controversiis quae Prutheni-  
 » quaeve Poloni cum religiosis habent per communes amicos transigatur. Eo namque  
 » et Romanus pontifex legatum de latere et imperator cum electoribus praestantiores  
 » oratores emittent. Vos interea temporis papae supplicatis, id muneris cardinali  
 » Sancti-Petri comittatur. — Probavit consilium hoc Albertus marebio, moxque illud in  
 » theutonicum sermonem vertit. Ceteri omnes assensi sunt. Scriptum est Romano pon-  
 » tifici, legati quoque delecti qui ad festum Ascensionis dominicae convenient. » —  
 Sequitur alia epistola ejusdem Eneae de situ Livoniae et fere de eadem materia : —  
 « Livonia, christianarum ultima provinciarum, ad septentrionem Pruthenis jungitur.  
 » Tartari eam saepe incurrunt, in qua nostra aetate magnas acceperunt strages. Fratres  
 » Theutonici qui Beatae Mariae vocantur, hanc armis quaesivere et Christi sacramenta  
 » recipere coegerunt, cum essent antea gentiles et ydola colerent. Eam alluit ab Occi-  
 » dente mare Balteum quod plerique veterum Oceanum esse asserunt. Nondum Sep-  
 » tentrio, ut hodie, cognitus Graecis atque Ytalis fuit. Christiana religio hanc orbis  
 » partem nostro generi aperuit, quae fortissimis gentibus deteresa barbaris mitioris  
 » vitae cultum ostendit. Baltheus sinus adeo late patet ut incomptae magnitudinis  
 » apud aliquos esse videatur. Origo ejus ex Britannico mari ducitur quod Germanicum  
 » potest appellari; nam et Germaniae magnam partem alluit. Ostium ejus in Occidente  
 » est, non longe a Cheroneso Cymbrica quam Daciam hodie vocant; excurrans autem  
 » in Orientem, panditur in Septentrionem insulasque magnas alluit. Occidentale litus  
 » Norwegi occupant; ad Septentrionem semiferos homines esse tradunt, cum quibus  
 » nullum linguae commercium navigantes habent, signis tamen et nutibus commutare  
 » merces feruntur. Meridionale litus Saxonibus ac Pruthenis traditur. Orientale, ut  
 » diximus, Livones tenent. Inter Livoniam et Pruschiam parvam terram esse ferunt  
 » unius ferme diei latam itinere, quam Massagetae colunt : gens neque pagana, neque  
 » christiana, Polonorum parens imperio, atque hinc regnum Poloniae ad mare protenditur  
 » et ad sinum Baltheum. Redeunti ex Livonia in Germaniam per litus Balthei maris,  
 » post Massagetas Prutheni sese objicere videntur, qui ripas utrasque Visceae amnis ac-  
 » colunt. Is est Sarmatae ac Germaniae terminus, qui exoriens in montibus qui Poloniae  
 » Hungariamque dirimunt, partem Poloniae irrigat, Pruschiam vero quam longa est,  
 » percurrit ab oppido Thorni usque Gedanum, quo in loco Baltheum influit. Hunc  
 » fluvium alii Wistelam, ut diximus, quibus aetatis nostrae sermo congruit, alii Justu-  
 » lam, alii Ystulam vocavere; quod ultra fluvium, est Sarmaticae juris, quod citra Ger-

» manici. Ad Orientem ac Meridiem Massagetæ Polonique rura colunt; Occidentem  
 » Saxones occupant; Aquilonem Balthæi maris excipit littus; frumenti ferax regio est,  
 » aquis irrigua et plena colonis; multa ambitiosa opida, multi maris sinuosi reflexus  
 » amœnam efficiunt; pecorum ingens vis; multa venatio; piscatio dives. Ulmerigos olim  
 » hanc terram coluisse Jordanus tradit, quo tempore Gothi ab insula Scandavia in  
 » continentem descendere, qui per Jusculam, ut ille ait, Gytones penes Ystulam fluvium  
 » habitare affirmat. Barbara hæc gens et ydolorum cultrix usque ad Fredericum im-  
 » peratorem ejus nominis II<sup>um</sup> fuit. Sub ejus imperio cum amisissent christiani Ptho-  
 » lemæidam, Syriæ civitatem, fratres Theutones, quos Beatae Mariæ diximus, inde  
 » fugati in Germaniam rediere, viri nobiles et rei militaris periti qui, ne per otium mar-  
 » cerent, Fredericum accedentes Pruschiam Germaniæ conterminam Christi cultum  
 » spernere dixerunt, sæpe illius gentis homines in Saxones ceterosque vicinos excurrere,  
 » ingentem vim pecorum atque hominum abigere, esset in animo sibi compescere bar-  
 » haram gentem, annuat tamen imperator perpetuo provinciam jure possidendam fra-  
 » tribus, tradat si eam armis acquirant. Jam enim Masoviae duces qui ejus se terræ  
 » dominos affirmabant, jus suum fratribus cesserant. Grata oblatio Frederico fuit, qui,  
 » collaudato proposito, quas voluere fratres sub aurea bulla litteras concessit. Illi,  
 » sumptis armis, brevi tempore, quidquid Pruthenici juris citra Vistelam fuit, occu-  
 » pavere. Exinde transnato fluvio, vetustam et late patulam quereum in castelli modum  
 » erectis propugnaculis juxta ripam munierunt, ubi collato praesidio ulteriores Pruthe-  
 » nos vexare coeperunt. Pugnatum est sæpe pro quereu, et ingentes paganorum copiae  
 » fugatae ac deletæ sunt. Bellum pluribus annis productum est; ad extremum fortuna  
 » fratrum imperio arridens omnem eis Pruschiam subjecit. Victæ sunt igitur barbaræ  
 » nationes. Ex illo tempore, lingua theutonica introdueta est, et cultus Christi gentibus  
 » imperatus; ecclesiæ quoque pontificales erectæ trans Wistelam, Pomeraniensis,  
 » Culmensis, Sambiensis et Varimiensis, ad quam, defuncto nuper Francisco episcopo,  
 » parvitatem nostram postulavere canonici; Calixtus pontifex magnus eam nobis, an-  
 » nuente senatu apostolico, commendavit, quæ una est illis in partibus jure suo utens,  
 » nec subjecta fratribus: reliquos episcopos religionis habitum gestare oportet. Quo in  
 » loco munitam quereum diximus fuisse, nobile oppidum exaedificatum est quod Mariæ  
 » Burgum vocant, et arx nobilis atque amplissima: hic sedes magni magistri qui fra-  
 » tribus cunctis præest Pruschiam incolentibus. Sunt et alii duo in eadem religione  
 » magistri: alter Livoniam regit, alter conventus Almaniæ gubernat. Theutones hujus  
 » religionis inventores fuere, ac propterea nemo ad eam recipitur nisi Theutonicus,  
 » nobilibus ortus parentibus, et cui propositum sit pro tuendo Christi Evangelio ad-  
 » versus salutiferæ crucis inimicos armis depugnare. Ob eam rem vestimentis albis  
 » utuntur, nigra cruce insuta, barbam omnes nutriunt, exceptis qui sacris altaribus  
 » deserviunt; pro canonicis horis dominicam orationem usurpant, neque litteras dis-



» eunt; magnae hiis opes nec minor potentia quam regibus. Saepe cum Polonis de regni  
 » limitibus acceptis illatisque cladibus contendere, nec totis viribus belli fortunam expe-  
 » riri recusarunt. Cum Ladislao Casimiri, qui modo regnat, patre, contraxerant ambae  
 » partes validissimas atque ingentes copias; Polonis Lituani et Tartari adjuncti erant,  
 » quos duxerat Vitoldus; Theutonici fratres ex tota Germania vires conciverant. Post-  
 » quam prope ad viginti ferme stadia uterque exercitus consedit, spe plenus et impatiens  
 » more Theutonicorum, magister caduceatorem qui bellum regi denuntiaret et duos  
 » enses in quibus staret victoria, misit; accepit Vladislaus alacer nuncium, donatoque  
 » caduceatore, uno retento gladio, alterum remisit. — Mox jussi milites arma induere,  
 » bellique signum datum, sexaginta milia equitum in ambobus castris fuisse proditum  
 » invenio. Ladislaus Tartaros ac Lituanos primum inire certamen jussit; ex Polonis  
 » subsidiarias acies elegit, contra Pruthenos auxilia in postremis habuit, florentem  
 » ordinis sui militiam in exercitus fronte collocavit; commisso praelio, inermes quodam  
 » modo Tartari ac Lituani magna strage caesi sunt. Urgebat tamen multitudo, nec  
 » terga dare Polonus metuens audebat. Atrox pugna fit; super cadavera occisorum  
 » edebatur; protractum est diu certamen, peraeta ingens occisio. Lituani Tartarique  
 » veluti pecudes mactabantur. At cum novus semper hostis emergeret, defessi tanta  
 » caede peraeta Theutones versare ferrum vix poterant et jam remissius pugnabant.  
 » Quod ubi Ladislaus animadvertit, tum primum Polonorum aciem validam ac ferro  
 » vigentem immittit: fit subita irruptio, instauraturque praelium. Non tulere Theutones  
 » recentis agminis impetum; impar pugna recentis et fatigati militis. Oritur mox fuga  
 » ex parte fratrum, ferit in terga Polonus. Magister ordinis ubi suos cedere videt, nec  
 » jam ullam in auxiliis spem esse animadvertit, collecta militum manu, hosti sese ob-  
 » jectans, occiditur. Fit faedior fuga, nec prius Theutonicus fugere quam Polonus perse-  
 » qui destitit. Perierunt in eo bello multa fratrum milia, inter quos viri primarii quos  
 » vocant commendatores, equestri dignitate insignes, cum ipso magistro circiter sex milia;  
 » nec Polonis ineruenta victoriu cessit, Tartaris ac Lituanis ex magna parte caesis. Bel-  
 » lum hoc anno M° CCC° et decimo gestum est. Prusebia fortunam regis secuta omnis,  
 » excepto burgo Beatae Mariae ad victorem deficit. Sed, interveniente Sigismundo  
 » Caesare, pax inter fratres et Polonos constituta est, percussumque foedus, pecunia  
 » Polono data; Prusebia reddita fratribus, nec deinde usque ad Frederici III<sup>i</sup> modo im-  
 » perantis tempora, in agri possessione turbata religio est. Sub ejus vero imperio cum  
 » populares grave sibi imperium et jugum fratrum existimarent, foedus inter se iniere,  
 » hoc modo videlicet ut xvi viri singulis annis certis in locis convenirent qui provincia-  
 » lium querelas adversus fratres audirent, nec sinerent quempiam indigne vexari. Ex  
 » hiis quatuor ex religione viros assumi voluere, quatuor ex praelatis, ex nobilibus autem  
 » et civitatibus octo, et hiis parere omnes voluere. Per idem tempus divisa inter se  
 » religio fuit; alii autem magnum magistrum sequebantur, alii quosdam commenda-

» tores qui magistri regimen improbant. Magister, ut populares sibi alliceret, foedus  
 » ipsum inconsulto fratrum conventu approbavit. Fredericus quoque imperator eidem  
 » foederi robur adiecit cautione tamen inserta ne per suas litteras jus religionis laede-  
 » retur. Mortuo deinde magistro qui foedus acceperat et altero in ejus locum suffecto,  
 » Nycholaus pontifex legatum misit qui provinciam Pruseliae inspiceret, cognitoque  
 » rerum statu quantum legatus retulit, popularium foedus dampnavit, utque ab eo dis-  
 » cederent anathema interminatus imperavit quibusdam pertinacius in sententia perse-  
 » verantibus; ex consensu partium lis ad Fredericum Caesarem deducta est, apud quem  
 » rursus causa cognita, dampnato foedere, jussi Prutheni sunt ad obedientiam fratrum  
 » redire, qui eam provinciam e manibus infidelium suis armis vendicassent multoque  
 » sanguine coemissent. Qua re civitatibus nunciata, mox arma in fratres populariter  
 » recepta sunt, ex quibus plures capti atque occisi, castella eorum eversa, arces a funda-  
 » mentis ejectae, quinquaginta et quinque oppida in eam rebellionem conspiravere. Sed  
 » cum non satis rem suam contra religionem sine externa ope tutam putarent, Casimi-  
 » rum, Poloniae regem, sibi dominum asseverare, devotum fratribus sanguinem, qui for-  
 » tunam patriae ejus experti fuissent. Ille cum exercitu provinciam ingressus, dedentes  
 » sese civitates in potestatem accepit. Cum quo fratres diu varia victoria dimicant;  
 » plures fuere congressus inter quos memorabilior qui apud Conitium opidum habitus  
 » est, decem et octo milia Polonorum qui obsidionem in eo loco tenebant, in quo et rex  
 » ipse Casimirus fuit; oppugnabatur oppidum dies noctesque machinis admotis. Rodul-  
 » plus princeps Sagoriae, unus ex Slesiae ducibus, tunc religionis ductabat exercitum  
 » qui laturus obsessis opem cum septem milibus militum aggredi regem non dubitavit.  
 » Commissum est praelium in conspectu opidanorum, utrinque summa contentione  
 » atque ardore, caesis hinc atque inde compluribus. Cum suos referre pedem Rodul-  
 » plus animadvertit, inerepans ignaviam fugientium interminatusque necem, aciem sistit  
 » et progressus in medium cum recenti pugnatorum manu acre certamen instaurat, hos  
 » sternit, illos confodit; fit subita rerum mutatio. Urgente Rodulpho, cedit Polonus;  
 » rursusque Casimirus rex suos retinet, pugnaeque seipsum miscet, et tanquam ex  
 » integro pertinaci contentione certatur. Occiditur in pugna Rodulphus. Rex vero equo  
 » dejicitur; meliores ex utraque parte succumbunt. Postremo caesum credentes Poloni  
 » suum regem, desperata victoria, fugam arripiunt. Rex ab amicis adjutus vix ex clade  
 » ereptus est. Rodulphus morte sua victoriam religioni peperit; ex Polonis supra sex  
 » milia cecidisse feruntur, ex Theutonibus quoque non pauci periere. Post eam eladem,  
 » res Polonica nutare apud Pruthenos coepit, eo inclinantibus populis quo belli for-  
 » tuna quaeritur. Stat tamen adhuc anceps exitus et alterius Martis judicium moratur.  
 » Ferunt inter hos fratres, olim mortuo magistro, cum de successione ageretur, unum  
 » fuisse qui rogatus eligere quem putaret religioni utiliore, seipsum elegisse, dicentem  
 » nolle dejerare, scire se cogitationes suas, aliorum corda ignorare, si magistratus sibi

committatur, non dubitare quin rei publicae bene consultum eat; motos ejus verbis reliquos administrationem illi credidisse, quae saluberrima deinde fuisset si non Mariae Burgum stipe conducti per defectum solutionis ultro contrariis villis vendidissent. Cives enim Dansyenses, pecunia corruptis data, gloriosae Virginis Mariae statuam ab eisdem maximi ponderis non solum acceperunt, sed et totum castrum Casimiro Poloniae regi circiter anno Domini M° CCCC° LXXI° resignaverunt.

Eadem die qua Eugenius, Romae coronatus, consistorium teneret, tumultuatum est ut in ipsa fuga Senegaliae episcopus, e gente Melina natus, Romanus, obtritus fuerit; sed ex industria vitavit Eugenius tumultum Romanorum, cujus dux Stephanus de Columpna, vice-camerarium Martini papae Oddum, captivum de gente Ursina duxerat, unde pugna successit qua plures cecidere pluresque capti fuerunt. Stephanus tamen ab Eugenio postea decessit et adhaesit principi Columpnensi eum gravi jactura sedis apostolicae, quod diceret Eugenium in animo esse propellere Columpnenses ab Urbe. Sed a soldano dum veneno pontifex impetitur, pacem eum eisdem statuit, Angelo eo Fosco Romano cive eurante, quem cardinalem mox creavit eum Francisco Condelmario, nepote suo ex sorore nato, cujus alter nepos adhuc mercantiis vacabat. Populus post hoc Januensis contra Venetos coepit dissentire propter loca capta, et Nicholaus Fortebrachium, qui ab Eugenio decesserat ex defectu stipendiorum, cepit Franciscum camerarium papae, pulsoque comite Taglocotii, Stephanum Columpnam interfecit; ingressus Romam magistratus papae deposuit, fugitque Eugenius Tyburi versus Ostiam cum Arsenio monacho, sub habitu et cucullo monastico. Romani, cognita fuga Eugenii, arcem Sancti-Angeli oppugnabant, sed fraude praefecti Anthonii Rillii et Baltasari capiuntur aliqui.

Hoc anno, Romae pugnatum est inter milites Eugenii papae et Columpnenses, et captus est archiepiscopus Beneventanus, Anthonii Columpnae filius. Masius presbiter qui Columpnensibus castrum Sancti-Angeli prodere voluit, degradatur et dilaceratur. Veneti captum comitem Carmignolae capite multaverunt, ad quos missus Nicholaus Estensis ad pacem invitavit. Pax ita convenit ut Philippus, Januae dux, redderet Glaream, Abduam, marchionatum Ferrariae et dominatum Orlandi Pallavicini. Sed Philippus rerum cupidus ducem suum Franciscum Sfortiam misit in Apuliam, quam Alfonsus, rex Arragoniae, vexavit, Alovio rege Ceciliae pulso, ut ad romanam potestatem redigeret.

Anno M° CCCC° XXXI°, apoplexia obiit papa Martinus V<sup>us</sup>. Et monachus quidam nigri ordinis, Oddo, qui hunc papam gubernaverat in vita sua, quasi conscius, de thesauro accusatur, et in quatuor partes Romae corpus ejus laecatur. Cui successit Eugenius quartus.

Anno Domini M° CCCC° XXXI°, v<sup>to</sup> nonas martii, Gabriel Condelmarius electus est et vocatus Eugenius IV<sup>us</sup>. Primo repulsam passus est a Stephano principe Columpnensi, qui,

cum Odonem episcopum Tiburtinum, cubicularium Martini papae, indecenter ut aurum ei ostenderet, tractasset, Arenis intravit Urbem, captisque cardinalibus ipsum Eugenium exire compulit. Tunc milites Eugenii filium ipsius Stephani archiepiscopum Beneventanum eum fratre suo Masio occiderunt; et ad talionem illico Columpnenses conversi sunt. Sic Roma quassatur.

Nota de episcopo Trajectensi Suedero citato ad concilium Basiliense, ubi defunctus est, cui Rodolphus successit de Diephout.

Albertus, Dei gratia dux Austriae et marchio Moraviae, concilio Basiliensi scripsit qualiter Bohemi hostiliter terras suas ingressi incendia, stupra et alia enormia perpetrassent, ut super hoc providere vellet, accusando eos de perfidia, quorum articuli xx fuerunt, quibus omnem ecclesiasticum statum condemnare videbantur, et alii xv vel xvi quos cum protestatione se observare ad mortem confessi sunt, item adhuc quatuor eorum articuli, quibus pertinaciter contrariantur papae et toti clero, quos sustinere voluerunt. Procopius autem rector communitatis Thaboritarum Bohemorum hereticorum, ut redire vellet ad fidem, scripsit Sigismundo; post praelium, quo Procopius et alii heresiarchae Bohemi ceciderunt, tanta inundatio aquarum facta est in regno Bohemorum ut ex illuvie plures villae corruerunt et Pragae magna pars civitatis diruta est. Pons cui similis non erat in orbe, funditus eversus, molendina omnia circum Pragam destructa et alibi deleta, in diversis locis, multis utriusque sexus viris et foeminis cum parvulis eorum submersis. Johannes dux Bavariae et marchio Brandenburgensis salvum conductum Pragensibus detulerunt.

Bellum Lotharingorum et Barensium in quo Renatus, frater Ludovici ducis Andegaviae captus est, duceique Burgundiae deliberatus.

Renatus dux Barensis quando captus fuerat a duce, recepit coronam, quam nunquam portavit de post. Alfonso rege Arragonum praepediente ac regnum illud occupante, Ferdinandus ejus filius successit.

Post mortem Martini papae V<sup>ti</sup>, successit Eugenius apud Romanos; et Felix V<sup>us</sup>, qui dux Sabaudie fuit, atque Johannes de Luna, seismatici, pro papatu contendere coeperunt; sed Eugenius reputatus est pontifex, quamquam non illico obeditus. Hujus Eugenii secundo anno, Sigismundus imperator in regem Romanorum ordinatur qui, non minus quam uni Machabeorum comparandus, supra fidelium adversarios Turchos pugnavit, omnibus diebus assumptionis suae. Cui successit Albertus de Austria cum filia Sigismundi, ex qua Ladislaum reliquit, qui fuit intoxicatus sicut et Albertus. Tunc Fredericus III<sup>us</sup> subsequebatur in imperio tam Romanorum quam Almanorum. Sigismundus imperator ad concordandum Romanos cum Eugenio, ingressus Romam, pacem fecit et filiam Stephani Hildebergensis, neptem suam, dedit uxorem Ludovico comiti Mantuae, filio Johannis Francisci quem investivit Florentiae Eugenius. Concilium quod Martinus papa Basileae statuerat, per Eugenium vocatur Ferrariae propter Graecos. Unde sur-

rexit primus error inter papam et suos subditos qui deposuerunt Eugenium apud Basileam. Verum in omnibus ejus adversis praevaluit pontifex, auxilio Sigismundi imperatoris.

Hoc anno M° CCCC° XXXI°, Mediolanensis classis Januae comparata, Venetis ac Florentinis victoribus superatur ad littus Januense, xi navibus longis in fugam interceptis, et Philippi Maria ducis Mediolanensis copiae, supra tria milia equitum, ab equestribus Florentinis sub Corpono, Pisani agri opido, majori parte capiuntur.

Arnoldus Buederic in Rubea Valle, ordinis regularium canonicorum, claret, qui sese novum Oratium legentibus praeiit.

Cristannus rector omnium magistrorum civitatis Pragensis, una cum Johanne Rocquisano et Petro Payne, Anglico, etc., diversos articulos in praesentia totius coetus proposuit, qui propositionum suarum a dompno Johanne, abbate Cistercii, decisionem in contrario suscepit.

Hoc anno concilium Basiliense incepit quod Martinus instituit celebrandum et Julianus Sancti Angeli cardinalis, legatus Almaniae, prosequutus est de consensu Eugenii IVi, procurantibus Sigismundo imperatore, Frederico Brandeburgensi marebione cum aliis electoribus imperii, anno salutis M° CCCC° XXXI°, tertia mensis julii. Sed cum personaliter Julianus non posset interesse ad praesidendum in hoc concilio, vices suas commisit reverendis patribus Johanni Polemer et Johanni de Ragusio, sacrae theologiae magistro, ordinis predicatorum. Sigismundus Romanorum Dei gratia rex semper Augustus, ut ex data litterae patet, anno XXI°, Bohemiae rex anno XI°, et Ungariae, Dalmatiae, Croatiae rex anno XV<sup>to</sup> cunctis mandavit accedere. Sigismundus animum ad errores Bohemorum extirpandos adiecit, qui necdum rationibus sed armis errores suos defendere conabantur. Articulis Bohemorum divulgatis, pene totius Ytaliae et Almaniae principes convenerunt in reformationem Ecclesiae, praecipue quoad illos articulos qui concernebant ecclesiasticos: dixerunt errare ecclesiasticos et opus esse reformatione inter illos. Nam alter alterum in ambitione dignitatum spiritualium non solum praevenit symoniace, sed in dispendium salutis ob inexplebilem avaricitiam insectandam unusquisque nisus est ut quo pluribus emineret beneficiis, tanto laetabatur aliis in deliciis.

Hoc anno Philippi ducis Mediolanensis supra m<sup>m</sup> capiuntur et prosternuntur copiae, sed anno Domini M° CCCC° XXXV°, Arragonum fratres, Alfusus rex Ceciliae et Johannes rex Arragoniae a Januensium classe capti, deliberati fuerunt dieto Philippo Mediolani, quos in fide susceptos remisit ad propria. Hoc autem Januenses indigne ferentes sese in libertatem vendicarunt; et infensus Philippo Sigismundus imperator ab eo recessit; sic paucos amicos retinuit ac prae dolore obiit ab apoplexia. Fit dux Mediolani Nicholaus Piceninus, qui mox Brixiam optinuit et Veronam in singularis memoriae facinus.

1452.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XXXII<sup>o</sup>, apud Gandavum magnum murmur exortum est propter monetam ducis noviter factam, et sunt in eadem villa plures capite truncati, qui commotionem illam proposuerunt.— Elizabeth ducissa peperit Gandavi secundum filium, Judocum nomine, qui paucis etiam supervixit diebus.

Hiis temporibus, Sigismundus imperator venit Romam ut ab Eugenio coronaretur et ungeretur in regem et imperatorem Romanorum; nichil aliud petens nisi benedici ac consecrari. Duxit autem numerosam nobilium copiam secum ex Alemania, Bohemia et Hungaria, unde fuit rex, cum tribus aut quatuor magnis principibus, captivis suis, quos ceperat in Tartaria et Turkya, sic quod numerum circa quadringentorum militum cum ceteris sibi subjectis haberet cum Romam intraret; Romani cum duodecim legionibus obviam exierunt, habentes v<sup>o</sup> personas cujuslibet legionis vestitas imperatoris Sigismundi divisione. Praecessit autem equus phaleratus ipsum imperatorem et deinde quinque caballi deferentes ad utrumque latus magnas coferos sive canistros plenos argenteis denariis quos rejecerunt decem viri circumquaque per vicus, donec imperator ecclesiam intraret beati Petri apostoli. Ibi facta oratione et reverentia summo pontifici, cum magna pompa patriarcharum, cardinalium, archiepiscoporum et episcoporum suorumque nobilium deductus est in hospitium. Sequenti vero die, summo pontifice missam celebrante, fecit Sigismundus officium suum et cantavit Evangelium indutus habitum dyaconatus. Finito sacrificio missae, papa illum statuit coram universis, et dextro pede suo coronam imposuit capiti ejus. Mansit autem tribus mensibus Romae, ubi cum maxima vigeret mortalitas, trecentisque militibus pestilentiali febre defunctis, se recepit in civitate Florentia; et hinc pergens Venetiam venit, ibique magnifice susceptus, et sic reversus est in Hungariam.

Eodem anno capta fuit villa de Montargys in Francia per capitaneos regis Franciae, dominum de Gravelle et de Guitry. Sed ipsis se ab ea retrahentibus, statim Anglici receperunt eam. Quod cum dominus de La Tremouille rescivisset, non illico tantam diligentiam adhuc ad recu-

perandum eam, quemadmodum Franci putabant. Hac igitur de causa depositus fuit praefatus dominus a gubernatione commissa sibi, qui se recepit in castro suo de Chinon. Quo cubante in lecto suo, capitaneus loci Oliverus Fetart intromisit dominum de Gaucourt, dominum de Bueil et plures armigeros eorundem, quorum unus intravit cameram et vulnerans eum cepit et regi praesentavit; intravitque eo tunc Karolus Andegavensis, frater reginae et gubernationem suscepit. Ipse autem dominus de La Tremouille solvit vi<sup>m</sup> scuta et deliberavit comitem de Thonoire quem captivum tenuerat apud Chastillon.

Item hoc eodem anno, fuit obsessa villa Sancti Celerini in comitatu de Mayne, Francis convenientibus cum domino de Bueil contra Anglicos, in villagio de Bybain fugerunt, occisis utrinque xv<sup>o</sup> hominibus. Sic levata fuit obsidio supra Anglicos, inter quos erat dominus de Schalles et dominus de Willy, capitanei Anglicorum.

Accidit etiam miraculum apud Coloniam, ubi lapis pergrandis figurae casu suo supra unum de tribus ibidem regibus cecidisset; sed rex ille cessit casui lapidis simul et ictui, se servans illaesum in corpore.

---

Hoc anno XXXII<sup>o</sup>, Alfonsus rex Aragoniae et Ceeciliae pugnam habuit in littore punico contra potentissimum regem Thunicii in Affrica, quem tertia septembris profligavit et filium ejus regem Bugiac fugavit, occisis genero regis et nepotibus ejus in fuga cum aliis multis.

## 1435.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XXXIII<sup>o</sup>, comes d'Aronel cum exercitu Anglicorum cepit Sanctum-Celerinum, et paulo post obsedit Silly, cujus capitaneus diem statuit Anglicis juxta quamdam ulmum dicti castris respondendi super redditione loci, casu quo Franci non apparerent; idem significavit capitaneus praefatus capitaneis regis, ut cum forti manu adessent; venerunt igitur ex parte regis Franciae, dux Alenconiae, Karolus Andegavensis, comes de Richemont, connestabularius Franciae, mareschalli de Rex et de Reux, dominus de Loheac, dominus de Graville, dominus de Bueil et ceteri

usque ad vi<sup>m</sup> pugnatorum. Comparuit simul comes d'Arondeel a latere cuiusdam rivuli, non audens congregari cum Francis. Quod cum audissent Franci, redditis hiis qui tenebantur in ostagio, processerunt et liberaverunt castrum de Silly. Fugit autem comes d'Arondeel cum vii<sup>m</sup> Anglicorum versus civitatem Meldensem in garnisono suo cum ceteris.

Dux Burgundiae Philippus, cum uxore sua Elisabeth impraegnata, perrexit ad Burgundiam et hiemavit ibidem; peperitque ducissa tertium filium in profesto sancti Martini, qui filius nomen sancti confessoris in baptismo mutavit et vocatus est Karolus. Nec post hunc filium amplius a marito suo potuit impraegnari. Ipse vero dux postea genuit quinque aut sex filios naturales et filias similiter. Quorum primus David vocatus est; Cornelius alter; Anthonius tertius; Balduinus Insulensis, quartus; Johannes Brugensis, quintus; Raphael, sextus, dictus est Philippus Bruxellensis. De ceteris filiis aut filiabus non necesse fuit ad plenum memorari. David primo fuit episcopus Morinensis, deinde Trajectensis.

---

Nicholaus, dictus Fortebrachium, ab Eugenio discedens, tot tumultus concitavit ut quorsum diversurus esset papa ignoraret. Interim Alfonsus Cajetam obsedit quem Januenses ceperunt bello, ac deliberarunt duci suo Philippo, quem leviter, Thoma Fregoso auctore, dimiserat. Hinc indignati Januenses Thomam in ducem assumpserunt, Philippo depulso, in quo spes Eugenii erat. Idcirco decreto Martini papae V<sup>ti</sup> Basiliense concilium traducere voluit ad Bononiam; sed non valuit impedire, bellis undique praepeditis. Unde Roma recuperata de manibus Columpnensium, Johannem Vitelleschum, natura saevissimum, Romam misit, qui captum Anthonium Pontideram, hostem ecclesiae, turpi laqueo suspendit et pulcellum curru foreipibus oxeruciatum in campo Florae suspendit. Deinde Tarentum cepit et Nolam, cepissetque regem Alfonsum, arte magis quam armis, si non induciae intervenissent, quem, acceptis quae pertinebant ecclesiae, dimisit. Verum Eugenius papa veritus ne Philippus Januensis cum hiis ageret qui Amedeum ducem Saboudiae, socerum suum, eligere voluerunt in pontificem, misit Franciscum Sfortiam Venetis auxilio, quem quidem Florentini ducem paulo post elegerunt; de quo non parum commotus Philippus, dominus Januensis, in ecclesiam arma convertit. Tandem callide Florentini fecerunt ut in locum Johannis Vitellesei, Ludovicus Patavinus haberetur, qui Johannes industria Alovisii Vafri sublatus erat. Hic igitur



caedibus et rapinis agrum implevit Ecclesiae. Quare pontifex Eugenius pene defecisset ut mutato habitu a Roma se subtrahere cogeretur, et ad electionem Amedei qui Felicis V<sup>ti</sup> nomen assumpsit, plures in concilio Basiliensi anhelabant, demptis Germanis qui neutralitatem servavere. Mortuo Sigismundo tamen et Alberto duce Austriae pro corona Romam veniente, Eugenius papa supra contententes praevaleuit, et ad gratiam Romanorum introductus, Graecos et Armenios fecit credere Spiritum Sanctum procedere a Patre et Homousion non solum a Patre esse tantum, ut ipsi prius crediderant, purgatorium credere et in azimo consecrari. Creavitque xviii cardinales, de quorum numero duo Graeci fuerunt: Ruthenus et Nicenus, quorum auctoritate natio Graecorum in fide contineretur. Haec autem fiebant, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XXXIX<sup>o</sup>, quo Johannes Paleologus, imperator Constantinopolitanus, ad Eugenii preces Romam descendit. Cui successit Constantinus, interfectus anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LIII<sup>o</sup>, quando imperator Turehorum vi Constantinopolim cepit. Franciscus Sfortia cum Venetis Philippi Januensis duces apud Soncinum superavit, captis xv<sup>o</sup> equitibus. Tunc Philippus respiciens id, externa praesidia Alfonso Neapolitanum regem quaerentem rogat ut vexaret bello castra Sforeiniana; et hoc egit Philippus ut Franciscus Sfortia Venetis distraheretur; sed a bello inito Franciscum avocare non valuit. Tandem pax facta est ut Franciscus, ducta Blancha, Philippi ducis Januensis filia, Cremonam haberet et restitueret Bononiam Philippo. De quo papa Eugenius indignatus instituit ad recuperandum Ecclesiae patrimonium, et maxima tunc exorta guerra, sic quod nullius pontificis Romani tempora plus guerrarum implicita sinturbationibus.

Nota quod xviii kalendas maii obiit Lidwigis, virgo sancta in Sciedam, oppido Hollandiae, anno aetatis suae LIII<sup>o</sup>, quae jaeuit xxxv annis infirma et xix annis ante mortem, nullo penitus cibo, potu vel sompno utebatur, sed sacra communione super refoellata nulla naturae dimisit superflua, quae multis jam claret miraculis. Unde et ejus vitam descripsit frater Thomas de Kempis, superior in monasterio Regularium prope Zwollis in dyocesi Trajectensi.

Philippus dux Burgundiae scripsit concilio Basiliensi pro domino Johanne Desquay, viro nobili de sanguine Britanniae, ut ipsum electum in episcopum Bajocensem confirmaret, ahrogato intruso.

Philippus recipitur in comitem Hammoniae, Hollandiae et Zelandiae.

#### 1454.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XXXIV<sup>o</sup>, factum est concilium Basiliense, per quod fuit missus pro unione pacis servanda ad regem Franciae cardinalis Cypri.

Venit regina Ceciliae, uxor Ludovici regis, filia ducis Sabaudiae in civitate Viennensi ubi videlicet convenerunt comes Clarimontensis, filius ducis Bourboniae, qui nuper desponsaverat sororem Philippi ducis Burgundiae, item comes Fuscensis, comes de Richemont, comes de Comminges et bastardus Aurelianensis ceterique nobiles et barones plurimi de corona ad festinandam reginam Ceciliae. Quae perrexit cum galleis et navibus versus Neapolim, ubi rex Ceciliae Ludovicus, maritus ejus, eam suscepit in uxorem, quae tribus ferme mensibus ei matrimonialiter conjuncta fuit et tunc obiit: maritus ipse non reliquens semen ex ea. Unde et Renatus, qui captivus ducis Burgundiae fuerat aliquot temporis intervallo, successit fratri in regno praefato; sed non optinuit, infesto ei Alphonso, rege Arragoniae. Misit eodem tempore rex Franciae comitem de Richemont, connestabularium Franciae, et bastardum Aurelianensem cum pluribus armigeris in Picardiam versus villam de Hayn quam tenebant Anglici. Qua capta, vendita fuit praefata villa duci Burgundiae quinquaginta mille salutis. Francis se divertentibus hinc inde, descendit Stephanus de Vignolles, dictus Lahyre, cum pluribus armigeris in Belvacensi territorio. Tandem vendidit Belvacum Picardis.

Item hiis diebus defuncta est ducissa Bourboniae, filia ducis Byturicensis, cujus maritus, dux Bourboniae, captivus fuit in Anglia. In Normania communitas, se contra comitem d'Arondeel erigens, supprimitur, non assistentibus Francis.

Eodem anno, dux Burgundiae Philippus cum tota potentia sua descendens in patriam de Beauvalloys, cepit Belleville, necnon plura alia loca circumquaque. Contra quem venit novus dux Bourboniae, Karolus nomine, qui sororem ducis desponsaverat. Et ita collocti sunt insimul ut pax inter eos firmaretur; statuitque diem idem dux Bourboniae in comitatu Nivernensi comparandi pro foedere componendo inter regem et eundem ducem Burgundiae. Qua servata, venit ex parte regis archiepiscopus Remensis, cancellarius Franciae et connestabularius Franciae. Unde datis treugis, ita tractatum est de pace: statuta est e contrario utriusque partis dies in Attrebatu conveniendi, et sic dux Burgundiae cum Elizabeth uxore sua reversus est Attrebatum.

Hoc anno Leodii se quidam Judaei christianos exhibuerunt propter quoddam miraculum quod Natham magister legis eorum vidit, sicut in littera papae sigillata testabatur. Visio nempe talis erat quod veraciter ad eundem accessit beata Virgo Maria cum puero Jhesu super brachia qui quinque vulnera sub praetextu fidei sibi monstravit. Hoc anno M° CCCC° XXXIV°, Procopius et Lupus seductores Bohemorum id est Thaboritarum, a dominica post festum Sacramenti usque ad horam tertiam diei sequentis praeliando, a principibus Sigismundi usque ad XIII<sup>m</sup> ceciderunt et VII° capti fuerunt.

## 1435.

Anno Domini M° CCCC° XXXV, facta fuit pax inter Karolum septimum, regem Francorum, et Philippum, ducem Burgundiae, in civitate Attrebatensi, et pro rege Franciae comparuit dux Bourboniae, comes Vaudemont, Christoforus, comes Harricuriae, archiepiscopus Remensis et magister Adam de Cambraco, primus presidens Parlamenti; cum duce Burgundiae comparuit dux Gheldriae, dux de Monte, infans ducis Clevensis, comes de Stampes, comes de Ligny et comes Sancti-Pauli. Dux vero Burgundiae petiit includi pacem cum Anglicis eo quod non bene poterat alianciam infringere quam fecerat cum rege Angliae contra coronam Franciae, cum primo coeperat mortem paternam vindicare. Affuit igitur ex parte regis Angliae comes Riquardus de Warwyc et comes de Staffort cum cardinali Vincestriae, avunculo regis Angliae; concilium hac de causa duos miserat cardinales, scilicet: cardinalem Cypri et cardinalem Sanctae-Crucis. Hii duo cardinales ex parte summi pontificis et concilii materiam pacis inter duos reges tractaverunt et concluserunt finaliter, scilicet quod utrumque regnum proprium suum regem servaret; sed rex Franciae ducatum Normaniae dimitteret ad feodum regi Angliae sic quod sibi praestaret hommagium; e contra rex Angliae deliberaret Parisius quam tenuit et omnem terram citra rivum de l'Oize et Sommam quae non fuerat de ducatu praefato; observaret similiter omnem conquestum factum in ducatu de Ghiennes. Hac oblatione facta, praefati comites ex parte regis Angliae recesserunt, et non acceptarunt eam, nec responderunt. Ipse autem Philippus dux Burgundiae foedus percussit cum rege Franciae, et in paternae necis emendam libere servaret civitatem Ambianensem cum terris citra Sommam, item Sanctum-Quintinum in Vyromandia cum castellaniis suis; nec ipse de

cetero, nec successor ipsius hommagia regi praestarent. Insuper institutus fuit regens civitatis Parisius idem dux Burgundiae. Unde indignati Anglici scripserunt duci super hoc quoniam non debuisset fecisse pacem sine consensu regis Angliae, cui juraverat. Idcirco Henricus rex perfidum cum appellavit, et haec metra dictata fuerunt :

Phi nota dedecoris, lippus nocet omnibus horis.

Phi nocet et lippus, nocet omnibus Philippus.

Eodem anno Poton et Lahyre congressi cum Anglicis ceperunt comitem d'Arondeel, dominum d'Oudeville et de Monterollier; sed comes praefatus tybia tactus ictu colubrinae mortuus est praec dolore. Similiter bastardus Aurelianensis cepit Sanctum-Dyonisium. Sed Talbot, quidam valentissimus capitaneus Anglicorum, mediante domino de Schalles, e contrario cepit eam. Nec mora connestabularius Franciae Charles d'Anjou et ceteri de parte regis cum exercitu gravi recuperaverunt locum hunc, pariter cum villis de Dieppe, Fecamp, Haerfluer, Egewille, Tanquarville, Pontoyze, Corbolio, Conte-Robert et Bois-de-Vincennes.

Obit etiam Elisabeth de Bavière, quondam regina Franciae, filia Stephani ducis, fratris Alberti, quae sepulta fuit apud virum suum Karolum sextum, Francorum regem, in monasterio Sancti-Dyonisii.

Circa idem tempus Rutheri Waleranni, fratris domini Nivernensis, intraverunt habitu peregrino Trajectum ut episcopum ejusdem civitatis, Rudolphum neci traderent; sed capti quidam fuerunt et occisi, ceteri fuga salvati sunt.

---

De rumore per Flandriam occasione dolphini Franciae sciendum quod ubique vulgus male movebatur de girovagatione praefati dolphini, dicentes quod ad explorandam fortitudinem locorum, accesserat ad portus et villas nedum Flandriae sed Brabantiae visitandas. Unde quid praesumentes dixerunt cum intrasse patriam ut tandem optineret eam, cum ut aiebat saepius, tractatum Attrebatensem fore factum in grave praecjuditium regni Franciae cassandum esse, si contingeret eum in sede patris sui posse sublimari. Culpare solebat igitur crebrius magistrum Adam de Cambraco, primum praesidentem regalis parlamenti Parisius, qui pro pace regni plus optulerat duci Burgundiae Philippo

quam commissum erat; nec permansurum ideo tractatum imperpetuum idem dolphinus arguebat. Verum, ut de tali materia repetitio nunc habeatur, ego frater Adrianus in Dunis monachus aliqua huic margini supernarravi. Praedictus enim praesidens parlamenti tradidit istos articulos, quos cancellarius Burgundiae, tunc temporis magister Nicholaus Raulin, repetivit in praesentia domini sui ducis Burgundiae Philippi.—Primo quod illustrissimo principi, Philippo duci Burgundiae, Lothariae, Brabantiae, Limburgiae, etc., serenissimus Francorum rex satisfacere petiit super nece Johannis ducis Burgundiae sive de suo seitu vel consensu mors illata sibi fuerat, sive non, in cujus reconciliationem nunquam illos acceptaret rex in gratiam, qui mortis rei fuerant accusati; sed capi, puniri et torqueri permetteret ubicunque possent in regno suo reperiri; cujus articuli contrarium accidit, quia rex permisit Philippum Jossequin et Tannegy latere in quodam castro de pago Pictaviae, plurimosque favorisare cognovit nec impedivit rex, non obstante compromisso, etc., quo publicavit bannitos esse culpabiles detestandi flagitii et omnia eorum bona confiscata.

Secundo, rex Karolus ad septem miliaria nunquam appropinquare debebat duci Philippo, quatenus omnis suspicio tolleretur, et in paternae necis reconciliationem suis expensis ipse rex in eodem loco, quo dux Johannes peremptus fuit, capellam fundaret in qua cotidie pro animabus dieti ducis Johannis et domini de Noyalles secum interfecti, celebraretur; nec complevit idem rex hujus articuli compromissum. Insuper pro animabus praedictorum et omnium occasione guerrarum defunctorum, ad latus villae dietae Monstreaux super Yonam, rex fundaret prioratum de XII personis ordinis Carthusiensis, datis redditibus annuis octingentarum librarum parisiensium, cum omni provisione necessaria, de propriis bonis bene amortisatis, et consequenter crucem altam et sumptuosam prout cardinalis Sanctae Crucis ordinaverat; de quibus usque in hoc tempus nichil adimpletum est, quanquam ipse rex et deputati sui praedicta perficere juraverint, ac sigillis promptissime servarent inchoare dum primum ex manu Anglicorum in obedientiam villa praefata regi staret et maxime in praefixo termino quinque annorum.—Item, pro recompensa jocalium ipsius ducis Johannis per servitores regis ablatorum, rex daret summam quinquaginta mille scutorum aureorum diversis terris solvendorum, cum restitutione collirii, ea tamen conditione, si rex ad plenum informaretur quo devenerit praedictum collirium, quod valde practiosum exstitit; sed de restitutione hac parum deliberatum et nihil nisi lorica ejus, repertum est.—Item, rex augmentabit dominium ipsi duci Philippo suisque heredibus masculinis et femellis de comitatu Masticonensi et ballivatu de Saint-Jangon cum patronatibus et pertinentiis eorundem, salvo homagio regi faciendo in loco ubi respondere consueverunt qui praesens temporibus tenuerunt haec dominia, salvis etiam officariis qui parlamento regio stare tenebuntur. Tamen ipse dux et successores heredes semper ac imperpetuum eos commutare, deponere et revocare poterunt et emolumenta levare secundum ritum ac consuetudinem observatam hactenus: quod

renuntiando concedit ipse rex possidendum imperpetuum ipsi duci Philippo successoribusque suis cum fructibus et proventibus cunctis, et durante vita sua, dux Burgundiae Karolus, filius Philippi, gavisus est; sed filia Karoli mox amisit in occasu patris, anno M° CCCC° LXXVII°. — Item, in ducatu Burgundiae rex non gravabit tallis et impositionibus villas de Cabilone, Lugduno, Tullensi seu Augustuduno, nec villas de comitatu Chadrolotano; sed permittet gaudere fructibus ipsum ducem Philippum, filiumque suum et heredes successores imperpetuum. — Item, similiter renuntiabit rex comitatui Authisiodorensi super quo ballivus de Cenomano nullam actionem exercebit et resignabit duci successorique suo, servato tamen homagio regi praestando, ut supra. Sed dux Philippus pro se ac suo successore super illo articulo relaxationem optinuit in coronatione Ludovici XI<sup>i</sup> prout patebit. — Item, renuntiabit rex castrum de Baro supra Sequanam cum omnibus appenditiis in libertate prout comitatus Authisiodorensis, una cum collatione dignitatis ecclesiae Luxoviensis, quae regi tanquam domino Campaniae posset competere. — Item, imperpetuum ipse rex juri renuntiat tam pro se quam suis successoribus, quod praetendere posset in villis de Perona, Monte-Desiderii, Roya, ceterisque villis, castris aut castellaniis comitatus Arthesiae, donec summa quatuor c<sup>m</sup> francorum enumeranda restituatur ad utilitatem ducis aut sui successoris, derelinquet etiam villas ipsi duci suisque heredibus sitas supra Sommam ab utraque parte, sicut Sanctum-Quintinum, Ambianis, Corbyae, Abbatisvillam, Monstreolum, Dourlens, villam Sancti-Riquarii, Creveueur, Alleues et Mortaengne cum toto comitatu Pontivi, sive dominium ab imperio, sive a corona Franciae dependeat, reservata tamen superioritate regali; neque praestabit rex ullum impeditum super comitatu Bolonesiensi, durante vita Philippi ducis ac filii sui, post quorum excessum ab humanis divertetur ad heredes justos vel ad coronam ubi spectat. Omnia autem praedicta dominia locorum Philippus dux et filius ejus Karolus pro parte possedit; sed in manu forti rex Ludovicus contra Karolum ducem Burgundiae repetiit et obtinuit Ambianis. Post mortem ejus abstulit a filia sua unica praefata dominia, pro quibus tribulatio maxima guerrarum exorta est, quae incepit ab anno Domini M° CCCC° LXXV<sup>to</sup>.

In oppositio praedictorum articulorum serenissimus Francorum rex, quoad vixit, non egit; sed dimisit praefata dominia sub Philippo duce Burgundiae, licet a suis consiliariis pulsaretur continuo ad repetendum quae in grave praesudicium regni domus Burgundiae detinebat, vi potius quam jure concessa in contractu pacis Attrebatensis, non obstante consigillatione partium; noluit tamen hiis monitis acquiescere sed gaudere ducem voluit illis in reconciliationem paternae necis, in quam se forte culpabilem confitebatur. Omnia igitur ad bonum pacis derelicta fuerunt; de quibus dolphinus, id est primogenitus dicti regis Karoli, Ludovicus, informatus media quaesivit perveniendi ad curiam ducis Philippi, post ejus adventum, omnis discordia surrexit in ea, disceptantibus mutuo curialibus, baronibus ejusdem ducis, etc.; et quod pessimae traditionis

genus habetur, in exterminium quorundam coepit regnare tempore conversationis in curia ducis Philippi praefati dolphini, detestanda et abhominanda intoxicationis machinatio, prout ex camerario ejusdem ducis Philippi patuit, quem Karolus, unicus ejus filius, comes de Charoloys, in Rupelmonda cum complicibus aliquibus decollari fecit; nec propterea cessavit aut discordia militum aut etiam praedicta intoxicatio. Quamquam imputaretur nemini, secreto tamen voluerunt aliqui dolphini confici industria. Qualiter autem id evenit, sortilegiata fuit uxor dicti comitis, domina Yzabel de Borbonia; domina vero de Ravesteyn fertur ex ea confectione succubuisse, quae de regia prosapia regum Portugaliae erat orta, filia videlicet Petri regentis Portugaliae, fratris illustris ducissae Burgundiae, dominae Yzabellis, etc. — Item, pro firmitate pacis nexu conclusum erat in Attrebato, quod castrum de Gien cum appenditiis, et dominatio de Dourdan, necnon comitatus d'Estampes, quae quondam dux Burgundiae Johannes possidebat, traderentur in manus ducis Borbonii, cujus ipse dux Burgundiae Philippus avunculus exstat, in donum absque eo quod rex repetendi causam ullam valeat in contrarium allegare, qui quidem articulus non fuit observatus per regem ex integro, licet idem rex filiam suam uxorem dederit praefato duci Borbonii. Dolphinus tamen effectus rex, primum guerras in eundem socerum suum excitavit, et nisi succursum a colligatis principibus suscepisset, dominium suum gladio perdidisset. Unde mox ut frater regis Ludovici, nuper dolphini, persensisset machinationes ipsius, ab eo declinavit et ad noviter factum ducem Britanniae Franciscum properavit, filium Richardi de Montfort, qui rescripsit Philippo duci secreta relata per fratrem regis Karolum, ducem Bituricensem; nec multo post omnes de sanguine regio concluserunt reformare statum regni, et sic evenit occursum in Monte-Herry, de quo fit querela conjurationis in regem, secundum aliquos. — Ceterum quo sufficienter apparuerit receptores Karoli VII<sup>mi</sup> cepisse xxii<sup>m</sup> et viii<sup>o</sup> scuta aurea Franciae de comitissa quondam Arthesii, matre videlicet Ludovici, comitis de Nivers et Johannis comitis d'Estampes, fratrum, filiorum Philippi de Burgundia, comitis Nivernensis, ex Rothomagensi ecclesia ubi vidua sommam hanc pro certo matrimonio reposuerat, ex integro rex tenebitur restituere dictis fratribus; sed hunc articulum improbabilem collegi, eo quod Philippus dux Burgundiae, tutor filiorum, aliunde procuraverit nepotibus suis provisionem. — Item ad decisionem materiae pro qua dudum controversia grandis exstitit, addidit rex Karolus VII<sup>mus</sup> quod ipse dux Philippus, nec pro se, nec pro suo successore, sive pro suis hominibus non praestaret homagium regi pro propriis et hereditariis bonis ac dominationibus in futurum adhuc competentibus, quamquam in litteris passandis rex superiorem se nominarit, sine praedictio cujuscunque dampni, et habebunt vocati venire citius ad servitium ducis quam regis, si requisiti a partibus fuerint; quinymmo rex requisitus auxilium ei feret et nullum foedus cum adversariis Anglicis contrahere poterit nisi de consensu ducis aut successoris, quod ad amicitiam mutuam confirmandam dux regi compromisit, tanquam homo suus, quotiens

opus erit totis viribus. Verumptamen quae sub corona regni Franciae detinentur, post obitum redundabunt illa bona in usum naturalis heredis eorum. Et si qui super amissione querulaverint, ipse rex tenebitur refundere quod occasione guerrarum amissum est. Pro planiori intellectu hujus articuli, multa inexpectata remanserunt tam in camera Burgundiae quam etiam Flandriae. Quapropter parlamentares de Parisius in placitationibus occupati, dixerunt se molestari magis solito, in negotiis ducis Burgundiae, sic quod ad aures regis ipse dux Philippus litteras direxit et nuntios conquereutes de nimia mora negotiorum expediendorum in regali parlamento pro se suisque subjectis hominibus. Irritatus saepe rex indigne litteras ducis audivit, et parlamentares seu scribae Parisius deridere praesumpserunt de duce vel suis hominibus, etc. Fuit insuper articulus singularis quod quotiens ad servitium regis haberent homines ducis Burgundiae comparere, sive dux in propria, vel sub rege, vel sub connestabulario vocatus in armis accesserit, quod semper crucem Sancti-Andrea deferrent. — Satis observatus iste articulus fuit, ymmo quod absurdus valde fuit. Cum esset rex Ludovicus in deletionem Leodiensem, tractus cum Karolo duce Burgundiae, sicut in sequentibus declarabitur, idem signum, civitate capta, rex personaliter detulit tanquam domesticus de curia. — Porro Burgundiae comitatui singula remanerent firmiter stabilita, sed in aliis dominiis resignatis, rex tam ecclesiasticis quam secularibus suas possessiones et beneficia guerrarum tempore perditam restituet, sive mobilia fuerint, sive immobilia, sine quovis impedimento, illis signanter qui suspecti habebantur aut expresse partem ducis tenebant durantibus guerris, ubicunque sub corona Franciae latitarent. Sed an universaliter gavisus fuerint investigare particulariter taediosum esset; creditur enim quod non omnes de parte ducis reparati fuerint in Dolphinatu residentes, aut plane deliberata eorum bona commorantium sub corona. — Insuper super concordia de Attrebatum tractatum est, quod renuntiando confoederationibus, aut compromissis factis tam cum imperatore Almaniae quam regibus aliis, qui possent aut vellent imposterum dampnificare partes, rex Francorum et dux Burgundiae mutuo indulgerent, et ne per aliquem eorum novae confoederationes contraherentur, observarent. Huic articulo non ausus sum absolute obviare quin sine consensu alter de necessitate compulsus fuit conquirere novas confoederationes et hoc per alterationem regum et principum succedentium. Si dux igitur Philippus id temptaverit, idem rex Karolus in vita sua fecit et filius ejus rex Ludovicus plurimum cautelose. Nam nedum cum Almanis sed et cum Hispanis et Italicis novas ligas impetravit, veteras cum Scotis renovavit et cum perpetuis sui regni adversariis Anglicis admisit, de quibus in hoc libello commemoratio subsequitur circa finem ejus. — Super praedictis patentes litteras sigillis tam regis quam omnium de suo sanguine nobilium, praesidens parlamenti tradidit duci Philippo, ad finem ne reclamantur quavis occasione nunc acta, quatenus in omnibus praetactis deservirent ipsi duci et obtemperarent illi, ac si sub jurisdictione regali starent, qui antea feudales



regni nuncupabantur; et e contrario ducis cancellarius suas litteras resignavit regi, sigillatas per nobiles de parte ducis Burgundiae, partibus congregatis et simul id observare jurantibus in manibus cardinalium qui affuerunt in conventu Attrebatensi, sub totius ecclesiae censuris ac poenis gravissimis excommunicationis et aggravationis dampnabilis imperpetuum. Quod si praesumpserit rex in contrarium irrogare duci vel parentibus suis, quod absit, contra eundem regem pro duce Burgundiae stare et velut adversario perfido resistere liceret ac usque ad mortem repugnare viribusque constringere possibilibus. Juraverunt hoc de parte regis: Karolus Cenomaniae, dux Andegaviae, frater Renati regis Ceciliae ac reginae Franciae; Arturus, comes de Richemont, connestabularius Franciae, comes Vindochinensis et ceteri expressi; pro parte ducis juraverunt nepotes ejus, scilicet Ludovicus Nivernensis et Johannes frater ejus, filius ducis de Clivensis, etc. — Et ubi per hos concordia casualiter dirumperetur aut ex proposito, tales secundum ordinationem cardinalium in talem caderent emendam, quod cederet aliis in exemplum notabile. Remensis igitur archiepiscopus, dominus Reginaldus, in verbo regis annuit ordinationi huic, et accordatis hiis duobus, scilicet rege Francorum ac duce Burgundiae, ipsi deputati ex parte Henrici VI<sup>ti</sup> regis Angliae se retraxerunt plurimum indignati de concordia. Quapropter rex Henricus litteras dillidentiae rescripsit duci Burgundiae et hostiliter descendit in Flandriam occidentalem super eum, ut alibi patet. Nam sui satis ad conquestum observandum in Francia taliter vexabantur quod hi paucissimo possent occupari dampno; et quamvis aliquod intulerint, traditorie per nostros fertur evenisse illud; aliter ipse dux Philippus bene villam Calisiae quam obsederat, in deditionem aut in gladio accepisset. Sed pace composita, dum Anglici contenderent conquestum in Francia servare, mandavit rex Karolus subsidium a duce Philippo juxta tenorem tractatus praefati, qui continuo paruit et misit comitem Sancti-Pauli Ludovicum cum fratribus suis, Jacobo comite de Lyngneio ac Theobaldo de Fiennes, qui quidem adjutorio aliorum nobilium expulerunt et penitus eliminaverunt Anglicos a regno Franciae. Deinde rex Karolus ob aliquam informationem sinistre factam, bannivit comitem Sancti-Pauli ex toto regno, qui, cum ad curiam Burgundiae reversus esset, dominus de Renty filiam dicti comitis abduxit. Quam ob causam contra dominum Johannem de Crowwy, patrem ejusdem domini de Renty, lites accepit, occasione cujus dux Philippus ipsum a patria sua bannivit; sed mediante comite de Charoloys in gratiam rediit; et utinam non nimium in eundem confisus, ab eo tempestive declinasset: forsitan ad casum ad quem pervenit, perductus nunquam fuisset. Fuit enim Parisius obprobriose depositus ab officio connestabulariatus et ignominiose decollatus anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXV<sup>o</sup>, utique quo anno rex Angliae Edwardus de Iorch, cum exercitu transfretans, juxta Ambianis cum rege Francorum Ludovico foedus percussit, comprehenso duce Karolo qui de tali pacto male contentabatur. Nichilominus inducias accepit, quae nec sibi servabantur, nec filiae suae post mortem ejus,

stantibus praetactis conditionibus et articulis; rex Francorum serenissimus fidem servavit duci Philippo, nec intulit quod successor praesumpsit, primogenitus ejus dolphinus, qui fere quinquennio conversatus fuit jam in patria dicti ducis ad expensas magnas, quem magnifice tractaverunt villae (vel castra) quas sibi licuerat visitare; quorum omnium oblitus, cum sublimatus esset in solio patris, caleanea sua non veritus est erigere adversus bonum ducem Philippum, quo patienter se tenente per tempus, expertus tandem vix credidit ex industria novi regis proditioes tot posse latere. Descendit enim Ludovicus rex ad eum et perambulavit villas de Ambianis, Attrebatu, Hesdinio, Tornaco et Insulis; ubi castro intromissus partem accepit thesaurorum, et simulatione tradidit in promptis III<sup>m</sup> quasi de propriis pro locorum redemptione. Sed dux Philippus post illam horam faciem videre distulit ipsius, cum nil virtutis, sed proditiois et insidiarum latere in eo perspexerit. Unde et a sancto proposito conversus distulit personaliter invadere Turehos sicut litteris suis aliis principibus significaverat. Haec vulgo dicebantur; sed an veritas patiat, scriptor dubitans minime praesumebat asserere de tanto catholicae fidei rege.

Pax inter regem et ducem Burgundiae confirmavit omnem donationem factam et resignationem villarum de Arthesia. Insuper et III<sup>m</sup> libras rex dedit supra receptam comitatus Viromandiae, occasione comitatus Ostrevantensis cui ex conducto rex debebat praefatam summam.

In pace Attrebatu conclusum fuit quod supra comitatum de Pontivo reciperet dux Burgundiae LX<sup>m</sup> ac tam diu teneret eum quousque eum filia regis nupta Karolo filio ducis Burgundiae solveretur somma de VI<sup>m</sup> aureorum scutorum Franciae.

Hoc anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XXXV<sup>o</sup> Januenses duos reges Arragonensium capiunt et praedicto duci Mediolanensium mittunt.

## 1436.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XXXVI<sup>o</sup>, plures Anglici West-Flandriam intraverunt, devastantes villas aliquas, contra quos Casletenses ac illi de territorio Bergensi cum III<sup>m</sup> virorum processerunt obviam ultra rivum de Grevelinghes. Accrescentibus semper Anglicis, capitaneus Flamingorum Wulfrandus de Heuchy persuasit redire; sed omnibus equestribus cum capitaneis eorum recedentibus, omnes qui remanserunt interempti sunt, caesis aliquibus Anglicis in agressu.

Eodem anno illi de Gandavo cum magno exercitu et similiter Brugenses versus Calesiam properant et cum duce Burgundiae villam obsederunt, capis hinc inde castris in terra de Ghisne, videlicet: Oyen, Marke et Ghisne.

Gandenses autem in propugnaculo villae jacentes quosdam suorum amiserunt in conflictu, nullis eis succurrentibus, quare se ab obsidione retraxerunt. Quod percipientes Brugenses illico secuti sunt, qui villam eorum intrare noluerunt, donec certa privilegia sigillata sigillo ducis Burgundiae haberent. Interim dux Clocestriae atque dux de Yore navigio magno cum pluribus baronibus Angliae ad oras Flandriae cum tribus turmis applicuerunt. Intravit igitur Flandriam dux Clocestriae ac cepit villas de Poperinghes et Balliolo. Quibus succensis, cum magna praeda reversus est Calesiam, ductis secum pueris collectis XI aut XII annorum, plusquam mille, quos Casletenses intercipere simul cum praeda putabant; sed prohibiti sunt per dominum Colardum Vander Clichte de mandato ducis, superiorem ballivum Flandriae. Plurimae autem naves Anglicorum applicare volentes in Oostende repulsae sunt; ubi, dum admiraldus maris, dominus Johannes de Hondscote vendisset se XXX<sup>m</sup>, visus favorabilis ipsis Anglicis, statim occisus est a maritimis Flandriae; processerunt igitur naves illae versus Selusam et in Cadsant multa mala fecerunt, per aliquot dies ibidem comorantes propter ventum qui fuerat eis contrarius. Unde illi de Selusa petierunt auxilium a Brugensibus, qui cum magno numero venientes, non sunt intromissi, vix XL<sup>ta</sup>, et hoc de mandato domini Rolandi de Huutkerke. Capitanei villae Brugensis, autem intromissi, vi ceperunt claves portae. Quod cum ipse perceperat, jussit omnes Brugenses tradi et sagittis eos vulneravit aut necavit. Redeuntibus igitur Brugensibus, steterunt, erectis baculis et vexillis in foro; nec a tali commotione desisterent, quousque correctio facta esset in illos de Selusa et praecipue in dominum Rolandum de Huutkerke, capitaneum eorum, qui eos expulerat et omnes cives Brugenses a praedicta villa sub poena capitis bannierat. Ipsi igitur sic reversi requirebant scire qua auctoritate hoc fecerant; et facta est commotio maxima civium villae Brugensis sic quod omnes officarii citra XXVI annos qui villam rexerunt, mandati sunt comparere; statimque scultetus villae Brugensis, Stasardus Brix occisus est. Unde magnam ducis Burgundiae indignationem incurrentes ceperunt plures rectores praefatae villae, et quosdam occiderunt, aliisque patriam interdixerunt, qui fugientes se receperunt apud Selusam. Hinc mortalis guerra secuta est inter has villas, neque ipsi de Selusa usque in hodiernum diem Brugis comparent.

Eodem tempore bannitus exstitit a villa Brugensi Robertus de Greel,

filius sororis comitis Antholii de Scotia, qui comes fuit avunculus Jacobi regis Scotiae. Dixit autem Robertus ille Jacobum non esse verum regem Scotiae. Unde sumptis secum de consilio comitis praefati viris, venit clam cum illis in monasterio Fratrum Praedicatorum apud Paerts, in Scotia, ubi regem Jacobum residere cognovit, in capite quadragesimae, qui consuetus vigilias nocturnas devote visitare, dum se ad pausandum daret in silentio et oratione, statim ascensis muris, ipse Robertus cum suis venit in cubiculum regis et eum interfecit. Relictus est autem filius septennis; sed conscius sceleris, hoc non obstante, comes de Antholio regnum putabat invadere. Sed ulciscente Dei voluntate, omnes hii malefactores diversis poenis interempti sunt, priusquam medium quadragesimae tempus transierat, et filius ipsius Jacobi coronatus est.

Eodem anno magister Petrus Mangier Parisius cum tribus civibus ejusdem civitatis captus est eo quod civitatem Parisiensem Anglicis resignare aut tradere conatus esset. Unde dominus de Richemont, connestabularius Franciae, maximam adhibuit diligentiam intrandi Parisius, quam Anglici tenebant fortiter garnisatam. Qui pluribus vicibus exeuntes non pauca Francis intulere dampna; tandem exeundo versus Sanctum-Dyonisium, quidem capitaneus de parte Anglicorum dictus dominus Thomas de Beaumont cum quingentis armigeris circumventus a Francis captus est, omnibus pene suis amissis juxta Parisius. Quod videutes hii qui Parisius servabant pro rege Angliae, timuerunt valde, consilium statuentes quid insuper facturi essent. Connestabularius autem, vocatis illis capitaneis de Pontoize et circumquaque de Beauvesin ac ceteris locis, propter nova quae de quibusdam infra Parisius se tenentibus pro parte regis receperat, videlicet quod, casu quo rex eos in gratiam recipere dignaretur, viam aperiendi civitatem hominibus et capitaneis regis aperirent; et breviter assignata fuit dies comparendi ad portam Sancti-Jacobi, per quam Franci mox intromitterentur. Comparuit igitur connestabularius Franciae, dominus de Richemont, Secanam transiens, ponte constructo, cum bastardo Aurelianensi ac toto suo exercitu, secretas mittens litteras per noctem, sigillo regis munitas, per quemdam qui redderet eas Francis praefatam portam servantibus; sicque factum est. Sed non minus hii qui partem ducis Burgundiae fovebant, clam miserant ad dominum de l'le-Adam, dominum de Ternant et ceteros capitaneos, quod comparerent eadem nocte qua Franci. Nam liberum intrandi

Parisius aditum paraverant. Francis igitur ab una parte, ac Burgundis ab altera parte subintranantibus, Parisius capta bis fuit uno et eodem die; retrahentibus se cunctis Anglicis et officariis ejus, inter quos fuit Ludovicus de Luxembourch, episcopus Morinensis, cancellarius regis Angliae, et plures alii nobiles, infra bastiliam Sancti-Anthonii. Sed incontinenti pulsus Burgundis, Franci Parisius servarunt et dictam bastiliam in qua confugerant Anglici, obsederunt. Qui videntes se diutius vim illorum non posse sufferre, compositione facta, praefatam bastiliam reddiderunt, salvis corporibus et bonis eorum. Sic quoque dimissi sunt Anglici. Deinde congregantes se capitanei Anglicorum, villam de Pontoize obsederunt; quam servabant ex parte regis Francorum domini de Blacembourg et de Rosstellham, qui non diligenter se defendebant, sed mox ut missa fuit obsidio, cum suis exierunt, relictis civibus in periculo, qui, nulla data resistantia, villam in manibus Anglicorum e contrario tradiderunt. Dominus de Talbot ac dominus de Fauquenbergh fuerunt principales in captione praefatae villae de Pontoize; quae res multis ceteris Francis displicuit.

Eodem anno factum est conjugium solempne inter dominum Ludovicum, dolphinum Franciae, et dolphinam Scotiae, quae in Rochella applicuit; et celebratae sunt nuptiae Turonis cum mira jocunditate; semperque de cetero magna fuit inter utrosque reges scilicet Franciae et Scotiae fraternitas. Nam rex Scotiae suos in magno numero misit in adiutorium regis Franciae, qui fideliter servierunt et Anglicis plurimum resistebant in conquestu, reparando et recuperando.

Magister Johannes Chievrot factus est episcopus Tornacensis.

---

Rex Scotiae duxit uxorem filiam Arnoldi ducis Gheldriae, ex qua filios et filias plures sibi generavit, ut patet in historiis, quorum primogenitus post mortem patris, discolor facie atque oculis rubeis, succedens in regnum, ictu lapidis percussus in obsidione periit, et tunc Jacobus, frater ejus secundo genitus, successit, qui filiam regis Daciae duxit uxorem anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXIX<sup>o</sup>.

Circa haec tempora, invidia pullulante nobilium Angliae, dux Clocestriae secreto interficitur, et truncus ejus dolio vini conditus amovetur. — Richardus etiam comes Cantabrigae, necnon dux Eboracensis, propter secretam conspirationem in mortem

regis Angliae Henrici, decapitatus est apud Southamptonem. Hic reliquit filium qui similiter contra Henricum VI<sup>um</sup> pro regno contendere coepit et tandem decapitatus est, et caput coronatum palo fuit expositum una cum capite primogeniti filii sui. Deinde tres relictii sunt filii quorum secundogenitus, scilicet Edwardus, contra Henricum surrexit et eum tot bellis attrivit atque laecessivit ut se captivum daret Henricus rex, ac coronae cessit, regina uxore sua cum parvulo filio suo de regno expulsa. Cum autem Edwardus esset rex, vocavit duos fratres suos juniores et unum creavit ducem Clarentiae, alterum ducem Gloucestriae; regnavitque Edwardus pro Henrico, donec filiam domini de Rivieres simplicis militis accepisset uxorem; quae res displicuit nobilibus ac popularibus regni. Deinde continuis aggravationibus coepit populum vexare, necnon deteriorare monetam. Quibus de causis omnium in se provocavit insultum, et quia Riquardus dux Warwetiae, scutum se pro populo praebat, ideirco bannitus fuit ex Anglia, qui juxta Ludovicum regem Franciae se recepit, cum quo tractavit depositionem ejusdem Edwardi et relevationem Henrici. Quod cum perpetraverat, illico fuit invasus ab Edwardo et in bello interemptus, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXI<sup>o</sup>.

Quidam Romae sacerdotes gemmis et auro spoliaverant ymagines Petri et Pauli, quos Johannes Vitellescus capite punivit cum Jacobo Galesio. Praefectum etiam vici Ventrallae et dominum Fulginiatensem in arce Suriana capitali supplicio affecit; post hoc cardinalis et patriarcha factus est.

Antwerpiae turris ad ecclesiam cathedralem mirae quantitatis a fundamento suo ponitur. Quod tribus annis operarii continuantes vix extra terrae superficiem eduxerunt. Deinde formaverunt sibi lapides ad modum turris et majoris campanilis ecclesiae beatae Mariae Ardenburgensis in Flandria, quam turrim vidit suis diebus frater Adrianus monachus in Dunis ad campanarum loca deduci, postquam desuper terram ad xx vel xxv<sup>o</sup> pedes exstructa resultaret.

Naves Anglicorum processerunt ad orientalem Flandriam invadendam, et dum putarent ascendere terrain non longe a portu de Hulst, dominus Hector de Vuerhoutte cum incolis de Wasia, de Axella, de Hulst et Hontenessa sese monstravit. Unde territi Anglici recesserunt unde venerant. — Johannes de Heynexberghe Leodiensium episcopus ad arma commotus, castrum de Beaurain evertit et alia rebellantium loca destruxit, multis suspensis. Humfroidus dux de Clocestria direxit nuncios versus Philippum ducem Burgundiae, quod si vellet pugilem manu ad manum se conferre contra eum, accederet ad Calisiam, ubi eum paratum reperiret, vel ad jussum imperatoris, etc. — Soror Ludovici comitis Sancti-Pauli denuo matrimonium iniiit et cepit Richardum d'Oudeville comitem de Riviers, ex quo filios et filias accepit plures et reginam Angliae.

Jaquemina de Bavaria filia Willelmi, comitis Hannoniae, Hollandiae ac Zelandiae, defungitur. Cui successit nepos ejus germanus Philippus, dux Burgundiae, in omnibus dominiis ejus; etiam rege Ceciliae Renato liberato a captivitate, dux praefatus Casletense territorium optinuit imperpetuum.

Albertus Sancti-Egidii Nurembergiae, frater Johannes Nider, doctor ordinis Praedicatorum, Johannes Albertus Molebrunsis ordinis Cisterciensis et Henricus canonicus Magdeburgis ad Egram in Bohemia tanquam procuratores concilii Basiliensis missi sunt, ut medium colloquendi cum haereticis haberent.—Sigismundus imperator et rex Hungariae et Bohemiae mirabili sua sapientia perduxit seisma pontificum ad unionem; et ab anno Domini M° CCCC° II°, quo fuit electus in vicarium, usque ad annum obitus sui, contra Turchos novies bella gessit et perpetua laude evasit, sed dolo Pragensium multi de suis perempti fuerunt. Unde sumpta benedictione coronatus fuit ab Eugenio papa, cui secure possunt applicari quae de Constantino magno vel Theodosio describuntur. Unde sicut de nomine primus sit appellatus Sigismundus, sic et ab aliis decernendus perpetua nominis sui gloria.

Nota sicut Pius II<sup>us</sup> in epistolis suis scribit: « Iste Albertus gener Sigismundi vix tribus » annis imperavit et Albertus Austriae dux libenter successisset si commodo potuisset, qui » frater erat Frederici III<sup>ii</sup>. » Cum Alberto imperatore accessit ad Eugenium imperator Graecorum Ferrariam, ubi concilium generale per cardinalem Sanctae-Crucis inchoatum est, suscepitque Eugenius imperatorem Graecorum Johannem Paleologum ac si Romae fuisset, et coronavit eum. Unde indignati alii concilium Basiliense continuaverunt ad paucos annos. — Interdicta et excommunicationes latae in Bohemos solutae fuerunt ad tempus colloquendi et convertendi ad unionem ecclesiae.

De morte Sigismundi regis Hungariae ac Bohemiae, necnon et imperatoris Almaniae fertur quod sanctissime finierit diem extremum, sic quod inter canonizatos computari debuerit; obiit autem secundum veritatem historiae, anno Domini M° CCCC° XXXVIII° et imperii xxvii°. Nam contra inimicos fidei Turchos novies bella gessit cum triumpho laudabili. Cui successit gener ejus, qui filiam ejus uxorem susceperat, Albertus dux Austriae; et Lancelotus, alias Ladislaus, factus est rex Hungariae ac Bohemiae, filius Alberti, quia ipse Albertus ventris profluvio, post annum imperii, decessit, relinquens juvenem Ladislaum et duas filias, quarum una nuptui tradita fuit regi Poloniae et altera in juventute obiit. Post mortem igitur Alberti devolutum est imperium ad Fredericum III<sup>ium</sup> ducem Austriae, et regna Hungariae ac Bohemiae cesserunt Ladislao. Sed capitanei Mathias et Georgius procuraverunt intoxicationem ejus et invasores facti sunt. — Magna guerra continuatur a Lotharingiis et Barenibus contra comitem de Vaudemont qui per favorem illorum de Croys optinuit tandem dominationem, ut in sequentibus patebit.

Mathias de Chlumzan, capitaneus Pruscensis, Johanni abbati de Mulbruno scripsit, et similiter magister Johannes Roquesanus, qualiter ad concilium Basiliense mitterentur nobiles de Praga, Menhardus de Nova Domo, Wentzelus de Crauwarz, Willelmus de Postupich et quamplures, quibus datus est salvus conductus accedendi ad concilium.

1437.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XXXVII<sup>o</sup>, rex Francorum descendens a Montepessulano, cum esset Montmirault, delata sunt nova cujusdam capitanei, nuncupati l'Espagnol, alias Rodinges, qualiter armigeri sui ad portas villae de Herisson quosdam regis capitaneos sive armigeros spoliaverat. Et quamvis iste Rodinges capitaneus fuerat ducis Borboniae, tamen rex male contentus bannivit eum de regno. Sed dux Borboniae versus regem destinavit, auditis hiis novis, cupiens regem complacere et seipsum excusavit. Jussit igitur rex bastardum Borboniae ac Jacobum de Chabannes deserere societatem de Rodinges et quod venirent in servitium apud regem. Qui rex obsedit castra de Landon et de Charny, deinde villam de Nemours, quam cepit. Consequenter obsedit Monstreau atque castrum ejus; quod fortissima cinxit obsidione eo quod plures Anglici confugerant ad ipsum castrum, in quo similiter perfidi Franci tuebantur se. Villa igitur prius durissimis assultibus capta, tandem castrum vi defensionis quassatum se reddidit, pluribus interfectis et ceteris captivis retentis ad voluntatem regis. Sed supervenit dominus dolphinus requirens misericordiam pro quibuscunque retentis Anglicis, cujus instantia rex illis gratiam dedit recedendi a loco illo, salvis bonis et corporibus ipsorum; quos et per Secanam navibus conduci jussit usque Mentam in Normannia, fecitque rex bastardum Aurelianensem capitaneum de Monstreau; et sic pervenit Meldunum, deinde Corbodium ubi ad eum plures confluebant nobiles; et statim a captivitate ducis Burgundiae Philippi, per tractatum conclusum inter eos, Reynerus rex Ceciliae, dux Andegavensis et Barensis, liberatus est, factumque est ibi matrimonium inter filium ejusdem Reyneri, Johannem ducem Calabriae, et filiam ducis Borboniae.

Pestilentia multos absorbit hoc anno; nam genitoribus meis, patre videlicet et matre simul hoc morbo sublatis, me reliquerunt apud Saeflinghe vagientem in cunabilis parique morbo tabescentem, sed hinc Dominus assumpsit me.

Obiit autem eo tempore regina Angliae, soror Karoli VII<sup>mi</sup>, regis Franciae moderni.

Obiit et eo tunc antiqua regina Angliae, filia regis Navarrae, mater Jo-



hannis ducis Britanniae et Arturi fratris sui comitis de Richemont, connestabularii Franciae.

Obiit consimiliter antiqua comitissa Armingniaci, filia ducis quondam Bituricensis, mater ducis Zaboudiae, comitis Armingniaci Johannis et comitis Marchiae.

Anglici diebus istis obsiderunt Tanquarville, Beauchastel et Malleville. Sed Robertus Floquet diem statuit reddendi praefata loca nisi subsidium a rege perciperet, quod Anglici non attenderunt.

Eodem tempore obiit Sigismundus de Bavaria imperator Romanorum et Almaniae, rex Hungariae et Bohemiae, pacificus, qui se valenter habuit gravissimis bellis et pro et contra supra Turchos et Sarracenos ac vicinos quorum rex erat. Hic laudabilem semper unionem in ecclesia studuit observari, sedavitque scisma inter Petrum de Luna et Johannem XXIII, quorum alter alteri cedere noluit. Quibus sic contententibus, convocavit cardinales in quodam castro supra Renum, ibique jussit electionem ab eis confirmari priusquam a loco recederent. Convenerunt igitur cardinales in unum sacrosanctae ecclesiae caput, et remansit papa Martinus V<sup>us</sup> prout in suprahabitis clare deductum est. Mater hujus Sigismundi filia fuit Johannis regis Francorum, soror ducis Byturicensis et Philippi ducis Burgundiae dicti Le Hardi, qui cum Johanne rege patre suo ab Edwardo principe Gualliae captus fuerat; et ea de causa pater hunc dilexit et tradidit ei ducatum Burgundiae hereditarie possidendum imperpetuum, secundum modum regni Franciae. Reliquit isto Sigismundus filios; sed per electionem successit in imperio Albertus dux d'Autriche, alias Austriae.

Istis diebus, Philippus dux Burgundiae, motus contra villam suam de Brugis, putans vi vel manuforti villam capere et de rebus disponere quae sibi visa fuerant expedire, movit exercitum suum de Attrebato et Insulis, deditque intelligere se versus Hollandiam velle proficisci per Sclusam. Et cum veniret ante Brugis, petiit transitum cum trecentis viris equestribus; quod laetanter annuerunt cives Brugenses. Verum cum ad portam, vulgarter dictam Bouveriae, descenderet, quosdam ascendere fecit qui servarent eam donec intrassent octingenti aut amplius architenentes, ceteris remanentibus extra villam. Dux, ordinato cunco processit, et clerum sibi obviam reperiens processionaliter, quem declinavit, et cives armis et sagittis invasit. Nam et proprio gladio pistorem villae interfecit et plures vulneravit.

Videntes cives se crudeliter invasos esse, viriliter convenientes opposuerunt se, statimque dominum de L'Ysle-Adam occiderunt et exercitum rupe-  
runt ejusdem ducis, qui nunquam majori periculo fortunatius evaserat, caesis et captis pene suis omnibus qui cum eo intraverant. Retraxit se igitur illico dux versus portam qua intraverat, ubi casu quodam repperit commorantem fabrum qui precibus et minis fuerat coactus malleo seras dirumpere; sic fuga lapsus cum quibusdam nobilibus evasit. — Orta est igitur guerra publica contra Brugenses et misit in castris de Sclusa capitaneos, praecipue dominum Rolandum de Huutkerke et dominum Symonem de Laleyn, qui cum illis de Sclusa saepius dampnificaverunt cives Brugenses. Tandem ex requesta Gandensium treugae concessae sunt et captivi reservati, quos communitas saepe petiit tradi gladio, contra quam opinionem plures erant nobiles cives, quorum aliqui gladio ceciderunt, alii banno subacti aufugerunt; pluraque mala perpetrata sunt, hac commotione durante, quae omnia ad longum scribere taediosum foret.

Hiis se taliter habentibus, rex Francorum suam intravit civitatem Parisius cum pulcherrima comitiva ducum, comitum et baronum, qui omnes jocundissime recepti sunt, multis ostensis personagiis in reverentiam et honorem veracis regis eorum, qui tot tribulationes perpessus est ab Anglicis et Burgundis priusquam regni coronam sit adeptus, ut non dicam vix possibile pati posse; fuit enim saepe constrictus deserere regnum cum usque ad paucissimas villas sui regni per guerras illarum partium compulsus erat servare patientiam pauperrimo statu, sic quod pietate moti cives cibaverunt illum, alternatis vicibus, quem paulatim Deus sic humiliatum exaltavit in tantum ut se suorum vix aliquis praedecessorum regum Franciae veniat illi comparandus prout in sequentibus declarabitur. Celebrato enim bene solempniter ejus adventu, Parisius supervenerunt nova quod Anglici septem magnis carevellis per mare descenderant. Unde senescallus de Ponthieu percipiens quod Anglici qui Crotoy servabant, non se poterant prae fame salvare, mandavit domino d'Auxi et Baudoin de Neelle ut obsiderent locum illum, quod et fecerunt. Similiter dux Burgundiae cum tota potentia sua de mandato regis illuc perrexit. Quibus auditis dominus de Talbot, dominus de Fauquenberghes et dominus de Schalles, cum quinque milibus Anglicorum, ex Rothomago venerunt ad Crotoy ut levarent obsidionem per Francos et Burgundos positam, quibus omnibus

invitis, per mare victualia ministrabant obsessis, ac si nulla resistentia facta, Francos fugaverunt, nichilominus cursus quosdam faciebant in hostes per Francos, videlicet dominum Petrum de Bousac et dominum Oliverum de Coectivy. Dux igitur multum iratus se versus Abbeville divertit cum comite Nivernensi et fratre suo domino de Stampes, comite Sancti-Pauli, ceterisque pluribus nobilibus et pulchro comitatu.

---

Sigismundus rex Romanorum ab Eugenio coronatus et benedictus, obiit anno Domini M° CCCC° XXXVII°, cui successit Albertus, dux Austriae. — Albertus dux Austriae, gener Sigismundi, anno uno imperavit, intoxicatus. Cui successit Fredericus tertius, dux Austriae, qui imperavit annis fere xli.

Iste Albertus habuit filiam Sigismundi. Primogenitus ducis Austriae, Albertus in favorem populi Romani successisset in imperio, sed Fredericus frater ejus junior per quemdam Judaeum illum intoxicari jussit, et sic optinuit coronam Romanorum, postquam x annis imperator Almanorum exstiterat. Unde anno Domini M° CCCC° LI<sup>mo</sup> coronatus Romae fuit a Nicholao V<sup>o</sup>. Quo anno desponsavit sibi filiam Edwardi regis Portugaliae, de qua sibi filium suscepit Maximilianum nomine; qui tandem Karoli ducis Burgundiae, Brabantiae, etc., filiam unicam Mariam cepit uxorem, anno Domini M° CCCC° LXXVII°, suscepitque Philippum ex ea primogenitum, de quibus infra.

1438.

Anno Domini M° CCCC° XXXVIII°, comes Haricurti, Christophorus dominus de Chaumont, archiepiscopus Remensis, cancellarius Franciae et episcopus Clarimontensis, apud Bituricas, consentiente rege, ceterisque nobilibus, super facto ducis Sabaudie et Eugenii papae convenerunt, et constitutionibus ibidem factis, conclusa est pragmatica sanctio videlicet nemo subjectus regi Franciae de cetero praesumeret Romam proficisci pro beneficiis aut aliqua provisione optinenda, renitentibus tamen aliquibus qui de concilio Basiliensi advenerant.

Post hoc factum est matrimonium inter filium ducis Burgundiae Karolum nomine, et Katherinam filiam regis Franciae.

Eodem anno Elizabeth ducissa Burgundiae Brugenses reconciliavit viro suo duci Burgundiae Philippo, celebratis exequiis domini l'Yladam ac ceterorum virorum interfectorum praecedenti anno in terribili commotione facta; missis captivis, exhumatus est idem dominus et honorifice apud sanctum Donatianum reconditus, satisque factum est heredibus ejus in testamentum Attrebatum.

Hoc tempore per marescallum Franciae dominum de Reux levata fuit obsidio de Haerfleur, et rediit a captivitate comes de Heu ex Anglia, et rex in patria de Barroys et Lorayne fecit magnam armaturam hominum, quorum quidam se junxerunt cum rege Renato, quidam cum comite de Vaudemont, processeruntque adversus Renum, et juxta civitatem Basiliensem multa mala perpetrata sunt; sed pestilentia inter eos regnans segregavit omnes. Fortiter egerunt in Burdegalia Rodinghes et Poton de Xaintrailles pro rege Franciae et id circo Rodinghes invenit gratiam in oculis regis; sed plures armigeri regis interfecti sunt citra Mosam in ducatu Luxemburgensi per dominum de Cormerchy ac illos de Verduno eo quod partem tenere videbantur domicelli Everardi Marchiae, qui fuerat inimicus ejus.

Circa haec tempora obiit Edwardus rex Portugaliae, frater Elizabeth ducissae Burgundiae, qui reliquit Alfonsum, infantulum; et per consilium nobilium fuit ordinatum et conclusum est quod Petrus avunculus ipsius infantulum regem gubernaret. Unde indignati fuerunt fratres seniores ipsius Petri. Unus recedens a regno se recepit apud magnum magistrum Hispaniae ejus filiam cepit uxorem; alter Henricus nomine, parum intromisit se de regno. Videntes autem principes regni quod Petrus ad profectum suum potius de regno disponderet omnia, persuaserunt infantulo quod peteret ab eo computa reddi. Qui juvenis rex, pluribus convocatis nobilibus, curiam primam celebravit quasi coronam accepturus. Interrogavit autem avunculum de statu regni. Qui confusus hac vice non tradidit rationem villicationis commissae, sed indignato animo recessit, nec ad jussum rediit. Tandem pace media, de summi pontificis licentia, factum est ut juvenis rex filiam avunculi sui Petri assumeret in uxorem. Quo facto, nec adhuc idem Petrus ausus est venire ad regem, sed timens invadi, fortificavit se contra regem. Nichilominus quamdam ambassiadam misit ad regem, sed rex capi fecit ambassiatores. E contrario Petrus cepit servitores regis, et publica exorta est guerra inter regem et avunculum suum; et perventum

est ad pugnam; sed regi cessit victoria. Retraxit autem se Petrus in fortalitia sua, et non multo post cum omni potentia sua campum elegit, secum ducens duos filios suos gemellos, Jacobos vocitatos, et in auxilium ejus frater ejus venire promisit. Similiter et magnus magister Hispaniæ promiserat decem milia pugnatorum in succursum ejus dirigere. Rex vero cum omni potentia sua perrexit ei obviam; et conserto praelio, non succurrentibus illis Petro qui venire promiserant ad dietam assignatam, prostratus est et interfectus praefatus Petrus avunculus regis. Et filii ejus gemelli sub dumo reperti sunt plorantes et lacrimantes, qui per quosdam amicos delati sunt in Flandriam ad ducissam Burgundiae, materteram eorum, una cum sorore ipsorum, quae postea matrimonio conjuncta fuit domino Adulfo, filio ducis Clevensis, sed a quodam Johanne Cousteyn, ut fertur, intoxicata. Alter vero fratrum effectus est archiepiscopus Ulixbonensis et tandem cardinalis; et alter in saeculo militiam suam contra Turchos expendit. Nam matertera sua domina ducissa, paratis vii galeatis, misit eum ad Rhodos supra Turchos, qui parum proficiens reversus est inglorius.

Hoc etiam anno, dominus Johannes de Huulkerhe, capitaneus villae Noviportensis, in Flandria, vir animosus et audax, mari se contulit et navem quamdam ex Hispania capit cum omnibus negotiis et negociatoribus suis; qui venientes Brugis querelam fecerunt scabinis villae ac praecipue conquesti sunt super domina de Ghistella, cui incumbebat liberum servare transitum per mare venientibus ad Flandriam eo quod magnum theolonium pro dominio suo pertinebat, et ea ratione fuit arestata donec deliberarentur omnia per praefatum dominum Johannem ablata, qui paucis postmodum supervixit diebus. Nam bina vice peccato accusatus indicibili, non obstante quod dux Burgundiae eum de sacro fonte levaverit, tandem jussus est duci ad castrum de Saeftinghe, ibique die tertio decollatus est.

Postquam praefata domino de Ghistella reparaverat omnia dampna, nupsit Ludovico comiti Sancti-Pauli, genuitque ex ea filios quatuor, valentissimos viros ad arma: quorum primus comes fuit de Marle, Johannes nomine; secundus, dominus Petrus de Brienne; tertius: dominus Anthonius de Rossy; quartus dictus est Karolus episcopus Laudunensis. Qua defuncta, comes Sancti-Pauli secundam duxit uxorem filiam ducis Sabaudiae, ex qua genuit duos filios; et soror ejusdem comitis Sancti-Pauli matrimonio conjuncta est in Anglia domino de Rivieres, qui ex ea genuit plures

filios et etiam filias. Quarum filiarum una tandem nupta fuit Edwardo, filio ducis de loore, qui rex Angliac factus anno Domini M° CCCC° LVII°, uxorem suam coronavit, unde plures nobiles male contenti, signanter dux Warwici : de qua materia paululum in sequentibus dicetur. Consequenter Philippus dux Burgundiae penes Attrebatum residens, benigne suscepit ambassiatores villae Brugensis qui cum ad praefatam villam reverenter invitaverunt. Inter quos principaliter deputati fuerunt dominus de Prato, dominus abbas Sancti-Bavonis, dompnus Petrus de Foro, abbas de Dunis, et plures alii de notabilioribus ejusdem villae. Qui dux veniens, ita receptus est quod incredibile vix fatu esset, commemorare laetitiam, personagia declarare, et quae praesentata fuérant eidem duci ac dominae suae, necnon filio suo domino comiti Caladrensi. Muneribus igitur practiosissimis placatus dux ipse villam praefatam singulariter postea dilexit et fovit. Cœpit construere domum pulherrimam inibi, et in eadem tandem defunctus est, ut suis locis declarabitur.

---

Hoc anno M° CCCC° XXVIII°, Eugenio sedente in consistorio, praesente imperatore Graecorum, Johanne Paleologo, disputatum est Romae si de duabus ecclesiis una fieri posset. Verum quia pestis incepit, Florentiae concilium est indictum, quo convenerunt Graeci cum Romana ecclesia. Data litterae summi pontificis Eugenii in sessione yconomica Florentiae sonat anno Domini M° CCCC° XXXVIII°, xxii die novembris, quo tempore xviii creavit cardinales, ex quibus Alovisius Patavinus factus est ejus camerarius et patriarcha Aquileyensis.

Hoc anno princeps Mantuanus cepit Veronam cum Jacobo Picennino, noctu per scalas furtive. Tunc Franciscus Sfortia magno clamore hostes invasit, in ea parte quae vocatur Insula, ubi, ponte ligneo constructo, dum milites pugnarent, effracto, submersis ferme omnibus qui ceciderunt in flumine, Franciscus ante tres dies Veronam recuperavit.

Sciendum quod circa tempora ista vel paulo ante, regnorum Neapolis et Ceciliae facta est mutatio. Post Alovisium enim regem Neapolitanum, contra Renatum Barensem cepit regnum Alfonsus frater regis Hispaniae Johannis, necnon regis Navarrae, quinetiam, prout potuit, praefatus Alfonsus deturbavit regem Arragoniae, qui fuit filius regis Portugaliae, invasitque villas plures et violenter optinuit illas. Quamobrem Renatus mandatus cum non appareret aliquando, omnes sese dedere Alfonso. Verum

dux Mediolani Franciscus Sfortia, vocatus in adiutorium a quibusdam, cepit praefatum regem Alfonsum bello; sed qualiter eum restituerit nondum seire valui. Hoc autem scitur quod deliberatus a captivitate, non destitit Alfonsus invadere regna praedicta, quibus tandem obtentis, animum extulit in majora. Nam vicinos reges barbarorum sic infestare coepit quod sibi tributarios fecit, ex illis regem de Fees, alias Granadae et regem Melidac, similiter et regem Bethuriae, quorum regnorum villas et civitates, nobiles de Valentia diu servaverunt. Valentia enim caput dudum fuit regni Valentinarum; nunc autem nobilis civitas in Arragonia. Situatam est etiam non longe ab ea monasterium de Petris nostri ordinis, quod regale est, tributarios habens Sarracenos sibi subjectos, qui rura colunt et pascua monasterii, pro certis sommis pecuniae singulis annis persolvendis. Calatravia pater hujus Johannes dicebatur: hic primo miles Calatraviae ordinis, quod est monasterium nostri ordinis in Portugalia, milites habens contra Sarracenos saepius ipsum infestantes. Unde praefatus Johannes, cum esset juvenis elegans, videns fratres suos seniores contendere de regno, transtulit se ad militiam contra Sarracenos et barbaros exercendam. Deinde, sumpta familia, peraeque profectus est ad terram sanctam Jherusalem, diuque fuit in via, sic quod rex Hispaniae seu Castelliae post mortem regis Portugaliae regnum invaserat, cujus ipse verus heres erat. Ipso igitur revertente bellum habuit contra regem Castelliae quem expulit a regno Portugaliae, petens similiter infestare regnum Castelliae; quod et fecit, mediantibus Anglicis sibi adjunctis. Nam cepit uxorem filiam Henrici de Lancastre, regis Anglorum, ex qua genuit filios tres; quorum duo fuerunt reges in diversis regnis, habuitque tres filias quarum una regina fuit Hispaniae, secunda ducissa Burgundiae fuit, tertia vero regi Ceciliae nupta. Nichillominus inter filios illos creditur habuisse Petrum primogenitum apud paternam uxorem, filiam regis Arragonum, qui Petrus regens fuit. Tandem filius ejus Petrus apud Barcelonam susceptus est in regem Arragoniae, qui paucis annis rexit quia veneno potatus interiit. Fuit iste Petrus maximus astronomus. Post quem filius Johannis ducis Calabriae regnum Arragoniae tenuit, invito Alfonso, qui nulla prole suscepta legitima, reliquit filium quemdam bastardum, nomine Ferdinandum, qui fuit rex Neapolis.

Est sciendum quod rex Cypri, frater ducissae Burgundiae, XII civitates a Turcis captas redimere satagens, captus fuit et in vincula conjectus.

Magister Alfonsus de Spina in *Fortalio fidei* declarat hujus fratris ducissae Burgundiae Elizabeth mortem gloriosam, quam subiit cum XII militibus.

Philippus dux Januensis misit in Etruriam Jacobum Piceninum cum VI<sup>m</sup> equitum, et dum per pontem Adriani transiret, ab Anthonio Ridio, praefecto arcis, Johannes Vitellescus interfectus est. Tunc comes Aversanus qui secum erat, ne Ludovicus Patavinus Johanni succederet in ducatu ecclesiae, impedire voluit. Varie quoque certatum est pro patrimonio ecclesiae, quod Eugenius defendere curabat, creatis ducibus et capitaneis, ac si temporalis princeps putaretur. Unde comes Poppii cum Picenino plures caedes confecit.

Renatus Andegavensis et Lotharingiae ac Barenensis dux, a captivitate Philippi ducis dimissus, ad regnum aspirare coepit.

1459.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XXXIX<sup>o</sup>, Aurelianus rex Franciae concilium celebravit super statu regni et pace firmanda cum rege Angliae aut guerra prosequenda, et audita omnium opiniones in praesentia regis, conclusio pacis dilata fuit usque ad secundam mai, et fuit utriusque regni ambassiatoribus assignata dies comparendi in Sancto-Audomaro. Convenerunt in eodem loco praefati ambassiatores utriusque regni, necnon pro duce Burgundiae certi ambasciatores pro pace et unione terminanda integraliter ab omni parte; sed presentatis diversis articulis, pax infecta remansit. Rex versus Andegavis perrexit cum fratre reginae suae uxoris, duce Borbonii, comite de Montfort, seniori fratre ducis Britanniae, unacum domino Petro fratre suo ac ceteris nobilibus Franciae. — Quo tempore venerunt ad eum ambasciatores Eugenii papae quem concilium Basiliense noluit acceptare, depositis quibusdam articulis in eum; sed papa se semper in Ytalia gerebat. Et de facto per aliquot temporis ex parte concilii fuit ibidem electus in pontificem Amedeus dux Sabaudiae qui se Felicem quintum fecit appellari. Sed idem dux cessit; Eugenius igitur mansit papa, et plurimam pro Renato rege Ceciliae diligentiam fecit ut coronaretur, sic quod longum esset describere guerras et tribulationes quas idem papa sustinuit pro eodem Renato investiendo.

Hoc praefato anno, propter nimias extortiones illatas populo rurali in Francia, rex ordinavit ut omnes armigeri dispergerentur in villis magnis juxta frontieras regni; ordinavitque de mense in mensem singulis stipendia sua, sic quod non haberent occasionem vagandi aut opprimendi populum, capitanei regis reciperent illa stipendia et suis distribuerent armigeris, singulis mensibus. Quae res quibusdam vero bene placuit, quibusdam vero non placuit, praecipue duci Alenconiae. Qui videns se alienari a gubernatione, traxit delphinum primogenitum regis, ducem Borboniae, dominum de Chaumont, dominum de Laroche, comitem Vendome, bastardum Aurelianensem ad alliantiam suam; et hoc audito, dominus de Latremouille juuxit se illis ad habendum gubernationem regni



sicut consueverat. Rex, perceptis hiis, misit ad eos connestabularium Franciae ac dominum de Gaucourt, quatenus mirabatur super facto tallium nobilium et quod remittere vellent delphinum, filium suum, in manibus suis. Illi parvi pendentis regis petitionem, ceperunt castrum et villam Sancti-Maxencii. Quo audito, rex incontinenti secum omnibus assumptis viribus villam praefatam obsedit et cepit, fugatis pene omnibus de parte ducis Alenconiae, quibusdam captis et decapitatis. Dux vero Alenconiae cum delphino versus Borboniam iter accepit, quem rex insequitur. Quod cum dux Borboniae ac ceteri viderent, congregato exercitu, fugere versus Burgundiam praetendebant. Sed episcopus Clari-montensis ad regem perrexit et declaravit causam voluntatis illorum principum qualiter contra regem sic ausi sunt procedere et qua de causa filium regis delphinum attraxerant ad partem eorum servandam. Quibus causis declaratis, gratiam in conspectu regis quaesierunt, mediante comite de Heu qui fortiter elaboraverat ad concordiam istam firmandam; sed non statim invenerunt. Quare rex multum indignatus plura fortalitia cepit in ducatu Borboniae. Tandem delphinus et dux miserunt se ad misericordiam regis, et facta est pax inter eos.

---

Hoc anno M<sup>o</sup>CCCC<sup>o</sup> XXXIX<sup>o</sup>, Philippus dux Burgundiae, ducatum Luxemburgensem cepit, de quo male contentus erat Ladislaus rex Hungariae et Bohemiae, dicens ad se pertinere dominium. E contra rex Francorum jus in eo praetendere voluit; sed ratione ducatus Brabantiae dux Philippus optinuit, datis denariis ipsi ducissae Luxemburgensi.

xv kalendas octobris, anno M<sup>o</sup>CCC<sup>o</sup> XXXIX<sup>o</sup>, concilium Basiliense determinavit beatam semper Virginem non subjacuisse originali labi; et sicut in cronicis suis dicit Matheus Palmerii Florentinus, Eugenius papa Florentiae concilium contraxit in quo Graeci cum imperatore suo praesente consenserunt a Patre et Filio processionem Spiritus Sancti, sicut Romana confitetur ecclesia. Nec mora Indi et Armeni pariter accedentes cum Graecis eandem unionem confessi sunt.

In hoc concilio Nicholaus Nigripontensis, graece pariter et latine princeps eloquentiae, laudatissimus habebatur, qui frequenti concilio medius existens, tum graece, tum latine sententias cito fidelissime prolatas summo reddebat cum ornatu.

Eodem in concilio Ambrosius, generalis abbas ordinis Camaldulensis, accurata lingua bonisque moribus ornatus, affuit et inter cetera plura deposuit de veritate fidei.

Eugenius papa denuntiat se generale servaturum concilium in Laterano, Romae, quatenus Basiliense concilium tolleretur; et Picenninum belli sui ducem contra Franciscum Sfortia provocat, quem auxilio Alfonsi regis qui Neapolim diu obsessam per cloacam ingressus, Renato pulso, nuper ceperat, deturbavit a Bononia cum Alovio. Franciscus igitur a multis obpugnatus et a paucis adjutus, ad Venetos, relicto Philippo, conversus est, quorum copiis praeficitur, quibus ad Mediolanum dominium tandem perductus est.

Eugenius papa Nicholaum Tollentinatem ordinis Sancti-Augustini, miraculis clarum, in sanctos refert; et pulsus e sanctuario Laterani canonicis secularibus, locavit in eundem locum regulares canonicos, quos mirum in modum dilexit monachos, quos opibus et immunitatibus auxit. Verum principio pontificatus sui, malis conciliis ductus, humana divinaque turbavit et ad arma populum romanum exivit.

Frater Arnoldus Buederie ex prothonotario canonicus regularis effectus in Rubea Valle librum qui dicitur *Omne studium super psalmos lxx* et complura alia descripsit, et infinitas odas metro prosaque composuit in laudem Virginis atque sanctorum multorum.

Obiit in hoc tempore Albertus imperator Bohemiae, Pannoniarum et Ungariae rex, relicto Vladislao filio cum duabus filiabus. Sed successit ei Fredericus III<sup>us</sup> in imperio, qui mox Ladislaum filium heredem suscepit gubernandum. Temptabant tamen saepe Bohemi atque Pannonii surripere filium illum, cum litteris optinere nequibant eum; unde tandem orta controversia quam Eneas sedavit. Rediit et filius tandem: veneno potatur quo obiit.

Fredericus III<sup>us</sup>, Romanorum rex et imperator, Almaniae coepit imperare anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XXXIX<sup>o</sup>, licet Lancelotus, rex Hungariae, repugnaret, qui obiit anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LVII<sup>o</sup>; tamen iste mansit, regnavitque adhuc anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXVIII<sup>o</sup>, licet mors ejus praenosticata fuit a quodam de Herfodia, propter signum mirabile quod apparuit in coelo per modum stellae caudatae termino fere duorum mensium. — Hic Fredericus fratrem suum Albertum, electum regem Romanorum, intoxicavit per Judaeum quemdam, et ita factus est rex Romanorum, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LIII<sup>o</sup>. Quo tempore Romae coronatus, etiam uxorem suam filiam regis Portugaliae fecit in imperatricem coronari, ex qua suscepit filiam et filium, videlicet Maximilianum, qui cum patre suo multisque nobilibus Alemaniae, una cum Karolo, duce Burgundiae et comite Flandriae, Treveris celebravit parlamentum super diversis materiis tam Ecclesiae quam fidei christianae, per Turcorum principem nupter collisae quodam gravi bello, quo frater ejusdem principis captivus factus est, et apud Treveris comparuit cum ceteris nobilibus; ibique tractatum fuit super concordia principum catholicorum, praecipue Ludovici XI<sup>mi</sup>, Francorum regis, et Karoli, ducis Burgundiae. Tractatum etiam fuit de matrimonio unice filiae ducis Burgundiae et Maximiliani ducis Austriae, filii Frederici imperatoris, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXIII<sup>o</sup>. Unde post omnem magnificentiam orta discordia propter villam de

Nuchya, relicto imperatore, descendit dux Karolus ad obsidendum praefatam villam quam post annum obsessionis in deditioem accepit per contractum, licet dux Brandeburgensis impedire nisus est, occisis aliquibus ab utraque parte. Deinde facta pace, in fine anni M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXIV<sup>i</sup>, Renatus novus dux Lotharingiae ducem Burgundiae per litteras diffidavit, et regi Francorum adhaerens, adversarius effectus est, qui prius ligam ducis tenere sponderat. Mox exercitu trajecto in Lotharingiam, dux Karolus ad socerum suum Edwardum regem Angliae transfretatum cum exercitu apud Calisiam, descendit, cum quo, parvo comitatu servato, perrexit in Franciam. Sed cum non longe ab Ambianis pervenissent, rex Angliae, detecto dolo comitis Sancti-Pauli, qui promiserat ei ingressum, treugas cum rege Francorum fecit. De qua re dux Burgundiae non bene contentabatur. Unde idem, ut comprehenderetur treugis, praefatum comitem Sancti-Pauli a facie regis fugientem et se excusare cupientem nollens audire, fecit regi deliberari, qui mox fecit cum Parisius tanquam reus laesae majestatis decollari. Post cujus viri mortem eidem duci votive non successit. Per Lotharingiam igitur pergens, quam cepit in deditioem, fugato duce Renato qui fugit ad regem Franciae, Burgundiam ingressus est, ubi dedit consensum in matrimonium Mariae, suae filiae, et Maximiliani praenominati, filii Frederici imperatoris. Et ad expellendos Suetones, de Zaboudia pergens cum exercitu suo grandi, cum Lombardis quos mercede conduxerat, ingressus est eorum patriam, qui verterunt eum in fugam, amissis multis et jocalibus ablatis, qui restituere omnia, pacem cupientes cum eodem, promiserunt. Sed dux animosus, iterato collecto exercitu, hostiliter eos est agresus, qui denuo sese viriliter ei opposcentes, pene cunctis instrumentis bellicis amissis et multo pluribus quam antea prostratis, eundem in fugam verterunt. Nec hiis territus, tertio cum audisset Renatum, ducem Lotharingiae, per favorem regis patriam suam recuperasse, contra eosdem Suetones pugnaturus descendit in obsidionem villae de Nanchi, ubi, bello instaurato, comitis dolo de Campobasso capitanei Lombardorum, infelicissima pugna tarde fugam inire nactus succubuit, resistere non valens Suetonibus ad subsidium Renati comparentibus, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXVI<sup>o</sup> in vigilia Epyphaniae.

Ortum est scisma contra Eugenium papam, et Felix V<sup>us</sup> constitutus et electus est.

1440.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup>, Philippus dux Burgundiae ducem Aurelianensem, qui fere xxiii annis captivus fuerat in Anglia, in Sancto-Audomaro recepit et Brugis duxit ubi magno gaudio recepti sunt; et inde pergentes Gandavum. Philippus dux tradidit ei neptem suam, filiam ducis Clevensis, uxorem, ex qua genuit filiam et unicum filium, post ipsum ducem Aure-

lianensem, non obstante quod pater ipsius ducis Aurelianensis fuerat crudeliter neci traditus, et tandem Johannes dux Burgundiae, Philippi pater, similiter fuerat interemptus, ut ex praehabitis patere potuit. Verumptamen magna Philippi virtus peramplius indulgere novit quam perpetratae rei meminisci. Celebratis igitur nuptiis, fecit dux Burgundiae ipsum conduci Aurelianis.

Hoc anno in Francia per Anglicos plures villae recuperatae sunt, sed fortiter rex Franciae debellavit eas et paulatim recepit eas, quae de cetero sibi soli paruerunt, inter quas civitas Meldensis multo fuit labore conquesta. Villa autem de Haerfleur obsessa fuit ab Anglicis. Pro qua liberanda misit rex viii<sup>o</sup> lanceas; contra quos Anglici venerunt, et fugatis aut trucidatis quibusdam, ceperunt dominum de Gaucourt. Rex descendens in Campaniam ad subjiciendum sibi loca quaedam in quibus se tenebant praedones et malefactores gravantes populum, cepit in primis bastardum Borboniae ac bastardum de Vergy cum pluribus aliis de consortio eorundem. Sed venit ad regem dominus de Comerey, qui multum institit pro vita captivorum, cui rex annuit, dempto bastardo Borboniae qui, ut fertur, submersus fuit. Cepit autem rex villam de Marle pertinentem comiti Sancti-Pauli eo quod hii de hac villa plurima mala intulerunt populo regni Franciae. Porro hii perceptis venit ad regem ducissa Burgundiae cum pulchra comitiva, nec non cum ea comes Sancti-Pauli et comitissa de Ligny, uxor Johannis comitis Luxemburgensis, fratris comitis Sancti-Pauli; habitisque multis collationibus cum rege, villam suam ipse comes pacifice recepit, facto tamen homagio regi de omnibus in quibus se subjectum regi cognoverat, et sic recesserunt.

Rex ad obsidionem villae de Creil perrexit cum delphino filio suo et ceteris capitaneis, sed non accepit castrum villae. Quare versus Pontoize se cum toto suo divertit exercitu et eam obsedit ab utroque latere fluvii. Supervenit autem Talbot de villa Mentel ex Normannia ad succurrendum obsessis. Quo non obstante, rex cepit ecclesiam Beatae Mariae subtus muros praefatae villae. Deinde gravissimo assultu fugatis Anglicis, vi armorum intravit villam, interfectis autem utrinque sexcentis viris et pluribus captis Anglicis. Deinde rex ordinavit certam quantitatem capitaneorum et armigerorum qui villam pro rege servarent, et profectus est rex in victoria pulchra Parisius, ubi ab omnibus miro jocunditatis modo receptus est.

1444.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLI<sup>o</sup>, villa de Creyl et castrum quod Anglici servabant, obsidetur a rege Franciae, in cuius servitio venerunt dominus de Coictivy, admiraldus Franciae, Philippus de Culant, connestabularius Franciae, Poton de Xaintrailles et Joachim de Roault, cum pluribus aliis. Quibus mediantibus, reddita sunt loca illa, salvis vita et bonis eorum qui tenebant praefata loca. Deinde rex obsedit Pontoize, sed suis fortiter agentibus, se servabat in monasterio de Malodumo juxta villam. Quod percipiens, Talbot de Rotomago cum III<sup>m</sup> Anglicorum descendit ad subveniendum obsessis. Sed Franci, constructo ponte, cinxerunt villam sic quod nullus ingredi aut egredi posset. Quod videns, Talbot descendit rivulum et obsessos confortavit immittendo dominum de Schalles et comitem de Fauquenberghes, sic quod noctu recessit, remanentibus Francis in obsidione per tres ebdomadas. Tunc venit dux d'Yorc fere cum VIII<sup>c</sup> Anglicis, transiens ripam d'Oyze juxta Regalem-Montem. Dubitantibus Francis quid acturus esset, retraxerunt se versus villam Sancti-Dyonisii; sed prae miseria victualium idem dux recessit, unde venerat, versus Normaniam. Franci igitur, cum villam eo capere non possent, versus Poyssi perrexerunt, ubi Talbot moram traxit, qui aufugit. — Comes autem Sancti-Pauli, quem miserat dux Burgundiae regi Franciae in subsidium, licentiam a rege cepit, et similiter plures alii. Quod cum rex intellexerat, ordinavit assilire villam totis viribus, adhibita quacumque diligentia, et mox a tribus locis impugnata est villa, videlicet de parte regis, ubi eam obsesserat aperte exercitus delphini, atque ab alia parte pontis ubi Britones jacebant, videlicet dominus de Loheac, de Widame, de Chartres, de la Suze et de Montjai. Duravit autem assultus iste duabus horis cum dimidia. Tunc intravit rex cum omni potentia sua, interfectis fere VI<sup>c</sup> Anglicis et captis III<sup>c</sup>. Quidam autem se fuga salvare putabant, sed Lahyre, Zalazart et ceteri ceperunt eos. Ordinavit igitur post hanc captionem rex capitaneos valentes in eadem villa et profectus est Parisius. Ubi cum venisset, venerunt nova quod Robertus Floquet villam cepisset Eboracensem. Rex vero versus Saumur pergens cum regina et delphino ceterisque nobilibus, cum parumper resedisset ibidem, venerunt ad eum ambaciatores ducis Britanniae et hoc

praecipue propter quaedam fortalitia quae tenebat in praejudicium uxoris domini de Davaugor qui erat frater comitis de Penthièvre. Cupiens complacere regi resignavit ea in manibus fratris sui comitis de Richemont, et auditis hiis quae fiebant per armigeros domini de Latremouille, rex illico perrexit illuc et remediavit. Ad regem eo tunc venit dominus de Pons qui, circa loca de dominio regis, sicut et praedecessores sui tenuerant, omnia in manibus regis resignavit. — Hiis peractis, obsedit rex villam de Tailleborg, quam cepit in manu forti cum capitaneo ejusdem loci, nuncupato Morisso de Plusqualet, oriundo de Britania, qui penes Rochellam captivus tentus est. Deinde obsedit castrum de Bretueil supra ripam de Charente, quod servavit Guido de Laroche cum 11<sup>o</sup> armigeris; sed statim experti praesentiam regis se reddiderunt, vita salva, sic quod nunquam contra regem arma deferrent. Nichilominus per Prengent dominum de Coictivy, admiralem Franciae, dominum Philippum de Culant, marescallum, ac dominum Petrum Brezé, seneschallum Pictaviae, demolitum est castrum illud, quoniam eo plurima mala terrae incolis inferebantur.

---

Anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLI<sup>o</sup>. — Obiit hoc tempore Johannes de Turrecremata, ordinis Praedicatorum, cardinalis et doctor, qui supra regulam beati Benedicti luculenter ad Arsenium socium suum, monachum ejusdem sancti Benedicti, scripsit singulare volumen quod Petrus de Vireyo, abbas Clarae Vallis, reverendo patri dompno Johanni abbati de Dunis, tradidit anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXXIII<sup>o</sup>, dum visitationem in Flandria faceret.

Karolus VII<sup>us</sup>, Francorum rex, Parisius veniens xv octobris, homagium ibi suscepit a Karolo Andegavensi, fratre Renati ducis Barensis super comitatibus Andegaviae et Cenomaniae. Deinde dux Aurelianensis Karolus venit ad ducem Burgundiae Philippum in Hesdinio tractaturus de reformatione regni, sed nichil aliud conclusum fuit, quam quod castrum de Montagu quod bastardus de Commerchy reparaverat, demoliretur. Tandem convenerunt duces Burgundiae, Borboniae, Britaniae et Aurelianensis, et tractaverunt materiam reformationis, sed rex taliter respondit quod divisio facta sit inter dominos praefatos. — Ipso die Purificationis beatae Mariae, Parisius obiit domina Margareta, quondam ducissa Aequitaniae et filia Johannis ducis Burgundiae, quae inhumata jacet apud Carmelitas.

1442.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLII<sup>o</sup>, obiit Johannes dux Britanniae, cui successit Franciscus ejus primogenitus. Obiit etiam regina Ceciliae, mater Renati, dicti regis Ceciliae, ducis Andegavensis et Barensis ac Lorayne, mater similiter reginae Franciae et Karoli comitis Cenomaniae. Haec regina Ceciliae filia fuit Johannis regis Arragoniae, cujus mater Yolla, dudum filia ducis Barensis, cujus frater Alfonsus rex Arragoniae, post obitum Ludovici regis Ceciliae, qui prolem non reliquit, regnum Ceciliae coepit invadere, praetendens in eo jus suum vera successione; unde captis hinc inde locis, fortalitiis et villis ejusdem regni, tandem continuis attriti bellis, singuli convenerunt, et Alfonsum vocantes, statuerunt diem certam qua Renatus et sui fugarentur; quod et factum est. Sic Alfonsus intravit et regnum Ceciliae cum pertinentiis ceteris sibi usurpavit. Quod regnum fortasse nunquam in eandem deveniet lineam, unde tunc ereptum exstitit. Occupavit tandem suorum vi armorum idem Alfonsus regnum Neapolitanum, principatus et dominia multa circumjacentia. Propter quod Eugenius illum debellari jussit, sed victor evadens, vinculo excommunicationis innodatus, citra mare contra reges de Majorke, Melide et adhuc alios reges et principes guerram instituit et eorum regna optinuit, ita quod fere VII regnorum factus sit dominus. Hic tamen nullam prolem legitimam habuit, sed reliquit eadem omnia dominia Ferdinando filio suo naturali et illegitimo. Rex autem Renatus fuga lapsus, venit ad sororem suam reginam Franciae, qui se statim servitio regis praesentavit, a quo gratanter receptus est.

Rege Franciae apud Bourges existente, plures ambaciatores ad eum venerunt tractare super reformatione regni: inter ceteros venit dux Aurelianus et praesentavit se servitio regis, gratia cujus rex pro rentione sua qua captivus fuerat, tradidit ei vin<sup>m</sup> francorum, et ad ducendum statum suum cum novella uxore sua tradidit x<sup>m</sup>. Quibus peractis, iter rex cepit versus Tholosam et versus Tartas, eo quod armigeri comitis d'Alebret composuerant cum Anglicis et praefatam villam regi Angliae resignaverant, casu quo Franci non levarent obsidionem de Tartas, et super hoc, in cautionem, redditus erat filius ejusdem comitis d'Alebret. Festinante igitur rege, venerunt in servitium suum comes d'Armingnac, comes de Foys,

comes de Cominge, comes d'Estrac ac ceteri plures, qui cum rege plura gesserunt miranda in conquestando patriam illam, ab Anglicis jam penitus occupatam, quos praefati fugaverunt. Hiis contingentibus, in Normania Franci et Anglici congressum habuerunt, in quo succubuit dominus Johannes Brezé, miles de Andegavia, tricentis Anglicis interfectis et quibusdam captis. Post hoc, Talbot cum v<sup>m</sup> Anglicorum obsedit villam Conches quam Franci tenebant, quorum capitaneus erat Floquet qui, compositione facta, cessit et cum bastardo Aurelianensi versus Gallardon tetendit, quem locum comes Dunoys obsedit cum domino de Widame; sed insecutus est Francos Talbot et impedivit obsidionem. Ad regem igitur perrexerunt, in Gasconia fortiter agentem, ubi plures Anglicorum et barones illius patriae conversi sunt et regi Franciae juraverunt. Quo facto, rex Franciae cum omni potentia Normaniam intrans, plura loca mox obsedit cum delphino filio suo ceterisque capitaneis et hominibus suis; ibique captus est dominus de Stouteville, capitaneus de Monte-Sancti-Michaelis, et dominus de Schalles, gubernator Bassae-Normaniae factus, plurima Francis mala intulit, sicuti declarat hystoria gestarum rerum, tandem fugatus versus Rothomagum, ubi Talbot erat cum ingenti copia Anglicorum qui a diversis locis ad ipsum confugerant. Rex autem obsidens castrum de Riolle tandem cepit; sed comes de Eu vulneratus exstitit inter spatulas ictu volantis sagittae, et factus est capitaneus senescallus Aquitaniae, qui praefatum castrum pro rege Franciae viriliter servavit. — Interim orta est discordia magna per comitem de Cominge contra comitem d'Armingnac, eo quod comes de Cominge voluit manutenere jure hereditario comitatum de Cominges, ex parte uxoris suae, de qua nullam prolem susceperat masculam sed tantummodo filiam. Qua de causa vi comes d'Armingnac comitatum occupavit, qui sentiens regem contra se motum, cum Anglicis alliavit, praesentans filiam suam regi Angliae matrimonialiter Henrico copulandam, qui cepisset eam de facto, nisi rex Francorum misisset delphinum cum gravi multitudine gentium ingredientium terram praefati comitis, quem et ceperunt cum uno filiorum et duabus filiabus suis. Quo audito senior filius ejus aufugit ad principem Navarrae pro subsidio. Tandem instantia primatum regni liberatus est comes.

Obiit hoc anno dompnus Petrus de Foro, xxiv<sup>m</sup> abbas de Dunis. Cui successit Everardus de Campo, religiosus quondam in Boudeloo professus.

---



De Pio papa II°. — Fredericus imperator III<sup>us</sup>, de novo spreta populorum postulatione, secretarium suum Aeneam episcopum misit ad Calixtum ut suo more pontifici obedientiam et fidei praestaret juramentum. Ubi in oratione pontificem vehementer adhortatur ad bellum Turcis inferendum. Verum dum Senenses armis premerentur comitis Petiliani ac Jacobi Picennini, plus Alfonsi regis auspiciis quam propriis impensis, rogatus a pontifice, Aeneas profectus est Neapolim ad Alfonsum, ejus familiaritate rex plurimum delectabatur. Rediens igitur a Calixto cardinalis refertur prius, deinde mortuo Calixto, consensu omnium pontificia corona accepta, pacem cum Alfonso pepigit, et omisso Mantuano conventu ad sedandos motus in Hetruriam iter assumpsit, quos similiter in Umbros atque Picentes partim ratione, partim metu reduxit in foedus. Restitutis exulibus in patriam, seditionibus etiam Senensium sedatis et Romae sicariis repressis, nobilibus reipublicae dedit administrationem, ubi simpliciter in tanto rerum fastigio conversatus est ut verus pater patriae appellaretur, non ut Petrus Barbo dictus Paulus II<sup>us</sup>, qui, ut Cybeles quaedam Phrigia nutrita muliebribus lineamentis, ita delectatus est ut undique gemmis conquisitis magno pretio, Romanae ecclesiae aerarium exhauriret, ut vult Platina Bartholomaeus. Ususcassanus Persarum et Armeniae princeps ad fidem Christi conversus instinctu conjugis suae, claret insigni victoria quam contra soldanos imperatoris Turehorum diebus istis perpetravit.

Hoc anno Domini M° CCCC° XLII°, quo dompnus Petrus de Foro, Dunis abbas, obiit, memoriter tenuit frater Adrianus, religiosus ejusdem monasterii, quod et etiam obierit eodem tempore dominus Guillelmus de But apud Saeftinghe familiarissimus praefato dompno Petro, etiam sanguinis affinitate conjunctus.

De abbate Dunensi dompno Everardo intruso. Ducissa Burgundiae, Yzabel de Portugalia, sibi voluit reservare monasterium pro filio fratris sui, cardinali Ulixbonensi. Nichilominus dux Philippus fecit praesentare quemdam suum cancellarium, scilicet dominum Guillelmum Tullensem episcopum, qui post factus est episcopus Tornacensis et simul abbas de Sancto-Bertino. De quo viro multa laudabilia referuntur.

Eugenius, papa IV<sup>us</sup>, splendidus factus est in vietu familiae, pareus in suo vietu factus, sic alienus, ut abstemius merito vocaretur, et quosque testes suae modestiae doctos admisit in cubile, ab illis seiscitabatur quid in urbe fiebat et quid de se sentirent homines, ut errata vel perperam si quae perpetrasset, emendare posset. — Eugenius IV<sup>us</sup>, Americum Capranicum galero privavit cardinalatus; et ideo reliquit cum Aeneas, qui post Pius II<sup>us</sup> est appellatus.

Obiit hoc anno M° CCCC° XLII°, Reynoldus de Gheytonem, ordinis regularium canonicorum Viridis-Vallis, postquam quatuor egregia volumina composuisset : *Speculum utriusque juris*, *Conscientiae collationum* et *Philosophorum*, cum aliis voluminibus. Obiit ultima augusti.

Hoc anno XLII°, Alfunsus Neapolim obsessam optinuit.

Nota quod Alfonsus iste solum filium habuit illegitime natum, nomine Fardinandum. Etsi miranda de patre legantur, mirabiliora de filio, qui successit eidem, suis locis narrantur. Hic de manu Johannaë reginaë Ceciliae ac Neapolis, quae Jacobum de Borbonia ceperat in virum, regnum vi et armis sibi surripuit. Deinde Ludovicus rex Ceciliae, filius Ludovici, medio ducis Mediolani regnum fere recuperavit, ipso Alfonso captivo retento; sed quia Franci fuerunt Neapolitanis infesti, fugatis eis, adhaesere deliberato Alfonso tanquam vero regi. Qui ab Eugenio mandatus de ratione belli gerendi, cum eo varie loquutus est; nam Florentinos, qui hostem juverant, existimavit bello prosequi pontifex ille, si copiis regis adoriretur. — Sic Reynatus in Narbonam descendit.

Hoc anno domina Yzabellis de Cuymbro, ducissa Burgundiae, Pascha celebravit in Lauduno, ubi cum rege Franciae collationem habuit de diversis. Deinde perrexit in Burgundiam ad dominum ducem, qui ibidem celebravit ordinem Aurei Velleris.

Post deductionem seu reductionem ad sui obedientiam villae de Pontoize, rex talem armatam et tam magnam ordinavit, qualem a diebus suis repperire potuit, et perrexit in propria versus villam dictam de Tartas, quae sibi restituta est, fugatis Anglicis, deinde conquestavit assultibus villam Sanctae-Severae, Mermonde, Riole et Mont-Aubain. Sed mortuo Lahire apud Morillon, Anglici ceperunt Conches in Normania sed reddiderunt; postea comes de Estampes obsedit Diepe *et prit Pierre Reynaudt dedens Milly.*

Johannes dux Britanniae tres reliquit filios, scilicet Franciscum, Petrum et Aegidium. Primus patri successit et, alteratione orta, junior frater captivus ab eo factus, strangulatus est, qui hora extrema fratrem suum citavit infra xi.<sup>o</sup> dies, et factum est ut, coram Deo, iudice summo, priusquam terminus effluxus esset, frater ipsius compareret, et ita omnes tres filii defuncti sunt, et cessit Arturo ducatus, eorum avunculo, quia Petrus medius frater et dux Britanniae similiter diebus paucis supervixit. Franciscus praefatus duas filias reliquit, quarum habuit uxorem unam Franciscus, post Arturum dux Britanniae, filius Riquardi comitis de Montfort, fratris praefati Johannis.

Hiis temporibus Philippus Bonus, Burgundiae dux et comes Flandriae, secum multis assumptis nobilibus, perrexit ad Burgundiam et in Divione celebravit ordinem Velleris Aurei, parlamentoque servato, disposuit iter in Turchos convertere. Quapropter ad ducem Austriae sive Fredericum imperatorem perrexit, et non repperit adhuc utile fore viagium assumere tam grande. Sed dissuasum est propter nuntios regis Francorum, qui missi fuerant ad amicitiam contrahendam nedum cum ipso imperatore, sed cum regibus Hungariae, Bohemiae, Dennemarchiae et Angliae, atque cum Leodiensibus. Quod cum dux Philippus sciret, tam egit ut cum Anglicis pactum sortiretur in mercantiis omnibus; et quia dives quidam mercator apud Antwerpianam, nomine Petrus Pot, commoraretur, Philippus dux Burgundiae, Brabantiae, etc., comes Flandriae, etc., audita fama dicti Petri, qui a pauperrimo statu per mercantias et negotia quae tractaverat a juventute, devenerat ad infinitas quasi divitias, et per eas famae nedum clari-

tatem, sed et honorem bene meritum et singularem dilectionis gratiam hominum optinuerat, eo quod in propria domo servitores Dei collocaverat XII sub uno priore, qui praesidebat aliis, observando regulam ordinis Cisterciensis, qui de nobili Burgundia sumpserat suum exordium per Robertum, primo Molismensem abbatem, deinde per beatum Bernardum, primum abbatem Clarevallensem valde dilatatur, anno Domini M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> XXVI<sup>o</sup> usque ad mortem ipsius beati viri; postea per successores tam abbates quam principes, orbis in diversis terrarum climatibus, idem mirabiliter dispersus crevit de die in diem; et jam novissimis diebus sanctitatem ac sinceritatem ejusdem ordinis considerans praefatus Petrus mercator, forte quia plus affectabatur vel quia de Burgundia oriundus, vel in honorem Dei suaeque matris, et boni ducis Philippi potius intuitu qui creaverat cum militem et totam progeniem nobilitavit et insignivit, instituere placuit domum talem, quae, si sic permanserit ut per eum provisa sit, firmiter aedificata, perpetuo duratura manebit. Dant alii causam ne sub abbate persisteret, cum sicut inter Benedictinos ita et inter immediatos filios Cistercienses jam pene perire coeperant monasteria, quia vix omnia sufficere videbantur ad statum abbatialem: quapropter ad reformationem relevare monasteria quidam surrexerunt, et hii tanquam scismatis fautores, velut observantes ordinis sancti Francisci, facti sunt exosi aliis.

## 1443.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLIII<sup>o</sup>, rex Francorum, Pictavis residens cum Reynato rege Siciliae, Karolo duce Aurelianensi ceterisque baronibus, delphinum ordinavit gubernatorem totius patriae jacentis inter Secanam et Sommam. Qui recedens a rege venit cum exercitu per Caen et obviavit illis qui obsiderant Diepe ex parte Talbot; commissoque praelio ceciderunt III<sup>o</sup> Anglici, captusque fuit bastardus de Talbot cum Francis qui adhaeserant, quos delphinus fecit demergi.

Eodem tempore, comes de Zommersed applicuit penes Chirenbourch cum VIII<sup>m</sup> Anglicorum, intravitque terram ducis Alenconiae; transiens ad oras Britaniae, obsedit Ghuierche putans eam pertinere duci Alenconiae, quae tamen villa sub dominio ducis Britaniae fuit, cum quo treugas habuit. Quod Franci percipientes venerunt usque Craon, videlicet dominus Loheac, marescallus Franciae, dominus de Bueil, dominus de Varenne, cursum super eos faciendo, quorum plures capti, plures sunt occisi ab Anglicis. Rege Francorum pro tunc moram trahente apud Saumur, audivit comitem d'Armingnac invasisse loca comitatus de Comminge, non obstante appunc-

tuamento quod factum erat inter regem et eundem comitem; delataque fuere nova qualiter idem comes tractaverat e converso super matrimonio filiae suae contrahendo cum rege Angliae. Quae res non parum regi displicuit. Quare rex suos misit ambaciatores ad eum, quaerentes redditionem comitatus de Cominge et quod cessaret tractare cum Anglicis, etc. Qui comes, nichil horum reputans, minime regi voluit in talibus obedire. Mox rex delphinum vocans misit eum in terram de Rouergue et Languedoc cum potenti manu. Qui venit ad Rodès, quem locum Zalazart pro comite Armingnaei tenebat; sed dictus Zalazart reddidit locum delphino. Inde veniens Tholosam, fecit transire partem unam ultra ripam de Gironde, ubi comes se tenebat, qui, pacem facere cupiens cum delphino, statim captus est, ac tota patria ipsius in manibus regis posita est, cui praefecit capitaneum generalem dominum Theobaldum de Volpergue ballivum de Lyon.

Eodem tempore, Turchi atque Sarraceni, Brachium maris Sancti-Georgii transeuntes, usque ad septingenta milia regnum intraverunt Hungarorum et Poloniae. Sed rex Poloniae, frater regis Hungariae, cum copioso exercitu perrexit in occursum. Qui, divina mediante gratia, commisso praelio, prostravit ex eis inter tricenta et quadringenta milia. Qua gravissima caede retraxerunt se ultra mare per unde intraverant, relictis copiis infimis.

Pro pace facienda inter reges venerunt ex Anglia cum salvo conductu comes de Suffort et dominus de Ros, qui cum aliquandiu juxta regem apud Turonis commorati fuissent benigne, recesserunt rursus versus regem eorum.

---

Hoc anno M° CCCC° XLIII°, dux Burgundiae versus villam de Lucemburgo cum armata perrexit, eo quod cives ducissam fugabant et quod querelam fecissent ipsi duci, qui captis bine inde locis, noctu similiter furtive cepit cum sealis et instrumentis praefatam villam de Lucemburgo, punitis rebellibus, et fecit ibi Cornelium de Burgundia, filium suum naturalem, capitaneum.

Anno M° CCCC° XLIII°, Leonardus Brunus Aretinus, sicut Matheus Palmerii scribit, obiit Florentiae, anno aetatis suae LXXIV°. Hic magnus erat historiographus qui transulit libros *Ethicorum* et *Politicorum* de novo in latinum. Item Platonem in Phedone scripsit ad Eugenium orbis pontificem maximum. Item ad Cosmam de Medicis epistolam de Republica et alia complura.

Eugenius papa anno XLIII<sup>o</sup> Romam Florentia venit xxviii septembris, effusa multitudine obviam tumultuante ob duplicatum tributum aut vectigal. Unde silentio facto, sustulit illud, clamatumque est : « Moriantur inventores novorum vectigalium ; » et mox ibi concilium generale papa statuit, in quo Franciscum Sfortia contra Alfonsum deputavit, qui Renatum Andegavensem, aperto Marte, deturbare non verebatur; ibidem etiam pulsus canonicis secularibus, papa regulares admisit et porticum extruxit. Tandem pace cum Alfonso facta, pontifex infensus ad arma se convertit contra Januenses.

1444.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLIV<sup>o</sup>, treugae concessae sunt per xviii menses inter duos reges ad finem quod de matrimonio tractaretur contrahendo per regem Angliae cum filia secunda, scilicet Margareta, Reyneri regis Siciliae. Hoc tempore medio rex Francorum ordinavit tam Francos quam Anglicos cum delphino primogenito suo dirigere versus Almaniam, quorundam occasione qui Francos infestaverant alia parte. Delphinus igitur armaturam viii<sup>m</sup> conduxit in Almaniam; qui per Trevas transiens pervenit ante Montbeliaert, quae villa jacet contigua comitatui Burgundiae et est subjecta Almanis, cujus villae ballivus saepissime cursus fecerat usque Langres, multa mala perpetrando. Quare delphinus obsedit et capit eam per compositionem, captis et interfectis malefactoribus. Deinde transiens Lorraine venit ante castrum d'Orny quod tenuit bastardus de Vergy, qui similiter Campaniensibus plurima mala inferebat; et hoc castrum servavit praefatus bastardus pro certa summa denariorum quos infantibus regis Siciliae concesserat. Nichilominus captum fuit et aufugit bastardus. Post cujus delphinus redditionem intravit Almaniam cum tota potentia sua. Qui veniens inter Basele et Straetsbourg, multa castra ac fortalitia cepit. Tandem obsedit civitatem Basele. Quod videntes cives circiter mille et quingenti leviter armati saltaverunt, una pars per aquam a retro, et altera pars per ante, viriliter eos omnes qui cum delphino fuerant impugnantes, qui gravissima caede grassati sunt in Francos, sic quod de octo milibus vix v<sup>m</sup> salvati sunt; nec mirum cum paucis praesumpserunt invadere tantum exercitum, quod fere omnes interfecti sunt, nec vix tricenti reversi sunt in civitatem Basiliae. Fuerunt autem cum delphino comes de Laval et alii plures qui omnes ad regem mandati sunt, qui civitatem ob-

sederunt Metensem. Sed cives, composito tractatu pacis, mitigaverunt animum regis, mediante summa centum milium florenorum, quam summam Reynerus rex Siciliae ac praedecessores sui duces de Loreyne accommodaverant a praefata villa, de qua quitaverunt eum, et ad jussum regis tradiderunt octoginta milia florenorum, et sic conclusa est pax.

Eodem anno venerunt ad regem Franciae comes de Suffort et plures notabiles de consilio regis Angliae, pro filia Reyneri regis Siciliae, quae concessa est illi, et celebrata fuit festa nuptiarum in quibus plurima militiae facta sunt insignia ex parte duorum regum. Quibus peractis, abducta est sponsa versus virum suum Henricum regem Angliae.

Post hoc, eodem anno, Turchi non immemores cladis illatae, gravissimo redierunt apparatu in Hungariam. Quae res cum innotuit summo pontifici, legatum suum cardinalem Sancti-Angeli misit ad regem Poloniae. Qui rex una cum praefato cardinali perrexit obviam illis, existimans eos sibi divina virtute subicere; sed infelici conserto praelio, captus est idem rex cum praefato cardinali, cunctis christianis interfectis qui cum eisdem ad bellandum processerant. Soldanus igitur Turchorum multis tormentis hunc regem affecit. Tandem eos pariter vivos excorari, secundum aliquos, fecit, et sic martirium pro Christo subierunt; de quo pontifex vehementer indoluit, sed non adhibuit resistendi diligentiam. Quare digressi veros undique Christianos pepulerunt; contra quos imperator Constantinopolitanus satis egisset, si totalis Graecia fidelis aut favorabilis fidei christianae perstetisset.

---

Anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLIV<sup>o</sup>, ut ait Matheus Palmerii, Turcorum fere XL milia sunt a christianis prostrata et occisa. In qua pugna Vladislaus, Poloniae rex, et dominus Julianus Caesarinus, dyaconus cardinalis, cum praefecto urbis Romae periere.

Obiit hoc anno Bernardinus Senensis, vir magni meriti, ordinis Minorum Fratrum in Aquila, xx<sup>a</sup> die maii, apud Aqueleyam. Hunc pontifex Nicholaus V<sup>us</sup> canonizavit, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLVII<sup>o</sup>.

Religiosus vir et monachus Dunensis, Egidius de Labina, alias de Damme, videns quod abbas Everardus, more suorum praedecessorum, non instituerit abbatiam Dunensem gubernare, resignavit prioratum, factus dominarum confessor apud Novam-Jherusalem, ubi per contemplationem de multis scripturis sacris ad suam traxit expo-

sitionem et epistolas varias composuit; unam tamen super excessibus praefati abbatis edidit, quae plurima continebat enormia super hominem cui, more praedecessorum, non licebat canes alere, syneas et feras extraneas educare, seu tesseres aut alcarum ludos tractare, ceterisque debachari voluptatibus.

*Epithafium regis Ladislai.*

DURA LADISLAUS IN PERSAS JAM BELLA PARABAT,  
DUM DIS UNDENOS NONDUM COMPLEVERAT ANNOS;  
NUNC JACET IN PRIMO DEFUNCTUS FLORE JUVENTAE,  
QUI POPULOS IN SPEM VINCENDI TRAXERAT OMNES.

Johannes de Cuymbre, rex Cypri, filius Petri ducis de Cuymbre, regentis Portugaliae, post perpetratam cladem super Persides, in captivitate eorum obiit.

De bello Turehorum et Hungarorum acto hoc tempore scilicet M° CCCC° XLIV°, idem Aeneas scripsit duci Mediolanensi: « Illustrissimo principi et excellentissimo domino » Philippo Mariae Angelo, duci Mediolani, Papiac Anglariaeque comiti ac Januae domino, Aeneas Silvius, imperialis secretarius, salutem. — Etsi favoris mihi non multum » haec tua Celsitudo impenderit, quae post traditam mihi ecclesiae Sancti-Laurentii » Majoris Mediolanensis possessionem, spoliatores meum praeter jus et contra litteras » regias in meum favorem saepius scriptas tuctur, in tantum tamen Celsitudini tuae sum » deditus ut praetermittere nullatenus possim quin novitates ad nos delatas eidem signi- » ficem. Quae tametsi non hujusmodi sint ut audiri libenter debeant, expedit tamen » et secunda et adversa cognoscere. Accipe igitur ex servulo tuo, quae apud nos nova » referuntur. Quindecim aut eo plures sunt dies quibus huc fama delata est: fama » malum inquam, quo non aliud velocius ullum mobilitate viget et quae vires cundo, ut » Virgilius ait, acquirit. Haec igitur nobilissimum principem Ladislaum Poloniae regem » qui regnum Hungariae occupaverat, ac serenissimum principem Ladislaum Hungariae » ac Bohemiae regem, paterno ac avito regno spoliaverat, cum toto exercitu in bello » prostratum vulgavit. Quia tamen nullae venerant litterae nullusque certus auctor habe- » batur, ficta res credita est. Nec multo post epistolae ex Hungaria missae sunt: regem » Poloniae, superatis victisque Tureis, victorem reverti; eratque non parva trepidatio ne, » sicut est victoria sui natura insolens et superba, rex idem cum Hungaris adversus Aus- » triam et Styriam castra moveret. Jamque vir magni nominis Dyonisius, archiepiscopus » Strigoniensis, et alii qui regis Ladislai partibus favent, auxilia Romanorum efflagita- » bant. Studuerant enim qui regem Poloniae apud Hungaros manutenebant, conflictum » ejus tegere, sive quod redeunti regi ex bello quamvis fugato consulere volebant, sive » quod statum suum eo melius interim putabant posse dirigere. Sed nichil est mendacio

» instabilis nichilque veritate constantius. Advenerunt enim hodie, mirabile dictum est,  
 » ex diversissimis remotissimisque regionibus in una hora diversi nuntii, non tamen  
 » diversa sed eadem nova portantes. Scripsit illustris Cyliae comes; scripserunt ex par-  
 » tibus Transilvanis alii, et rursus alii ex Hungaria barones novitates istas regiae majes-  
 » tati, quae licet Christiano populo lugubres sint et admodum nocivae, non tamen taceri  
 » debent, sed tanto diligentius inter Christicolas divulgari, quanto catholicae fidei majus  
 » imminet periculum, nisi religiosissimi principes in unum convenientes, de modo re-  
 » sistendi Sanctae Crucis inimicis et hostibus Christi cogitaverint. Nova igitur ista sunt.  
 » Aiunt omnes nuntii uno ore regem Poloniae cum cardinale Sancti-Angeli multisque  
 » Hungaris et pluribus Walacbis et Bulgaris atque Ruthenis in Romaniam usque pro-  
 » fectos, tot bellando successus habuisse ut non longe ab Adrianopoli castra posuerint.  
 » Quod priusquam Tureorum imperator accepit, collecto in Asia exercitu XL<sup>m</sup> pugnato-  
 » rum, mare trajecit, classis namque in Hellespontum ad prohibendum ex Asia in Euro-  
 » pam transitum hac aestate praeterita missa, ut isti referunt, jam retrocesserat, patronis  
 » ejus pecunia et asiatica gaza corruptis, quod mihi non fit verisimile, nec persuaderi  
 » mihi potest, illos tanta usos fuisse perfidia ut christianum sanguinem Muhumetistis ven-  
 » diderint. Illud autem credibile est, deficiente comatu, classem ulterius non potuisse  
 » procedere, sicuti jam suis litteris timere se Julianus cardinalis significaverat. Utcunque  
 » sit, liberum mare Tureis patuit, qui transeuntes in Graeciam, junctisque suis eis mare  
 » manentibus, cum magno exercitu Christianos aggressi sunt; nec nostri detrectavere cer-  
 » tamen, sed in ipsa sancti Martini festivitate, bellum commissum est, quod tam atrox,  
 » tam asperum fuit, ut raro inter mortales tale fuisse putetur. Diu praelium anceps fuit,  
 » diuque viribus utrinque paribus pugnatum est; atque dum nostri pro Christo, illi  
 » pro Mahumeto contendunt, tam aeres utriusque partis animi fuerunt ut caesis inter  
 » utrinque exercitum circiter xv<sup>m</sup> hominum, cum pugna par esset, adhuc cessare nolue-  
 » runt, sed quo plus sanguinis fundebatur, eo ferociores utriusque acies turmacque  
 » praeliabantur. Defecerunt tamen utrisque vires, fessisque brachiis, nec versari gladios  
 » amplius, nec arcus tendere valebant. Quae res quiescere ambas partes ad magnam  
 » horam coegit, donec resumptis viribus ac spiritibus redeuntibus, instauratum est  
 » praelium, in quo vicit ad extremum Tureorum exercitus, sive virtus fuerit, sive fatum,  
 » sive quod numero plures erant. Affirmant qui ex bello fugerunt, patrum nostrorum  
 » memoria nullum tota in Europa tam eruentum bellum esse commissum; nec pauciores  
 » ex Tureis quam ex Hungaris cecidisse, et, si verus est rumor, LXXX<sup>m</sup> virorum in hac  
 » caesa fuisse pugna. De rege Poloniae incerta vox est; quidam occubuisse eum ferunt,  
 » quidam captum putant. Illud inter omnes constat regem Poloniae ad Hungaros non  
 » esse reversum; nec desunt qui eum in facie vulnus suscepisse inter praeliandum affir-  
 » mant. Quo fit ut adolescenti tam nobili tantique animi condolendum sit, qui non suo  
 » judicio, non enim propter aetatem aliena regna cupiebat, sed suorum suasu ex



» pacifico regno in alienum, non ad pacem sed ad bellum, non ad opes possidendas,  
 » sed ad mortem vel captivitatem tractus est. Murmur etiam est in hoc praelio virum  
 » nostri temporis tum eloquentissimum tum prudentissimum, Julianum, cardinalem  
 » Sancti-Angeli, eecidisse ac suum illum nobilissimum spiritum ad omnia quaecumque  
 » ageret divinitus aptum exhalasse. Quidam asserunt eum cum Johanne Vayvoda Tran-  
 » silvano, viro magnifico et, nisi timiditate victus aufugerit, animosissimo, cum paucis  
 » evasisse, quod magis optaverim. Sed mors sua michi probabilior est, quia non fuit  
 » in bellis fortunatus. Nam et adversus Bohemos cum exercitu profectus, fugatus est,  
 » nisi forsitan et idem sibi mune accessisse arbitrari velimus. Sed assuevit fortuna quos  
 » uno ex bello fugatos fecit, in alio interemptos reddere. Quaecumque ejus sors fuerit,  
 » non puto male actum eum eo qui pro Christi fide pugnavit, pro qua si mortuus est,  
 » ut isti ferunt, nulli dubium esse debet quin ad Eum transierit, ejus causam tue-  
 » batur. Occisi cum eo sunt Agriensis et Varadiensis episcopi, aliique complures regni  
 » proceres, quorum nondum nomina transcripta sunt. Plures in hoc praelio illustres  
 » animae vel in coelum vel ad inferos transierunt. Insignis est hic annus multis cladibus.  
 » Nam et Zuecesenses apud Basileam caesi sunt et dolphinus Ludovicus, Karoli septimi  
 » Francorum regis filius, quamplures Almaniae civitates occupavit. Pater vero ejus,  
 » rex Francorum, Tullum Verdunumque cepit. Nicholaus etiam Piceninus vita functus  
 » est et alii quamplures magni viri mortui sunt, qui tuae Dominationi non tam quam  
 » michi notiores sunt. Hungari jam Ladislaum receperere. Quae res nova et recens, nec  
 » magis explicanda quam tradita sit; nova in dies certiora mittentur, quae non omittam  
 » scribere si scivero meas litteras in conspectum Celsitudinis tuae acceptas esse, et  
 » non magis adversarium meum quam me in ecclesia Sancti-Laurentii, quae mea  
 » est, confoveri. Ex Nova Civitate, xiii decembris, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLIII<sup>o</sup>, ipso die  
 » Luciae. »

Felix V<sup>us</sup> pro tempore fuit obeditus in ducatu Zaboudiae, sed Nicholaus praevaluit. Quapropter idem Felix qui et Amedeus, servato proventu in comitatu de Piemont, resignavit Ludovico ducatum et heremitagium petiit ubi feliciter defunctus est. Unde et in hoc Felice terminabatur scisma secundum aliquas cronicas xxxiii<sup>um</sup>.

Philippus, dux Burgundiae, curiam Velleris Aurei tenet in Sancto-Audomaro.

1445.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLV<sup>o</sup>, Philippus dux Burgundiae versus Rhodes quatuor direxit galeas cum pulera comitiva virorum fortium et nobilium, quorum supremus fuit dominus Johannes de Portugalia, sed parum contra Turchos egerunt. Fecerat enim idem dux apud sanctam civitatem Jherusa-

lem ubi sepulchrum Christi situatum est, construi miro artificio capellam quamdam in cacumine montis, sic quod turris ejusdem capellae signum cunctis viatoribus fuit illic ad septem vel octo miliaria properantibus, quam Turchi everterunt. Unde plurimum indoluit idem dux, et se contra illos profecturum pollicendo justamque vindictam, bellis continuo illaturum se juramento constrinxit. Istud vero propositum mansit diebus singulis apud ipsum alta mente repositum, sed tamen non se disposuit, domesticis rebus uinium praepeditus. Nam dominus de Ternant, capitaneus magni castris apud Selusam, convenerat tradere illud in manus Anglicorum et super hoc receperat multa bona cum navibus sibi transmissis, quae quidem naves, cum versus forum venalia ferrent, accidit ut apud castrum de Saeflinghe, vento contrariante, demorarentur. Quo casu mandatum fuit ut arrestarentur ibidem : quod factum est. Dux autem praefatum dominum capi jussit et sibi deliberari; qui mox veritatem rei confessus poenam suae traditionis exsolvit. Ipse vero dux versus Burgundiam iter faciens, cum Cabilonem venisset, comparuit ibidem rex Franciae Karolus, et Reynerus, rex Siciliae, supervenit, ut super rencione componeret sibi pridem posita a duce Burgundiae, qui, cum deliberaretur a captivitate, dedit in cautionem summae promissae quaedam castra atque fortalitia ipsi duci; sed quia capitanei per duce Burgundiae positi in eisdem locis populum gravabant frequenter et incolas regni Franciae, non obstantibus tamen stipendiis propriis, idcirco rex Franciae, cupiens defendere suos, tractavit taliter cum duce Burgundiae quod commutatio quaedam facta est locorum, videlicet quod pro castris et locis ibidem assignatis dux Burgundiae cum viribus et pertinentiis in perpetuum a se et suis heredibus possidendam servaret villam Casletensem, super quibus litterae testimoniales confectae sunt, sigillis horum regum et ducis Burgundiae, prout consuetum est in talibus, assignatae.

Eodem anno, duxissa Burgundiae venit ad regem Franciae, quae multum solempniter fuit recepta. Sed nova superlata fuere quod defuncta sit regina Portugaliae, mater sua, unde gaudiorum extrema luctus occupavit. Obiit etiam regina Hispaniae, quae ambae sorores fuerunt regum Arragoniae et Navarrae. Similiter obiit regina Scotiae atque filia ejus delphina Franciae quam visitare putabant ejusdem duae sorores, quae per mare Brugis applicuerunt. Hiis novis receptae sunt et ad exequias versus regem perrexerunt,

a quo susceptae sunt multum magnifice. Verum quia juvenulae nondum maturae nuptiis, rex ordinavit ut omnem statum delphinae sororis earumdem eis assignaretur donec matrimonio conjunctae sint. Hiis insuper actis, rex Francorum versus regem Angliae suos ambaciatores misit, comitem de Vendosme, germanum suum, ceterosque de consilio suo, pro bono medio pacis inter eos tractando. Quod ut fieri posset utilius et commodius, rex Castiliae seu Hispaniae, qui frater armorum fuit regis Franciae, suos similiter ambaciatores transmisit: quorum omnium omnis fuit universaliter pacem concludere pro quibuscumque partibus et simul alligatis. Sed ipsis magnifice receptis, tantummodo treugas impetravere ab hoc tempore usque ad sequentem annum, sic quod reversi sunt. — Post hoc rex Angliae misit electum episcopum de Clocestre, avunculum suum, magistrum Adam <sup>1</sup>, et cum eo plures nobiles qui regi Franciae diem supra mare statuerunt comparandi, ubi rex Angliae conveniret cum eo super totali pacis conclusione facienda.

Eo tempore, Franciscus, dux Britanniae, venit facere hommagium regi Franciae, de quo graviter indignati sunt Anglici. Qui dux Franciscus, dubitans de fratre suo Egidio ne prae buisset ingressum Anglicis, fecit eum capi vii kalendas martii.

## 1446.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLVI<sup>o</sup>, orta jam dissentione inter Januenses, consilio pontificis praefati pars sanior elegit pro duce regem Franciae, qui multum gratanter dominium illud acceptavit, et missis ambasciatoribus et capitaneis applicantibus in portu Marsiliae sunt delata nova quod dominus de Chamfrigor, qui plures in eadem civitate habuerat amicos, jam invasisset subtiliter Januam cum quodam milite, qui signo regio videlicet vexillo lyliato cum eodem intraverat, unde Januenses qui partem regis Franciae servabant, gavisissimi plurimum, ignorabant fraudem. Dominus de Chamfrigor fortificatus pro parte sua paulatim occupaverat, et creatus est dux, fugato milite regis ac ceteris regi faventibus, sic quod dominium sibi usurpavit. Quo audito, Francis galeis et navibus ante Januam venien-

<sup>1</sup> Adam Moleyns, évêque de Chichester et lord du seel.

tibus, idem Chamfrigor mandavit ut recederent, quia pro seipso patriam quam conquestaverat gladio, illam quoque contra quoscunque defenderet; et sic confusi recesserunt ambasciatores et Franci deputati per regem. Unde Nicholaus vehementer commotus hunc novum ducem Januensem pluribus bellis laccessivit, contra quem nec praevaluit; nec pariformiter contra Alfonsosum regem Arragoniae, qui Reynerum regem pepulerat, armorum vi Calabriae ducatum defendere potuit diebus suis quibus vitam in humanis egit, unde, tota commota guerris Ytalia, Turchi Graeciam fortiter impugnantibus multa christianae plebi dampna minabantur inferre.

Eodem anno, rex Angliae Henricus, episcopum Cloestre et comitem Dodelay<sup>1</sup> misit ad regem Franciae, et prolongatae sunt treugae inter eos per unum annum, quo tempore intermedio tractaretur latius super materia pacis confirmandae.

Filia unica regis Cypri conjuncta fuit matrimonio Jacobo, fratri ducissae Burgundiae : sic adeptus est coronam.

Petrus, dux Britanniae, sinistre per invidiam informatus de fratre suo domino Ægidio comite de Pentievre, jussit eum includi et strangulari. Rei vero mortis, dum malefecisse per invidiam omnia confessi fuissent, Romam adierunt, ex quibus aliqui publica poenitentia mortem, in Britanniam remissi, passi sunt; nec supervixit dux Petrus divinitus flagellatus. Cui frater successit, scilicet Franciscus qui regi Franciae fecit homagium in castro de Chinon, paucisque diebus etiam rexit. Cui successit avunculus ejus Arturus, comes de Richemont. Post quem Franciscus, filius Riquardi, fratris Arturi.

Obiit Eugenius IV<sup>us</sup>, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLVI<sup>o</sup>, vii<sup>o</sup> kalendas martii, anno xvi<sup>o</sup> suae praesidentiae. Cui pridie nonas martii successit Thomas Sarzanus, sic cognominatus ab opido natali suo, uno et eodem anno ex episcopo Bononiensi, cardinalis et pontifex summus creatus et nomen Nicholaus V<sup>us</sup> adeptus.

Beata Colleta de Burgundia, ordinis sanctae Clarae, cum apud Gandavum fundasset novum monasterium ubi et abbatissa prima fuit, extruxisset, hoc anno feliciter in Domino requievit, et fertur quod in vita mortuos suscitaverit, quemadmodum in libro miraculorum ejus Clarae continetur. Haec inter sanctas relata et canonizata fuit tempore Sixti IV<sup>i</sup>, summi pontificis ejusdem ordinis.

<sup>1</sup> Il s'agit ici de lord Dudley.

*Epitaphium Eugenii papae IV<sup>i</sup>, defuncti vii kalendas martii anno 1447.*

EUGENIUS JACET HIC QUARTUS, COR NOBILE CUJUS  
 TESTANTUR VITAE SPLENDIDA FACTA SUAE.  
 ISTIUS ANTE SACROS SE PRAEBUIT ALTER AB ORTU,  
 ALTER AB OCCASU CAESAR UTERQUE PEDES.  
 ALTER UT ACCIPIAT FIDEI DOCUMENTA LATINAE,  
 ALTER UT AURATO CINGAT HONORE CAPUT;  
 QUO DUCE ET ARMENI GRAIORUM EXEMPLA SEQUUTI,  
 ROMANAM AGNORUNT, ETHIOPESQUE FIDEM,  
 INDE SYRI AC ARABES, MUNDIQUE E FINIBUS INDI:  
 MAGNA, SED HAEC ANIMO CUNCTA MINORA SUO.  
 NAM VALIDA RURSUM TEUCROS JAM CLASSE PETEBAT;  
 DUM PETIT, AST ILLUM SUSTULIT ATRA DIES.  
 QUI SEMPER VANOS MUNDI CONTEMPSIT HONORES  
 ATQUE HAEC IMPRESSA: CONDITE, DIXIT, HUMO.  
 SED NON QUEM RUBRO DECORAVERAT ILLE GALERO,  
 NON HOC FRANCISCUS STIRPS SUA CLARA TULIT,  
 SUSCEPTIQUE MEMOR MERITI TAM NOBILE QUOD NUNC  
 CERNIS TAM PRAESTANS SURGERE JUSSIT OPUS.

Papienses cum abhorrerent imperio subesse Venetorum, et extrema pati maluissent quam illis propter vetus odium obtemperare, Alfonsus rex in Senensium maritima descendens, dum per civitatem iter peteret, sibi denegatur. Unde mox in Vولاتerranum et Pisanum agrum pergens, multa vi castella cepit, praeter Castilionem, duce Sigismundo Malatesta, quem Senenses a se conductum ab Alfonso rege noverant defecisse. Sed filius Francisci Sforciae bello cepit duces copiarum venetarum, et in ducem pro stipendiis mensurnis admiserunt eum Veneti ut ejus reconciliati amicitiae, patrem ejus in ducem reciperent. — Nicholaus V<sup>us</sup>, cum ab omnibus fere principibus christianis orbis obedientiam suscepisset, solus rex Alfonsus sibi rebellionem primo demonstravit. Cui tandem adhaesit comes de Carmagniole, capitaneus Mediolanensium; sed cum Veneti sub capitaneo Francisco Sfortia plurimum bello patriam Mediolanensem vastarent et fraudem experti essent Mediolanenses dicti comitis, qui de patrimonio ecclesiae sibi loca usurpabat, aecersitum eum truncari fecerunt. Deinde papa Nicholaus copiosissimos thesauros effudit ad defensionem ejusdem patrimonii quod rex Arragonum seu Neapolis invaserat, Renato detruso. Interea civitate Mediolani suscepta cum filia ducis, idem Franciscus Sfortia factus est dux et gloriam suam filiis reliquit legitime procreatis ab eo. Nam successit

ei Galeatius; ipse vero Franciscus, Ecclesiae factus conservator, eundem Alfonsum cepit et alia multa perpetravit.

Pro dietis praenosticis a quodam cordigero fratre Johanne de Bassignao, dum circumiret regiones mundi, circa annos Domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> XLI<sup>o</sup>, familiaris ei quidam Judaeus dixit in monte Thabor, quod post annum M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLIV<sup>o</sup> pessimae fierent influentiae planetarum usque ad annum M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXII<sup>o</sup>, quando scilicet novus planeta eluxit, insuper ab anno isto, sicut dixit, videlicet M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> XLVI<sup>o</sup> proditioes et conspirationes inciperent pessimae.

1447.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLVII<sup>o</sup>, rege Francorum Turonis existente, venerunt ad eum ambaciatores eorum quorum interest eligere Caesarem aut imperatorem Romanorum; et erat archiepiscopus Treverensis cum ceteris nobilibus. Similiter Angliae regis nuntii supervenerunt, videlicet episcopus Norwic, magnus magister ordinis Sancti-Johannis de Rodes, comes Daudelay atque plures alii pro unione ecclesiae. Nam Felix antipapa se noluit cognoscere depositum post mortem Eugenii papae, et ideo tota patria sua sibi soli tanquam vero pontifici obedivit. Per regem igitur Franciae et ceteros ibidem congregatos ex parte principum totius christianitatis, qui omnes Nicholao adhaeserant, conclusum est ipsum Nicholaum fore verum papam et caput universalis Ecclesiae. Quod audiens Felix qui ix annis regnaverat in Zaboudia, resignato ducatu primogenito suo et ceteris filiis ac filiabus honorifice provisus, medio cujusdam cardinalis, d'Arle, qui tempore Martini VI fuerat vicecancellarius et per Eugenium passus est repulsam a curia romana, qua ratione congregationem quorundam cardinalium apud Basiliam fecit contra Eugenium; quibus convenientibus, ipsum Eugenium indignum et inhabilem ad pontificium judicaverunt et ipsum deposuerunt, eligentes Aymedium, ducem Sabaudiae, qui videns se minime acceptum, saeculo renuntians, intravit heremitagium cum xii aliis, ubi fere vi annorum spatio degens, post obitum papae Eugenii reversus est ad saeculum et libere cessit papatu. Nichilominus instantia regis Francorum factus est cardinalis Sanctae-Sabinae, et abolitum est scisma; factumque est matrimonium inter delphinum et filiam ejusdem Amedei, quondam ducis Sabaudiae. Postmodum Ludovicus, comes Sancti-Pauli, similiter et filius ejus, duas filias sibi uxores habuerunt ejusdem ducis.

Eodem anno ruptae sunt treuge inter duos reges, et rex Francorum ordinavit eligi valentiores architenentes ab omnibus parochiis sibi subjectis, et reportatus est numerus xxxii<sup>m</sup>. Anglici villam de Saint-Jame-de-Bevron ceperunt, quod facere non debebant, stante et durante appunctuamento. Similiter ceperunt villam de Fougiers pertinentem duci Britanniae, sitam ad ingressum Normaniae. Quod cum rex audierat, misit ambaciatores ad ducem de Sommersed, gubernatorem Normaniae pro rege Angliae, qui reddi petierunt locum aut loca capta : similiter dux Britanniae suos misit. Quibus respondit id non posse reddere quod non acceperat. Mox dux Britanniae significavit regi Franciae quod assistere vellet suo vassalo. Cui rex matura deliberatione respondit : prius a rege Angliae fore requirendam condignam satisfactionem et restaurationem ; quam si non continuo exhiberet, paratus erat omnem ferendi assistentiam in recuperando nedum praefatum locum sed totalem Normaniae ducatum. Audita igitur regis Angliae deliberatione, misit rex Francorum ad ducem Britanniae comitem de Dunoyis cum pluribus aliis, in succursum sibi contra Anglicos. Qui quidem dux misit litteras regi qualiter ipse et sui barones, tenore praesentium, sub fide nobilitatis, pariter regi conjuraverant arma relevare contra regem Angliae sibi que adhaerentes, donec a regno Franciae funditus effugati essent Angli. Hoc quidem regi Franciae consigillaverunt et compromiserunt omnes barones et nobiles regni promptissimos se offerentes ad Anglicorum expulsionem, primo loco Reynerus, rex Ciciliae, Karolus, comes Cenomaniae, et plures alii nobiles quorum memoriam agit historia Karoli septimi Francorum regis.

Hoc anno Philippus dux Burgundiae Gandavi curiam tenuit, ubi Jacobus de Laleyn, vir procerae staturae duellum habuit cum Hispano quodam, quem in parco superavit acutis lanceis et gladio. Factumque fuit eodem tempore mirabile duellum duorum animalium, videlicet leonis et tauri, sed taurus minime morsibus cessit quin tandem devictus sit leo cornibus ipsius tauri : quod praesagium fuit malorum quae statim evenerunt inter ducem et eandem villam.

---

Hoc anno, Philippo Maria duce Mediolani mortuo ab apoplexia, nullo comite relicto haerede, Æneas qui, postea Pius II<sup>us</sup>, ab imperatore Frederico III<sup>o</sup> missus est, apud quos

orationem fecit de hereditario Urbis imperio. Cui si populus obtemperasset, adhuc fortasse libertate uteretur, et dum secundo urbem ingressus est, obsidente Francisco Sfortia civitatem quam etiam optinuit. Sed reversus Aeneas imperatorem hortatus est in Italiam declinare, quod fecit.

Iste Philippus dux obiit apoplexia vi ydus augusti, anno M° CCCC° XLVII°; et tunc socer ejus Franciscus Sfortia occupare coepit dominium ejus. Alfonsus autem Romam ascendit ut cum ducibus Eugenii papae Florentinos bello persequeretur. Sed induciae procuratae sunt, cognita scilicet morte Philippi. Porro Mediolanenses a Venetis auxilium exquirunt, qui miserunt eis Sigismundum Malatestam. Sed is, cum faveret Francisco Sfortia, dejectus est.

Nota hic, quod non obstantibus treugis inter duos reges, ipse Francorum rex obsedit et cepit Mentam in Normania. Sed hoc ex contractu fecit quod pro parte non maneret adversa, quae transfretari fecit xv° armigeros ad dictam villam tenendam contra regem Franciae, cui debebant ex contractu villam resignare.

Laurentius, statuariae sculptor, apud Florentiam praestantissimum opus perfecit ad baptisterium, quod non minori quam l. annorum spatio perfinivit. Postquam Florentiae nummi extensi sunt aurei et argentei, quaedam aliae civitates lucri gratia alios suo signo figurare coeperunt et ad novitatem temporis ausi sunt numismata fabricare in latitudine et pondere prout ab ethnicis principibus antiquitus actum est, insculptis eorum ymaginibus et data superacta moderni temporis.

Sciendum hic est quod mortuo Alberto duce Austriae et electoribus dissentientibus propter Ladislaum Hungariae regem, qui voluit esse imperator, seiscina per aliquot tempus duravit, donec Fredericus, frater Alberti, constitutus et coronatus sit. Et postea Ladislaus obiit anno LVI°. Ipse vero Fredericus imperavit multis annis et reliquit Maximilianum, filium ex uxore sua, filia Edwardi regis Portugaliae, ejus Alfonsus frater, et matertera fuit Elizabeth, ducissa Philippi, ducis Burgundiae, quae ei Karolum generavit ducem Burgundiae, qui solam filiam habuit, quam filius Frederici imperatoris uxorem sibi quaesivit anno Domini M° CCCC° LXXVII°; sed retenta fuit novo duci Calabriae et Lotharingiae, marchioni du Pons Nicholao, qui veneno fuit extinctus, anno Domini M° CCCC° LXXIII°.

Eugenius papa hoc anno, contra Franciscum Sfortia ducem Mediolani, indignatus quod ad bona patrimonii Ecclesiae manum posuisset, pacem cum Alfonso rege Arragoniae fecit, fugato Alovio, ejus cubicularius in Urbe dompnum Angelotum, cardinalem Sancti-Marci, suspendi procuravit. Et sic usque ad obitum suum, Eugenius arma detulit in Franciscum praefatum incentorem. — Hiis diebus Eugenii papae sororis filii, Petrus Barbo, qui postea Paulus II<sup>us</sup> est appellatus, et Paulus Barbo, frater suus, multum apud Venetos potuerunt. Verum Petrus cum Alovio Medico, quem dolebat printum locum habere, cum avunculo suo simultatis odia tenere coepit ut ad seditiones perventum sit.



Tandem Alovisius patriarcha factus discessit in Turchos, et Petrus cardinalis a Nicholao V<sup>o</sup> factus est.

Veneti et Florentini inter Mantuanum agrum, prope ripas fluminis, magnas Mediolanensium copias profligavere super Adduam pontem, et in fugam conversi Mediolanenses passi sunt depraedari eos usque ad portas civitatis. Post hoc Eugenius papa Picenum agrum recepit quem filius Francisci Sfortiae possederat. — Alfonsus rex Neapolis et Ceciliae contra Florentinos per Volterranum agrum quaedam castra occupare coepit, et Franciscus Sfortia Papiam filio suo dedit. Ipse Placentiam sibi subjugans in suorum praedam eam convertit.

Die Palmarum inundatio maris periculosa fuit.

Hoc anno papa Eugenius multa bellicosa contra Franciscum Sfortia fecit, eo quod comitatum Anthoniensem abstulerat. Hic Franciscus eum naturali filia, Blancha nomine, ducis Mediolani, tandem factus est cautelose dux Mediolanensis et capitaneus Januensis.

1448.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLVIII<sup>o</sup>, Philippus, dux Burgundiae, summo pontifici Nicholao V<sup>o</sup>, congratulans ejus promotioni, scribit in hunc modum per dominum Johannem Godefridi, episcopum Attrebatensem : « Quod lex » sacra exemplum extulit, pedum tuorum pulverem princeps noster, dux » Burgundorum, lingere cupit, et per nos, in terram vultu demisso, te, » summe pastor, nunc veneratur. Quod autem esse magnanimum perhi- » betur, idem suapte natura constans, sed semper ad tuum velle flexibilis, » hoc palam agere et libere profiteri contendit. Quod vero de Menelao scrip- » sit Homerus : vir pauci sermonis, ipse res Tuae Sanctitati quam verba » praestare mavult, atque studia, fidem, devotionem ipsius in te quam » dici consuetudo suadet. Cur de picturae nobilis colore detrahens quae » per se magna sunt sine luce orationis, quasi discreta contractare? Quippe » qui de te et apud te dicturus praevideo animo uti, quorum oculis ob- » jectus ab alto splendoris aciem frangit altius quiddam in te repositum » quam nos, humi strati, suscipere possumus. Cerno enim quanta potestate » orbem complexus es et coelestis auctoritatis culmen attingis. Scio Alexan- » drum ab Apelle pingi et a Lysippo fingi optasse : te vero ab eloquentiae » usu, mirabilem memoriam, summam scientiam decere dicendi genus quod » artificis eloquentissimi statera pensum sit. Non ignoro quam profuse in

» tuam gloriam dixerunt oratores ytali quorum splendor animis Patrum  
 » insedit, a quibus universum eloquentiae flumen erupit. Quando igitur, ut  
 » Salomon loquitur, anima fatigata calcabit favum, qua voluptate nunc  
 » exilis oratio nostra Tuam Sanctitatem perfundet aut quid dignum auri-  
 » bus tuis vel probabile possit afferre? Res praeterea per se gravis curam  
 » multiplicat. Si enim Caesar eorum impudentiam admirabatur qui agebant  
 » in coena gestum, spectante Roscio; si Gayus Lucilius in oratione Cicero-  
 » nis non insulse dicebat se neque ab imperitis, neque a doctissimis velle  
 » audiri, subvereor artium illam varietatem, illud tuum acumen, illud  
 » ingenium quod tibi per provincias omnes affulsit, quo velut Carneades  
 » quaecunque discutis, animo notas et corrigis, et si libet tibi subvertis.  
 » At contra, beatissime pater, quantum timoris adjecit tua majestas, tantum  
 » terroris humanitas nichil perspecta depressit. Ea enim, cum in principe  
 » quolibet tam clara quam rara est, tam singularis et praestans in te quasi  
 » lucidissimum lumen elucet. Aurium vero fastidium aberit, quia ut solem  
 » suggerentem ferme in dies conciliare sibi gratiam, non exulcerare vide-  
 » mus : sic nova semper et manans ab intimo virtutis fonte tua laus, quo  
 » magis recensetur, magis animos allicit, penetrat, mulcet, oblectat. Verum  
 » quid istud adeo dicere tantum refert? Non enim te absolutissima praes-  
 » tantia Patrem laudare venimus sed admirari; neque cohortando verba fun-  
 » demus, neque te vero monebimus ut summus pastor dispersum gregem  
 » reducas, ut prospicias sedando scismati, ut reges et principes dissen-  
 » tientes componas : civile namque istud est et tibi publico parenti con-  
 » venit. A te foecundos rerum proventus religio christianorum exspectat :  
 » quaecunque facis, tua sponte, non hortatu cujusquam faxis. Quamobrem  
 » itaque ad omne bonum te currentem vel incitemus, vel inflammemus  
 » ardentem? An tu istam disjunctionem christianorum, ardentem odio re-  
 » ges, excussam morum severitatem, ecclesias sine titulo, sine jure, sine  
 » legibus relinqui direptionibus et violentiis? an tu, inquam, pastor, pater,  
 » antistes, haec dissimulare posses vel sustinere? Quid periculi scisma  
 » parturit? Ut semper in perniciem majorem labitur, non te fugit? Quam  
 » facile scisma inducit haereses? Caritatem, matrem virtutum reliquarum,  
 » profligat, populi devotionem minuit, cleri disciplinam prophanat, censu-  
 » rarum ecclesiasticarum reverentiam, nervos, robur, vires evertit : tu scis  
 » istud intestinum malum. Hanc acerbiter flebilem, quis, beatissime pa-

» ter, vel auctoritate, vel industria, vel dignitate, praeter te, frangere potest?  
 » Hoc certe est animi, hoc est ingenii tui; hanc expectationem de nullo quam  
 » de te gerimus. Ex tribus enim spem firmam praebes omnia sub te fausta,  
 » felicia, prospera fore: primum quod non hominum ingenio vel solertia,  
 » sed ejus qui pauperem facit et ditat, Dei manu supra dominantium sceptrum  
 » sublatus es. Tu enim velut egenus, sine pallio, nudus opibus, res humanas  
 » contempnens, contra fortunam paratus, de virtute in virtutem procedens,  
 » sine temporis tractu, sed una forte vigilia per scalam Jacob ad verticem  
 » rerum evasisti; tu velut Gedeon, minimus in domo patris sui, sic tui  
 » ordinis in collegio sacro postremus, liberaturus Israël de manu Madian,  
 » exercitus Christi ductor effulges. Tu post Eugenium Patrem, qui te ad  
 » ecclesiae opem provexit, obligisti nobis tanquam post David Salomon  
 » sapiens. Hoc datum est, non certe sine miraculo, ut nullus Anna pontifex  
 » armatus effecerit quod primis initiis perfecisti rogatus; et enim non in  
 » exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus per Zacha-  
 » riam, concussas bello urbes ecclesiae, flagrantem civili caede Bononiam,  
 » longa clade contritam Marchiam restaurasti. Non opibus, non ferro ces-  
 » sare facis eas a praehis: quasi rex justus labiis imperas. Itaque protector  
 » potentiae, firmamentum virtutis, Dominus: illuminatio tua et salus tua est,  
 » pastor sanctissime; et quem timebis? — Secundum vero, unde tu nobis  
 » spem polliceris, illud est quod, tanquam Fenix homericus Achillem, sic  
 » te cardinalis Sanctae-Crucis summa prudentia, moderatione, vitae et seve-  
 » ritate primis annis instituit et ancipitem illam dicendi faciendique sa-  
 » pientiam edocuit. Nempe dum Josue repletus est spiritu sapientiae, quod  
 » Moyses imposuit super eum manus suas; dum Elizeus ab eo, cui mini-  
 » strabat, Helia duplicem spiritum recepit: nonne quae in Patre illo fuerunt  
 » ornamenta virtutum omnium, in te translata sunt, cui sicut Achates  
 » Eneae, ut Rudi Noemi, ut apostolo Paulo Thimoteus, adhaerebas. Profec-  
 » to, ut sanctum cum sancto fore propheta dicit; utque Eleazarus nutritoris  
 » Aaron extrinseca suscepit, tu familiam et Nicholai nomen ab illo patre  
 » capis; tu sanctimoniae fontes sic ab illo totos exhauris, quod, si tu velles  
 » res parvas attingere, ingenium certe tuum nequiret. — Tertium unde et  
 » reipublicae congratulandum est et de te bene sperare licet, illud arbitror,  
 » quod Plato in quadam epistola scripsit: praecipuum argumentum virtu-  
 » tis esse habundare amicis, carere vero improbis; quod quidem lex sacra

» exprimit: Cum impii sumpserint principatum, gemet populus, at in exul-  
 » tatione justorum multa est gloria. Quid autem splendore isto laudis illus-  
 » trius, quam quod scissus in partes civium furor in tua tamen laude quiescit?  
 » Hostes ecclesiae peragrantes Sabaudiam nuper cognovimus: acerbum de  
 » te nichil loquuntur; non tuam gloriam vellicant, non dente maligno car-  
 » punt. Et sane, quamquam rerum omnium principia parva sunt, quae suis  
 » progressionibus usa augentur. Qui prius tuae sedi detrahebant, Ger-  
 » mani veniunt ad te pugnantes contrariis studiis et adversis consiliis utentes.  
 » Principatus Ytalicorum convenerunt ad te colendum, quasi vir unus; et  
 » pari animo, eodem impetu mentis, uno consilio te collaudarunt. Dicerem  
 » quam ingenti fervore noster princeps, cum tuam promotionem audivit,  
 » quanta laetitia hoc caeleste nuntium populos, insulas et dominia subdita  
 » sibi perfudit. Referrem plausus, gratulationes, exsertissimos gaudialudos,  
 » et ea quibus vulgo jocunditas significatur, devotissimasque gratias a no-  
 » stro principe et suis subditis ob idipsum redditas Deo. Commemorarem  
 » quantopere Basilienses nervos intenderunt ut, post piaec memoriae Eu-  
 » genii obitum, nostri principis inconcussum pectus everterent; quomodo  
 » item illustris Sabaudiae dux per suos oratores in id ostenderit patriarum  
 » vicinitatem, necessitudinem sanguinis, vetusta foedera. Ponere ante ocu-  
 » los possem quam aperte, non occultando fronte, noster princeps, non  
 » carnem vel sanguinem sed coelum spectans, patrem pro te relicturus  
 » et matrem, animum de firma fide non demutavit, sed ejus principis, qui  
 » sibi cognatione patruelis, caritate germanus est, preces abjecit, antipapae  
 » nomen proferri vetuit, ipsius litteras legere sprexit, te unum, te verum,  
 » te solum praesulem etiam inter fulgentes gladios sequi decrevit; sed haec  
 » missa fero. Nempe licet, per hos seditionum fluctus, professio bonae vo-  
 » luntatis Deo grata et ecclesiae sit salutaris, tamen noster princeps, si quid  
 » religioni detulit, in hoc non cupit sibi meruisse laudem, ne minus debito  
 » fecerit, vehementer exoptat. Notum est itaque, patres reverendissimi,  
 » uberes Christum gratias vobis afferre, quod in deligendo christianorum  
 » omnium patre, non statuistis oculos vestros declinare in terram, non  
 » Cresos spectastis aut Darios, sed aurea secula nunc reduxistis, nunc  
 » demersa scientiae praemia revexistis in altum, nunc nobis praesulem  
 » principem omnis doctrinae, excelsum prae regibus terrae, instauravistis.  
 » Pro vero namque Anna obtinebat regna et pontificatus dignitates excelsas.

» Unicuique vel fortuito vel ambitu venire [ad eas, indignum]. At praecel-  
 » rissimum orbi, dignum est nobis, et reipublicae salutare, quod princeps  
 » omnium non in falsam alienae gloriae hereditatem incumbit, non majo-  
 » rum inflatur titulis, non aliunde pendet, sed tum sua virtute, tum ea  
 » scientia quae in labiis praesulum inest, testimonio Malachiae et ceterorum,  
 » et secundum quod in Deuteronomio legimus. Pontificis vera perfectio in  
 » hoc vestigio praescientiae fontis apparet. Refert Jheronimus Quintum  
 » Fabium solitum dicere : Felices artes forent, si de illis iudicaret arti-  
 » fices; et Sextus Pitagoreus in Proverbiis auctor, eos esse est Deum in-  
 » gratos qui non venerantur hominem doctum, et eruditum non colunt.  
 » Ait Ecclesiasticus: Aurum et multitudo gemmarum et vas praeliosum  
 » labia scientiae. Sed, ut ponderibus impositis lancem deprimi, ita inficias  
 » ire poterit nemo quin rarus litteris honor illatus sit et quasi aurum terra  
 » celaverit ac margaritam concha contexerit. Verum haec est vestra gloria,  
 » patres, haec laus in populis quod, velut Ulixes omnibus rebus senten-  
 » tiam praetulit, Sirenes ob id non audivit, saxis adhaesit, vester senatus,  
 » ut quondam Innocentium quartum aquilam viris, sic Nicholaum ex solo  
 » Januensi doctorem ad pontificatum sacrae majestatis abstraxit. Qua vice  
 » quid egistis aliud quam probare populis vos Spiritum Sanctum secutos  
 » esse, obaudivisse legibus veterum, contulisse, quemadmodum Aristoteles  
 » admonet, opus ipsum et praerogativam. Subjecit hoc profecto populos vo-  
 » bis, patres reverendissimi, et gentes sub pedibus vestris. Quid ita? Quia,  
 » ut Socrates ait, virtus est quae res impossibiles ad possibilem facultatem  
 » reducit; virtutis vigor, omnibus perditis, sese sustentat; virtuti omnia  
 » parent; virtutem Appius in carminibus appellat fabram fortunae. At  
 » quam virtutem in hoc omnium patre mirabuntur? Vultis exemplo Grae-  
 » cos ducere? vultis Romanos? an fortitudinem animi vultis, qua sibi et  
 » certant haerere et laudari quaeunt? Siquidem non Oratius, non Temi-  
 » stocles plus in patria conservanda magnitudinis animi habuit, quam  
 » hic pro romanae sedis dignitate propugnanda victor apud Romanorum  
 » regem ostendit? An integritatem desideratis, cum ut Philo, unus ex  
 » septem Sapientibus, aurum dixit totis lapidibus examinari, auro autem  
 » hominum mentem probari? Hoc noster princeps in pace Gallica vidit;  
 » hoc Angliae Franciaeque gentes expertae; hoc reges sciunt, quotiens  
 » oblata spernens ab omni munere manus excussit. Quid multa? nequeo

» certe non immorari et semper versare animo admirationem doctrinae,  
 » ob quam Paulus apostolus ex ultimo pene primus fit, et qua insigniti  
 » tanto reliquos justos excedunt quanto stella una firmamentum totum  
 » praececellit. Verum enim, si arbitrari licet, quod Diogenes asserit, viros  
 » doctos effigies esse deorum, vos, patres reverendissimi, istum veritatis  
 » praeconem, hanc eloquentiae tubam totiens audistis eleganter dicentem,  
 » quotiens apud vos vel ex tempore dicendum fuit, vel maximi ponderis  
 » quidquam dicendum. Rursus, si bene Socrates scientiam summum bo-  
 » num esse defendit, malum vero e contra summum ignorantiam: noverunt  
 » Graeci, ut Jheronimi verba usurpem, quantus hic in clipeum scientia-  
 » rum assurgat. Si divitiae salutis sapientia et scientia, ut Ysaias loquitur,  
 » noverunt Basilienses quanto turbine hic Scripturarum torqueat hastam.  
 » Quando ergo, dum haud facile quisquam gratuito bonus est, adeo in stu-  
 » dia litterarum homines excitavistis, quemadmodum, ut memorabiles prae-  
 » lati electuri nitentur, quas vobis, patres reverendissimi, gratias dignas vel  
 » litterati vel ecclesiae inferiores unquam rependent? Quod Ecclesiae dixi,  
 » ymmo verius tota respublica. Si enim, ut Ecclesiasticus loquitur, vir in  
 » multis expertus, cogitabit multa; et qui multa didicit, enarrabit intel-  
 » lectum. Quid divinius orbi illuxit, aut quid vobis, patres reverendissimi,  
 » debet Christi religio, quorum prudentia iste, cujus nutus pro decretis  
 » habentur, cujus voluntas est lex, cujus arbitrio jura constituuntur, non  
 » nudus et inermis ad Ecclesiae gerendum regimen, sed rerum cognitione  
 » omnium et scientia venit ornatus? Hic enim primis annis, ut ii, quibus  
 » futurus erat pastor, eum agnoscerent, orbem herculeo labore lustravit; hic  
 » Galliarum, Germaniae, Ytalicorum secreta, hic nationum omnium ritus,  
 » hic domesticam et publicam disciplinam expertus est. Hic, quod de Ma-  
 » rone Cicero scripsit, omnem philosophorum doctrinam, omnium rerum  
 » divinarum nomina, officia, causas edidicit. Cum Aristoteles homines sensu  
 » vigentes aliorum, natura duce, dominos esse confirmet, princeps noster,  
 » ut seniores in Apocalipsiserta sua offerunt agno, sic Christi Vicario tibi  
 » fidem, obsequium, bona, fortunas, arma, viros, ampla dominia, se ipsum  
 » denique humili corde pollicetur et offert. Sed, ut oratio finem recipiat,  
 » ut in Numeris jubet Dominus singulos duces sese offerre Moisi per signa,  
 » turmas atque vexilla cognationum suarum; Josue vero describi jussit ter-  
 » ras Israël juxta numerum uniuscujusque multitudinis atque ad se deferri:

» quod igitur operae praetium est, in primis, beatissime pater, agrum sequa-  
 » num, regiones adjacentes Arari fluvio, populos Vangiones, Aeduos, Cabi-  
 » lones, Lingonum partem permaximam, ex Helvetiis etiam partem, sub  
 » unius Burgundiae nomine, noster princeps ad tuum nutum velleque  
 » transfert. Non gloriabor quod nichil in sedem romanam Burgundia no-  
 » stra unquam deliquit; patria quidem humilis, non res ad effeminandos  
 » animos habens, sed cum laboribus bellisque forti animo viros, tum reli-  
 » giones nutrire solita. Legi ego superioribus diebus Zenofontem, a reve-  
 » rendissimo patre Niceno eleganter traductum, in quo Socrates eam pa-  
 » triam clarissimam et aetatem prudentissimam dicit quae maxime colit  
 » religionem. At Caesar in Commentariis, Galliam, ait, admodum deditam  
 » religioni. Totius etiam Galliae Burgundia prima fidem Christi suscepit.  
 » Ut Clodoveus primus Francorum christianus rex baptizaretur, una Bur-  
 » gundica, sancta Clotildis effecit; ac in christianissimum Franciae regnum  
 » Burgundia leges sacras fudit et transtulit. Itaque si religio spectatur (ad  
 » gloriam idipsum profero), inclita decora. Religiones insuper, Cluniacense  
 » et Cisterciense monasteria profero, quae ex ducum Burgundiae manibus  
 » et inter Burgundiam sic sese nobis equiparent. Si patriae dignitas con-  
 » sideretur, Aeduos Burgundia continet, quos Cicero ad Trebatium scri-  
 » bens, principes gentium, populi Romanorum fratres appellat, quos  
 » Caesar in Commentariis Galliae totius primos asseverabat; si militiae  
 » decus, est Burgundia ex fertilissima nobilitate ad tantae glebae ubilibet  
 » comperta robur vel florem; si amplitudo rerum, Burgundus populus  
 » ille profecto est qui primus post Herculem, cui ea res, ut Justinus ait,  
 » immortalitatem dedit, invieta Alpium juga transcendit, Mediolanum  
 » condidit, ultimas oras supra spem humanam peragravit. Omitto Bur-  
 » gundiae quondam regnum praepotens et pervetus; tego silentio Gun-  
 » digarium regem Burgundiae, qui Attilam, flagellum orbis, primus, ut  
 » Eutropius auctor est, bello temptavit. Praetereo Gontranum, alterum  
 » Burgundiae regem, quem sublimis gloria vexit in altum: Suevis tunc  
 » gentilibus illata clades. Taceo Sigismundum, regem Burgundiae, qui  
 » Longobardos, hostes ecclesiae, acie vicit, castris exiit, sub jugum misit.  
 » Extant profecto annales, quemadmodum Hugonis, regis Burgundiae,  
 » Ytalis petita virtus, Berengarii tyranni rabiem fregit, profligavit, explosit.  
 » Omnibus praefatis, beatissime pater, quae Karolus Magnus pro fide gessit,

» iis nostra gens adfuit. Sed quid ego conquiro vetera, cum liceat uti prae-  
 » sentibus? Nonne principis nostri pater Johannes, acris et invicti animi  
 » princeps, hoc exemplum infudit et animo Philippi nostri ducis inscripsit,  
 » ut hostibus romanae sedis sit inimicus, adversus barbaros conetur in-  
 » stare ferro, saevire securibus? Veterem enim Burgundorum in dimicando  
 » pro fide laudem dux ipse Johannes Ecclesiae monitu retulit: qui, juvenis  
 » admodum et contra aetatem ad bella pro fide profectus, ab extremis Gal-  
 » liae per Vallachiam arma circumtulit, Turchos, signis collatis, aspere  
 » primo praelio fregit; qui, reintegrata pugna, fugientibus reliquis, cum  
 » sibi vel turpis fuga vel ferri esset subeunda crudelitas, adversus infinitas  
 » barbarorum copias certare non timuit, nec armorum fragores expavit.  
 » Denique Eburones perduelles sedi romanae ad tria et triginta milia ho-  
 » minum praelio uno cecidit. Multitudo populi cum sit gloria regis, ut do-  
 » miniorum ubertas, varietas gentium, hominum copia, Sanctitatem Tuam  
 » delectet [admittere terras nostras] ad tuae sedis obedientiam, quam nostro  
 » principi consuetudo patriae tradit et [in qua] optima voluntas alumpnos  
 » majorum confirmat. Adjicit Picardiae populos, acie potentes et versatos  
 » in armis Velocasses, scilicet Attrebates, Suthios, Menaphios, Duacos,  
 » extremosque, ut Jheronimus loquitur, hominum Morinos. Hannoniam  
 » insuper, Belgarum caput et fontem, magnificam urbium spectaculo et  
 » fama rerum, patriam noster princeps tuae potestati committit; Flandriam  
 » maxime, pater, contra quam totius Galliae vires saepe steterunt, et quae  
 » quondam, classe Venetorum conducta, Constantinopolim ad obedientiam  
 » sedis tuae perduxit; cujus vires et opes expertus, Guillelmus, dux Nor-  
 » mannorum, comitis Flandriae gener, Angliam subdidit; cui gloriam ex-  
 » peditionis Sancti Sepulchri, sub Godefrido, Hugonis magni comitis Flan-  
 » driae mors acerba detraxit; quam terram tu, beatissime pater, lustrasti,  
 » considerasti qualis sit, quales urbes in ea. Insuper ducatus Brabantiae  
 » opulens est; et ipsius Karoli Magni veris heredibus nobilitatus ager est  
 » ducatus Lotharingiae, quondam nobilissimum regnum, a quo, velut ex  
 » jugo montis altissimi flumina principatus illustres plurimi manant; est  
 » denique ducatus Linburgiae ad ripas Reni contendens, ex quibus plenos  
 » animi viros, plenos spiritus, plenos in te devotionis, noster dux in leges  
 » vel disciplinam tuam traducit. Hollandia vero atque Zeelandia, insulae  
 » divites, acerrimi homines, populi bellicosi quos nunquam vicerunt tot



» indomitae circumfusae gentes, maritimo genere Oceanum collustrant.  
 » Frisia etiam, quondam regnum potentissimum, Dacos attingit, Scitas  
 » penetrat, tibi que per nos offertur. Ducatum insuper Luceburgensem, qui  
 » Rheno imminet, Franciam tangit, Leodii patriam cingit, Treverensi co-  
 » haeret, noster princeps armis a neutralitate detorsit; plura ibi oppida et  
 » castra cepit, quam dies egit, et in tuam potestatem reduxit. Sed quorsum  
 » haec, nisi ut legi divinae obtemperemus quae principatus tributum Israël  
 » recenseri praecepit? Omitto enim comitatum Namurenses, de Chini,  
 » Alostenses, Kadrolitanum, Matisconensem, Altisiodori, Valencenarum,  
 » Boloniensem, Sancti-Laurentii, Carmelant, Ostrevantensem, marquiona-  
 » tum Sancti-Imperii, Alcestriae, Gardias, Salinarum et Macchliniae domi-  
 » nia commemorare. Diversa dixi, quorum unum quodlibet non illustre  
 » magis quam potens, contra reges maximos saepe pugnavit, quorum ter-  
 » ras ex Burgundiae, Lotharingiae et Frisiae constat annalibus florentis-  
 » sima regna fuisse; ex quibus quinque ducatus, egregios marchionatus et  
 » comitatus fere viginti astringens noster princeps illigat simul et annectit,  
 » ut patrias ipsas exponat, tibi vero, beatissime pater, arbitrium illarum  
 » ad nutum relinquat. Benedic ergo, Domine, fortitudinem ejus, et opera  
 » manuum suarum elementer suscipe; namque deditissimus tibi, ut forti  
 » fidelique animo princeps, ipse in sedem romanam fuit semper, ut Eu-  
 » genio paruit solo religionis obtentu, ut clangentibus Moysi tubis concilio  
 » Ferrariensi non defuit, sed amplas saepe legationes pro tua sede misit  
 » ad reges; ut ecclesiae monitu galeas septem et navem contra Barbaros  
 » biennio fere tenens, magno sumptu profuit; ut bis urbi Rodiorum a pa-  
 » ganis obsessae ab extremis Oceani praesidium opemque misit; denique  
 » ipsius in hanc sedem munera plurima malo ex te, beatissime pater, et  
 » sacris patribus quam nobis commemorantibus agnosci. Adest, en quod  
 » tibi nomine suo, beatissime pater, spondemus. Firmus ubique dux noster  
 » Philippus stabit tuis, summe pastor, judiciis; leges et praecepta tua custo-  
 » diet; quod longe minore potentia et pater et sui pro ecclesia et fide ausi  
 » sunt, audebit et ipse; cum enim anima, quidquid bonae voluntatis effudit  
 » apud hanc sedem, sciat cecidisse jocunde; cumque tua integritas, beatis-  
 » sime pater, sibi perspecta, quidquid favoris privatim dici posset, aspiret:  
 » nichil imminutum de sua in hanc sedem fide reperies, nichil claudicans,  
 » nichil aberrans. Ymmo, ut nervi in fidibus, ita et subditi et vicinae gentes

» ejusdem. Principis exemplo, ad quemcunque nutum ut tu voles, cores-  
 » pondent, obsequentur, parebunt, tuasque laudes, beatissime pater,  
 » tuam gloriam et Nicholai praesulis nomen, coetus, catervae, conventus  
 » hominum per theatra nostra resonabunt.

Hoc eodem anno, archiepiscopus Remensis et ceteri ambasciatores regis Franciae ad Nicholaum papam perrexerunt facere sibi obedientiam ut moris est; similiter et Reynerus rex Siciliae et dolphinus suos ambasciatores miserunt.

---

Turchi et Alani pariter multas insulas maris et populos miserabiliter devastando pervaserunt et regnum Latinorum nisi sunt invadere. De quibus Armenia, Syria, Phrigia et multae civitates supra Danubium, in confinibus Hungariae seu Poloniae, Slesiae et aliorum regnorum christianorum tristissime doluerunt. Item regnum Cypri ac Sardiniae destructum est, et inter Arragones et Hispanos tribulatio magna fiebat; et propter eventus formidabiles, per universum orbem pullulantes, dixerunt firmiter adesse tempus Antichristi, quod sub Frederico III°, Romanorum rege et Almanorum imperatore, pronosticaverat frater Johannes de Bassigneyo, necnon frater Alanus de Rupe Scissa futurum. Nam concorditer dixerunt quod ab anno Domini M° CCCC° XLVI° reservatae fuerunt pessimae conspirationes; quodque princeps magnus Occidentis miserabiliter fugaretur et ejus nobiles fere omnes gladio perirent; quod veraciter accidit in regno Angliae. Nam Henricus rex, insidiatus a nobilibus, postquam de regno Franciae fugatus esset in regnum suum, tanta bella totque sectas contra eum conseruerunt duces de Yoreh, de Warvich et adhaerentes eis, quod, capto Henrico rege et in vineulis coniecto, fugatis regina sua et parvulo suo filio Edowardo, cessit corona mox Edowardo comiti Marchiae, filio Edmundi ducis de Yoreh, circa annum Domini M° CCCC° LXX°.

Matheus Palmerus Florentinus annalia sua hoc anno Domini M° CCCC° XLVIII° finivit.

Ipsa die diei sancti Georgii, hoc anno, fiebat terrae motus in Flandria, quod in praesagium futurae calamitatis guerrarum evenisse putant, prout mox evenit.

Hoc anno M° CCCC° XLVIII°, Ludovicus delphinus, post mortem primae conjugis quae filia fuit regis Scotiae, cepit uxorem filiam ducis Zaboudiae, Margaretam nomine, de qua prolem utriusque sexus suscepit, antequam ad regiam perveniret majestatem et in statu similiter regali; sed masculi non manserunt superstites.

Florentini et Veneti Philippum, Januae dominum, classe superaverunt. Sed Florentini veriti imperatoris adventum in Ytalia, Micheleto duce, Ferrariam primo, deinde Mantuam accessit et ibi Johannem Franciscum marchionali donavit dignitate, atque spondit

Barbaram filiam Johannis marchionis Brandeburgensis uxorem dare Ludovico filio dieti Johannis, qui potestatem eligendi imperatorem habebat. Æneas Silvius tamen, qui postea Pius II<sup>us</sup> dicebatur, pacem fecit inter Fredericum III<sup>um</sup> et Alfonsum, tantumque egit ut Alienora, soror Fernandi regis Lusitaniae, id est Portugaliae, matrimonio sibi jungeretur. Et factum est, ut apud Senas imperator, ubi dieta Alienora fuit avecta, cum venisset, expulsus sit Æneas ne praeficeret optimates reipublicae gubernandae.

Eodem hoc anno nobiles in regno Angliae, propter regimen regalis curiae disceptare coeperunt. Unde rex Henricus ad obviandum gravioribus periculis, misit Edmundum ducem de Zombrezed in Normaniam ut servaret eam, et commisit pene totum onus regni duci de Iore, Richardo nepoti suo, de quo dux de Zombrezed male contentabatur et sibi adhaerentes.

Haec epistola Philippi ducis Burgundiae, valde diminuta, correctione eget; nichillominus dictator ejusdem et qui pronunciavit eam coram summo pontifice, dignitatem assecutus cardinalatus Albiensis, prius amicus ducis, postea factus adversarius, adhaesit Ludovico filio Karoli VII<sup>mi</sup>.

## 1449.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLIX<sup>o</sup>. *Copia indulgentiarum anni Jubilaei innovati per Nicholaum papam V<sup>um</sup> :*

« Nicholaus, episcopus, servus servorum Dei, etc. . . . . ; Clemens, » episcopus, etc. . . . . ; Gregorius, episcopus, etc. <sup>1</sup>. . . . . »

Eodem anno, scilicet M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLIX<sup>o</sup>, Francorum rex fortissime villas debellans quas in Normania tenebant Anglici, viriliter suae subjecit ditioni, unde seriosum valde videretur, ni fallor, si cuncta prout gesta sunt ordine tali tractarentur sicuti rei gestae declarat hystoria. Nam Anglici quorum principales capitanei fuerant comes de Zommerzed, comes de Suffort, Talhot, ceterique valentissimi, cum principalia fortalitia nunc armorum vi, nunc subtilitate Francorum amisissent, adunato eorum exercitu, Rothomagum intraverunt, quam civitatem putabant contra regem tute defendere, sed aliter ipsis evenit. Nam inconsultis eis, archiepiscopus Rothomagensis, convocatis civibus, post longam obsidionem et famis nimiam oppressionem, versus regem Francorum accessit et gratiam civibus impetravit paratis obedire suo vero regi, et quotiescunque placeret, iter intrandi darent civitatem.

<sup>1</sup> Nous omettons ces pièces qui ont été publiées plusieurs fois.

Quod cum perceperant Anglici, consilium inierunt, et in arma commoti palatium archiepiscopi ceperunt et fortificaverunt una cum castro pontis. Illico regis exercitus supervenit. Deinde noctu hora signata, rex Francorum cum omni potentia sua intromissus, factoque conflictu magno, inquantum poterant, Anglici salvaverunt se in praefato palatio. Ibi captus e converso fuit Talbot; comes autem de Suffort aufugit. Tandem videns Zommerzed qui castrum servabat, non posse praevalere, reddidit se cum uxore ac ceteris nobilibus suis. Quibus rex pietate motus, reservatis quibusdam captivis et majoribus bellicis instrumentis, salvis bonis propriis, licentiam tradidit recedendi. Sed priusquam dux de Zommerzedt dimissus sit, promisit centum milia scutorum, redditionemque illorum locorum de Caudebeck, de Monster-Villier, de Lillesbonne, de Tanquarville et de Hondfleur, pro quorum securitate, donec reddita esset somma praefata cum locis supradictis, manserunt obsides: dominus de Talbot, filius comitis d'Ormont, de Hirlandia, filius ducissae de Sommersed, filius capitanei de Chierenborch, filius domini de Rex, dominus de Berquegny et plures alii. Relictis igitur litteris suis patentibus, idem dux de Zommerzet transfretavit, cujus armigeri comitem de Suffort obviam habuerunt, cui Londonienses principaliter Normaniae perditionem imputaverant, et ea de causa supra mare sibi caput amputaverunt, misso corporis trunco versus Londoniam. Item suasu suo duces, ut aiebant, Clocestriae et Excestriae mortem paulo ante subierant, quare bannitus fuerat ex Anglia. Quibus gestis, obsessa est villa de Haerfleur per comites de Dunoy, Sancti-Pauli, de Eu, de Clermont, de Nivers et alios barones et nobiles. Tandem capta est in deditionem, salvis bonis et corporibus mille et quingentorum Anglicorum qui praefatam villam servabant.

Eo tempore, dux Britanniae, Franciscus, multas recuperavit villas in Bassa-Normania, non sine gravi suorum caede. Similiter comes de Foos cum fratre suo, comite de Lentret, fortiter Anglicos impugnavit sic quod a tribus locis impugnata Normania fuerat; unde multis hinc inde pungitivis factis, caedes utrinque saepius perpetrata est. Quae res cum plurimum gravaret partes Anglicorum, pro subsidio miserunt in Angliam, et similiter, hac re comperta, Francorum rex suos recollegit, undique praesidia requirens. Ad cuius jussum convenerunt primo Reynerus, rex Siciliae, filius ejus dux Calabriae, dux Aurelianensis, dux Borboniae, dux Britaniae et dux Alenconiae; ex parte vero ducis Burgundiae, comes Nivernensis, comes Sancti-

Pauli, ceterique plures nobiles; item comes Senomaniae, frater Reyneri regis, comes Armigniaci, comes Fuscensis, comes de Lentret, frater ejus, comes de Tartas, comes d'Alebret, comes de Dunoy, gubernator generalis regni Franciae, comes Engolismensis, frater ducis Aurelianensis, comes de la Marche, comes de Eu, comes de Vendome, comes de Laval, comes Clarimontensis, comes de Tanquarville, comes de Cominge, comes de Pierregort, comes de Harricourt, comes de Pontievre, comes de Villars, vicecomes Thuronensis, vicecomes de Loumeyne; item comes de Riche-  
mont, connestabularius Franciae, Loheac, marescallus Franciae, Coictivy, admiralis Franciae, dominus de Dorval, mareschallus Britanniae. Domini, barones et milites ceteri convenientes in subsidium regis Franciae numero vix comprehensibili statim affuerunt, et ingressi Normaniam, eripuerunt eam de manibus Anglicorum.

---

Sciendum quod Karolus dictus Magnus, una cum tribus Ottonibus de Saxonia, multum erexit ecclesiam desolatam, et in omni scismate semper optinuit ille qui jus per electionem habuit. Nam, a conversione Constantini Magni, Romani et imperatores eorum plusquam xxvii pontifices veros expulerunt a sede et poenis afflixerunt injuste, quorum haec repperui nomina: Julius primus, Symachus II<sup>us</sup>, Silverius primus, Martinus primus, Leo III<sup>us</sup>, Eugenius II<sup>us</sup>, Johannes VIII<sup>us</sup>, Leo quintus, Johannes X<sup>us</sup>, Stephanus VIII<sup>us</sup>, Johannes XII<sup>us</sup>, Johannes XIII<sup>us</sup>, Benedictus VIII<sup>us</sup>, Johannes XIV<sup>us</sup>, Johannes XVI<sup>us</sup>, Gregorius quintus, Benedictus IX<sup>us</sup>, Gregorius VII<sup>us</sup>, Victor III<sup>us</sup>, loco ejus Octavianus, Bonifacius VIII<sup>us</sup>; et Eugenius IV<sup>us</sup> pene temporibus nostris ab eis expulsus fuit, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XXXIII<sup>o</sup>. — Reges Francorum hos pontifices expulsos reduxerunt in romanam sedem: Sergium, Leonem IV<sup>um</sup>, Zachariam, Stephanum, Calixtum, Innocentium II<sup>um</sup>, Alexandrum III<sup>um</sup> et Paschalem. Sed post Bonifacii IX<sup>i</sup> tempus, Philippus dictus Pulcher, Francorum rex, se substraxit et regnum suum ab obedientia sedis apostolicae, more pontificis omnia conferens beneficia spiritualia. Quamobrem usque in septimam generationem maledictionem fulminavit idem pontifex Bonifacius in eum circa annos Domini M CCC LXXXIII, et usque ad Ludovicum regnantem adhuc diebus nostris, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXXII<sup>o</sup>, perpetratum est, quamquam Sixto IV<sup>o</sup> semel restituerit rex ipse totam pragmaticeam, quam mox revocavit, sicut et tempore Pii II<sup>i</sup>, sub eodem Sixto IV<sup>o</sup>, concilio Aurelianensi.

Eodem hoc anno, Londoniae magna commotio fiebat quia villicus civitatis fecit occidi

episcopum Clocestriae et captivum comitem de Suffort. Henricus vero rex Angliae commotus mandavit sibi comitem dari, qui dum regi dirigeretur, dimissus fuit; sed captus super mare, postea decapitatus, Londoniam missus est. Deinde Londonienses petierunt a rege sibi quosdam destinari de suo consilio: quod rex annuit, et similiter decapitati fuerunt. — Ruptae sunt treugae hoc anno inter duos reges Franciae et Angliae. Nam villa de Fougieres a Francisco de la Surienne capta fuit; quae cum in confinibus Britanniae situata sit, dux Britanniae significavit regi Francorum ejus partem fovebat. Rex vero duci de Sombrezet gubernatori Normaniae direxit nuntios ducis; et interruptis treugis, undique collectis viribus, Francorum rex coepit conquestari ducatum Normaniae.

Nicholao V<sup>o</sup> sedente, Franciscus Sfortia Placentiam diripuit firmo Venetorum praesidio munitam, tempore autumnali, et apud Cremonam, classe Venetorum incensa, circiter v<sup>m</sup> cepit. Deinde Brixiam obsedit. Quapropter Veneti cum Mediolanensibus foedus iniere ne forte Franciscus Mediolano potiretur, quod jure sibi rex Alfonsus pertinere dicebat. Verum ipse Franciscus anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLIX<sup>o</sup> potitus est, sieque successit Philippo-Maria eum filia sua. Ingens pestis per Ytaliam incenditur et haec non solum: frequens terrae motus et eclipsis. Verum Robertus quidam, ordinis sancti Francisci, indicavit populo, ejus permotione non solum feminae sed et pueri passim incedentes misericordiam clamabant. Et antea candidati solebant incedere, quorum peregrinatio tribus mensibus fere duravit, in quorum societate perlonga populorum agmina, vestibis albis induta, cum fervore devotionis vicinas civitates visitabant, clamantes pacem; et eos tanta tenuit religio ut qui alba veste non indutus aspiciebatur, ut rebellis Deo putaretur.

Propter captionem villae de Fougieres, tam rex Francorum Karolus VII<sup>m</sup> quam novus dux Britanniae Petrus convenerunt, et xvi<sup>a</sup> maii, apud Louviers in Normania, cum de reparatione dux de Zombreded, gubernator Normaniae, non tractaret sufficienter, publicatae sunt guerrae. Unde subtiliter rex primo cepit villam Pontis-Archae, ejus capitaneus erat bastardus de Fauqueberghe: captivus factus regis dedit pro restitutione sua xx<sup>m</sup>. Post pauco temporis intervallo, Robertus Floequet, capitaneus regis Franciae, cepit Conches et Vernolium, Gasto, Gonac et Saint-Manjan, quorum capitaneus ex Anglicis Mondoch. Quod ut audivit dux de Zombreded, misit Talbot comitem d'Orzet, ut statueretur conventionis dies a rege Francorum, quod rex fecit. Sed Anglici dietam non servaverunt, quin ymmo se fortiter conjunxerunt ut regi Francorum resistentiam darent extra Normaniam effugandi, et ita sic, si guerrae continuarentur a Britonibus, Franci simul a Bassa-Normania ceperunt ausum intrandi. Anglici tamen plures de Francis jugulaverunt, ex quibus dominum de Mallabois, de Sancto-Remigio et Oliverus de Nigro-Quercu, etc. — Britones assultu vario villam de Fougiers recuperaverunt, aliquibus Anglicis interfectis, et Jacobus de Clermont, cum ballivo Eboracensi et domino Petro Breze, seneschallo Normaniae, Vernolium ceperunt, multis Anglicis interfectis stipendiariis, quibusdam se turri quadam salvantibus, quos Talbot nisus est defendere. Sed

deficientibus tandem victualibus, sese reddiderunt vi<sup>a</sup> augusti. Generalis capitaneus Normaniae conquestatae, scilicet dominus bastardus de Borbonio, comes de Dunoy, et Philippus de Culant, magister hospitii, neonon et dominus d'Alliers multum coeperunt instare pro repellendis Anglicis. Et eodem tempore dominus de Mouy, gubernator factus Belvacensis territorii, cepit Gerberoye, domino Johanne Harpe, capitaneo absente, ubi xxx occisi de Anglicis fuerunt. — Item viii<sup>a</sup> augusti, Karolus comes de Heu, alias de Arthesia, et Ludovicus comes Sancti-Pauli, ex parte ducis Burgundiae Philippi, directus cum iii<sup>m</sup>, cepit Nongentum, assultu dato in quo capitaneus Anglicorum Johannes de Feure sese reddidit. Postea junxerunt se praedicti comites capitaneo generali, comiti de Dunoy in obsidione villae de Pontaudemer, quam durissimo assultu ceperunt, ubi capitaneus de Anglicis, Montfort, et thesaurarius regis Fouques Eeton capti fuerunt, pluribus interfectis bene iii<sup>a</sup>, et in hac expeditione creati fuerunt milites xxii de Francia, Picardia, vel Arthesia, sicut dominus de Reus, de Rambures, de Mouy et filius domini de Windonne.

xviii<sup>a</sup> mensis praedicti, mareschallus Franciae, dominus de Loheac, cum Joehim de Roualt, cepit villam de Saint-Janne-de-Beveron, durante assultu ix horis a mane. Deinde civitas Luxoviensis per comites praedictos capta fuit. Postquam Francorum rex festum sancti Ludovici celebrarat cum nobilibus suis apud Carnotum, in propria se disposuit ad reducendum totum ducatum Normaniae sub sua obedientia; quod et fecit divina virtute cooperante. Nam idem rex publicavit qualiter ipse rex Angliae treugas permisit rumpi, neonon et comprehensum sub treugis regnum Scotiae quod Anglici pervaserant.

Florentini diebus istis ad regem Karolum VII<sup>um</sup> Franciae nuncios miserunt ut Zaboudiae ducem averteret a persecutione Francisci Sfortia ducis Mediolani, promittentes Renatum Andegavensem regno suo Neapolitano restituere. Verum pontifex Nicholaus, certificatus de Turchorum imperatore quod in brevi totam Graeciam subjugaret, Graecis auxilium promisit si ad unionem Ecclesiae reverterentur. Interim vir sanctus Ruthenus, patriarcha et cardinalis Graecorum, descendit et a Renato introducendo flexit pontificem, dicens esse consultius in rebus tam arduis cum Alfonso rege Arragonum pacem servare quam pro Renato certare, etc. Ipse nichilominus ascendit, relicto Johanne duce Calabriae filio suo Florentiae cum exercitu, et Mediolani cum Francisco Sfortia secreto conciliatus est; ac veluti tempore hyemali, frigescentibus animis omnium et aerariis principum exhaustis, inefficax ipse Renatus in Galliam rediit. Interim ipse rex Alfonsus armis Johanna regnum eripuit, ad quod recuperandum iterum atque iterum idem Renatus temptavit et innixus est omnibus modis illud recuperare.

Fredericus III<sup>us</sup>, instante Nicholao, compulsi Felicem V<sup>um</sup> cedere, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLIX<sup>o</sup>, xxii<sup>a</sup> aprilis. Idem libenter Ytaliam, pace composita, sedasset ut ad Jubilaeum properarent, sed non valuit perficere. Romae igitur, tempore Jubilaei, tanta multitudo convenit, ut uno die supra pontem Adriani, cadente mula Petri Barbi cardi-

nalis, n° homines suffocarentur. Sequenti anno, scilicet M° CCCC° LII°, cum Alienora ex Hispania avecta, Fredericus supradictus a Nicholao V° coronatur. Haec Alienor neptis regis Arragonum Alfonsi fuit, Alfonsi soror regis Portugaliae. — Romae Nicholaus V° pontificias aedes restituit et ad Sanctam-Mariam ante Praesepe reparavit templum; a fundamentis etiam crexit templum Theodori inter palatium et Capitolium. Pantheon quoque in medio Urbis positum, vetustissimum Marci Agrippae opus, restauravit, et in Vaticano tales ut cernuntur aedes, cum muris elevatis, inchoavit contra tyrannos, ne domus et templum Beati Petri, quemadmodum alias factum est, diriperentur. Praeterea testudinem amplam in tribuna fecit, Pontem Milvium reparavit et omnes Urbis vicos sterni fecit, elevans largas aedes ubi nobiles et virgines ac inopes ad paupertatem redactos collocavit. Legatos quoque semper magnifice nonnullo genere honorum adhibito suscepit. Bilosus tamen erat, sed ad reditum pacis facilis. Adeo fuit avaritiae expers ut nullum unquam beneficium aut officium symoniaca pravitate ductus praestiterit, amator justitiae, pacis conservator, clemens in delinquentes, nichil quod ad divinum cultum pertinet omittens, nam diligentissimus caeremoniarum observator fuit, licet inspicere bibliothecam pontificiam, libros suo jussu descriptos, auro et argento redimitos, vasa aurea et argentea, vestes sacerdotales et peripetasmata auro et sericis intexta, quae omnia magnificent ipsam. Nicholaus V° Alovisium Patavianum, patriarcham Alexandrinae urbis, in Turehos misit cum triremibus; et hoc egit Petrus Barbo, qui postea Paulus II° dictus est, ut camerario officio ejus fungeretur, ut eo tandem dignitatis loco deveniret quo totis adhaerebat viribus, precando, rogando, obtestando et lacrimando. Et post mortem pontificis idem egit sub Calixto, quem ita suam traxit in sententiam ut, donec sederit et quoad vixerit, nullius magis quam hujus usus sit consilio. Unde facile quidquid volebat impetrabat quatenus ad papatum perveniret: quemadmodum quendam ad abbatatum optinendum anhelare prospexi, remediis omnibus adhibitis ad vendicandum sibi, non parcendo denariis. Unde propensior in eos erat fratres quos ad rem necessario duxerat deligendos.

Prophetatum a fratribus Johanne de Bassigneyo et de Petra Rubea, quod omnium statuum et regnorum gubernatores excaecati propter peccata sua, sic quod nullus fidem proximo suo servaret, sed potius malitiose decipere conaretur, reipublicae commoditas sileret et singularitas et partialitas in vigore locum optinerent. Quapropter vindicta tam generaliter quam specialiter descendere debuit super universos, et de facto coeperunt majores insurgere contra minores, deinde servi contra dominos. Quo factum est ut fieret occisio regum, ducum, comitum, baronum et aliorum principum terrae, propter proditioes indicibiles et confoederationes secretas quae fiebant inter eosdem. Item prophetabatur etiam quod malitia hominum in universalem Ecclesiam verteretur, nec esset defensor, quia nullus reputaretur dumtaxat nisi qui primus ad vindictam eueurrerit; hinc etiam sacrata pavimenta ruerent et foedarentur monasteria, quum manus et ira Domini contra mundum in vindictam propter multitudinem assiduitatemque peccatorum,



unde et naturalis cursus omnium rerum universaliter, tam in superioribus quam inferioribus, mutaretur et perverteretur; passiones, infirmitates, mortalitates, fames, pestis et caristia miserabilis in Occidente praecepue, qualis a principio mundi fuerit inaudita sequeretur, sic quod omnium nobilium pompa sileret et ecclesiastica periret doctrina; tandem post tribulationes tot ac tantas, assumeretur per voluntatem Dei unus papa qui reformaret in melius statum universi, et ad pristinum modum vivendi, secundum formam discipulorum Christi reduceret Ecclesiam, quem omnes timerent ac sequerentur propter sanctitatem, quia hic pontifex Judaeos omnes converteret et ad fidem plurimos infideles revocaret; et ordinabit unum imperatorem sanctissimum qui de reliquiis manserat nobilissimi sanguinis Francorum regum, sub quo pacificaretur totus orbis. — Haec et alia multa praedictus frater Johannes de Bassigneyo praenosticavit, dicens mundo superventura tot mala quae stupendissima fuerint admiratione digna. — Quorum initium coepit anno Domini M° CCCC° XLIII°, ac xxxv annis, videlicet ad annum LXXIX durare deberent aut amplius, addens quod antequam in Galliis pax esset, eventus miserabilis ter eveniret: in primo, princeps nobilissimus affligeretur a suis inimicis et nobilis ejus exercitus devictus turpissime sterneretur: quod veraciter accidit in metuendissimo duce Burgundiae Karolo, filio Philippi Boni, sicut patere poterit legentibus historiam; secundum ejus veritatem, idem dux bis acie fugatus a Suctonibus, tertio praeventus in acie, fuit ab eisdem in Lotharingia prostratus anno Domini M° CCCC° LXXVI°. Post ejus occasum aquila advolans descendet in dominium Burgundorum, et, prout prophetatum est, subjicere sibi nationes debet donec in victoriae signum tribus coronis praemiaretur et evolaret a nido donec gloriose transcendat in coelum. Tunc pullis suis ad invicem praeliantibus alter alterum praeda spoliabit, et ex tunc tot evenire debebunt mala ut major fere pars Occidentis cederet in ruinam, et gloria Francorum verteretur in obprobrium, et alteri dabitur ejus non est, usque ad confusionem. Multi quoque tunc dicent: Pax, pax, pax; et non erit pax. Tunc duplicabuntur omnia mala. Nam civitates nobilissimae capientur, et omnes fere nobiles quotquot sunt, occidentur et crudelissime ejicientur a dominiis suis, facietque vulgus sibi regem pro libito. Deinde consurget unus in alium propter novellas constitutiones, et immanis occisio perpetrabitur in plebe. Eveniet terrae motus horribilis; terra fructusque ejus aboribuntur; nec erit naturalis humor in radicibus ad maturitatem producendam; semina putrescent; germen non fructificabit, et mare clamabit; foedabitur aer; coelum signa stupenda monstrabit; sol denigrabitur, sanguineus apparens, et ad invicem apparebunt duae lunae; praelibabuntur stellae, et in omnibus rebus cursus mutabitur et pervertetur. Pestis inenarrabilis erit sic quod tertia pars mundi peribit. Spoliata lugebit Lotharingia et a vicinis auxilium implorabit Campania, cui non dabitur; sed devastabitur lamentabiliter. Britanniam invadent Scotia et Hybernia quibus erit in adjutorium juvenis captivatus qui recuperabit coronam lili et dominabitur per universum orbem; et ipse radicitus et funditus destruet filios Bruti, sic

quod amplius eorum non erit memoria. — Haec miranda notare me compulit rumor qui per clima Flandriae ecurrit hiis meis diebus.

Anno Domini M° CCCC° XLIX°, Franciscus Sfortia cepit Mediolanum et alias Ytaliae urbes. — Aloviusus rex Arragonum, frater Johannis regis Hispaniae, capitur ab ipso Francisco duce Mediolanensi. Sed soluto eo gloriose, suum erexit animum in barbaros debellandos quos tributarios fecit, praecipue regnum de Fees et alios sibi subjectos. Nam regna Thunicii et Albaniae sunt sub eodem rege cum pluribus aliis principatibus. Verum hic Alfonsus Petrum regem Arragoniae, filium Petri de Cuymbre, regentis Portugaliae, fecit veneno mori: ejus Petri frater, Johannes rex Cypri, pio bello captus a rege de Fees, deliberari non potuit propter egregia perpetrata in Sarracenos, de qua materia flebilis historia reperitur, quoniam infantes regis dudum Portugaliae, Johannis de Cuymbre, gloriose vel succubuerunt aut evanuerunt.

Romae motio non parva exoritur, Stephano Porcario agente, ac contra Nicholaum papam rebellante, sed a militibus pontificis captus, ad muros arcis Adriani suspensus est; etiam complices et socii conjurationis ejus puniti sunt. Porro ad placandam iram Dei postulationes et litanias papa frequenter peregit, tum propter principum catholicorum discordias et maxime propter Turcharum rabiem in Graccia debachantem. — Alfonsi regis Arragonum praelia, Venetorum ac Florentinorum bella, necnon Francisci Sfortia ducis Mediolani gesta, hoc anno M° CCCC° XLIX° peraguntur; nam Franciscus, uno praelio, Venetorum v<sup>m</sup> stravit ac tandem per mensem Mediolanum conclusit obsidione, quam civitatem Veneti defendebant, donec pretio xvi<sup>m</sup> aureorum potiretur eadem. Ceterum hic Franciscus quantos motus in Ytalia dederit, non parvo volumine perstringi possent, cum utrolibet hellicoso vagavit agmine, contra quem papa Nicholaus effudit ingentem gazam.

Franci, hoc anno M° CCCC° XLIX°, in vindictam super Anglicos furati sunt subtiliter Pontem-Archae in ingressu Normaniae, deinde Gerberoye et villam de Conches et alia loca sub titulo ducis Britanniae. Post Vernolium ceperunt Nongentum et Poncheau. Quod ut rex vidit, cum armata descendit de Vendosme et per omnia loca plura cepit aut assultu aut deditioe, mediantibus comitibus de Dunoys et de Sancto-Paulo qui ceperunt civitatem de Lizieux; deinde rex ante Louviers obsidionem misit et amicabiliter cepit; sed illi de garnisonno de Diepe ceperunt Fecamp pro rege. Deinde dux Alenconiae cepit in sua patria plura loca, similiter et comes Fuscensis. — Hoc eodem anno, archiepiscopus Remensis et ceteri ambasiatores regis Franciae ad Nicholaum papam perrexerunt facere sibi obedientiam, ut moris est, similiter et Reynerus rex Siciliae et delphinus suos ambasiatores miserunt.

Hoc anno dux Warwici, Riquardus de Novavilla, collegit armatam, cui praefecit Thomam Harnitonne et dominum de Persy, filium comitis Noorthumbeland et xv<sup>m</sup> erant: transierunt ripariam de Sallonausc. Sed dux Douglas occurrit cum vi<sup>m</sup> Scotorum, qui

devicit pene omnes Anglicos et in fugam convertit, captis praedictis capitaneis Anglicorum. Quae res cum significata esset comiti de Salesbry, patri ducis de Warwich, praeparavit, ut aestimatur, xl.<sup>m</sup> hominum, qui iterato ripariam transierunt; et iterato venit praedictus dux cum fratre suo comite d'Ormont. Ubi elades gravissima utrinque commissa est: magna pars, Scotis persequentibus, rapta fuit in riparia atque submersa, et ad xx miliaria ausi sunt Scoti transire, usque ad portum qui dicitur Neufcastel, cuncta vastando. Suppressus tamen ex Scotis remansit vir magnae auctoritatis, dominus Johannes Vloulles; itaque Anglici percussi sunt ab utraque parte. Quod fuit signum experimentale, qui gladio ferire quaerit, necesse est ut eo pereat. — Diebus istis, Francorum rex saepius a locis circumquaque occupatis per eum direxit cursores suos et expertos armigeros ante Rothomagum, quod Anglici tenuerunt in despectum civium. Quapropter convenere cives unanimiter ut statuta hora cursores nedum sed et dominum suum regem intromitterent. Unde, post magnam tribulationem Anglicorum, rex in pulchra comitiva civitatem ingressus est xxvii<sup>o</sup> octobris, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLIX<sup>o</sup>, retrahentibus se in palatium Anglicis aut in castro, ex quibus se per assultum omnes reddiderunt, quos pietate motus rex, servatis comite de Sombrezed et aliis, deliberavit postea.

Hoc anno jubilaco, Nicholaus papa V<sup>us</sup> stationes peregrinavit in Urbe celebrando solempniter et devote, reliquiasque sanctorum populo demonstrando. Unde praec multitudine frequentationis, ingens ille pons Adriani confractus ultra cc stravit peregrinos.

Fredericus imperator III<sup>us</sup> cum imperatrice sua xviii mensibus Romae peractus, versus Neapolim ad Alfonsum regem, nepotem imperatricis, perrexit, qui mira liberalitatis magnificentia eum suscepit.

Nota hic relaxationem centesimi anni pro quinquagesimo ex instantia cardinalium et populi romani. — Prima ymago faciei Christi depicta reperitur, prout populo apparuit romano, tempore Silvestri papae primi.

Propter aliquorum summorum pontificum descriptionem, quam ab anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XVI<sup>o</sup> cronicae Brandonis tacent, ideo resumere curavi lecta per me de quibusdam summis pontificibus, de quibus confuse satis magister Brando mentionem in suis feceratronicis. Nam a Frederico II<sup>o</sup> reperitur et legitur quod pax et quies Ecclesiae reddita usque ad tempora moderni regnantis Frederici III<sup>i</sup>, divitiis et temporalium honorum habundantia reduxit eam in vitiis et peccatis praesidere fidei populo. Quapropter cleri persecutio quae tempore hujus magni Frederici III<sup>i</sup> coepit, similis est persecutioni Antichristi, de qua Joachim abbas in libro *De ultimis persecutionibus*, unde eum tot ac tanta de Antichristo, diebus istis, fama vulgabat, scribere curavi quaecunque reperi dicta de eo. Cum omnes antichristi sint qui fidem non coluerint, nec sicut Christus ambulavit, ambulaverint, mirum igitur non debet haberi quod Ecclesia moderna patitur, cum in veteri testamento legimus tribulationes fuisse graves filiis Israël: qui decem persecutiones in Aegypto sub Pharaone passi sunt et in terra promissionis

exigentibus demeritis xi, deinde post aedificationem templi gravissimam jacturam et seisma inter Roboam et Jeroboam, et post transmigationem Babiloniae, sub Nabugodonosor, ruinam templi, sacerdotii quoque destructionem, postremo maximam persecutionem, Machabeorum tempore. Quid mirum si in primitiva Ecclesia apostoli summique pontifices et praelati martyria praetulerunt? Cessantibus persecutionibus martirii, primum a magno Constantino, deinde ceteris a principibus et fidelibus, post haereticorum scandala, multiplicata sunt ei temporalia dominia, cum quibus primum intrusiones et etiam seismata multiplicata sunt, quae nedum inter summos evenere pontifices, sed etiam inter romanos imperatores et principes christianos. — Sed quoniam hic mentio de pontificibus agitur, praecipue felicitis memoria pontificis Nicholai quinti, me impulit omnes pene describere intrusiones et seismata usque ad Sixti quarti sessionem, sub quo magnus Fredericus III<sup>us</sup> imperavit, post quem Ecclesia relicta fuit in manus Innocentii VIII<sup>i</sup>. — In codicibus antiquissimis reperitur quod primum seisma fuit anno Domini II<sup>o</sup> LXXV, inter Cornelium et Novatianum. Secundum fuit anno Domini III<sup>o</sup> LXXVII, inter Liberium et Felicem. Tertium anno Domini III<sup>o</sup> LXXXVIII, inter Damasum et Ursinum, quorum Ursinorum secta, Romae pullulans, per universum dilata crevit orbem, contra eos qui de Columnna fuerunt, ut Martinus quintus, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XVII. Quartum seisma fuit anno Domini III<sup>o</sup> XXXVII inter Bonifacium primum et Elianum presbyterum cardinalem. Quintum seisma anno Domini V<sup>o</sup> XVI fuit inter Symachum I<sup>um</sup> et Laurentium. vi<sup>um</sup> seisma fuit anno Domini VII<sup>o</sup> XXIII, inter Sisinium et Discorium. vii<sup>um</sup> seisma fuit anno Domini VII<sup>o</sup> XXXIII, inter Stephanum II<sup>um</sup> et Constantinum II<sup>um</sup>. viii<sup>um</sup> fuit anno Domini VIII<sup>o</sup> XLVIII, inter Gregorium II<sup>um</sup> et Sisinium. ix<sup>um</sup> seisma fuit anno Domini IX<sup>o</sup> XXX, inter Leonem V<sup>um</sup> et Christoforum presbyterum. x<sup>um</sup> fuit anno Domini IX<sup>o</sup> LXXXII inter Johannem XII<sup>um</sup>, nobilem regis Arragoniae filium, et Leonem octavum. xi<sup>um</sup> seisma fuit anno Domini IX<sup>o</sup> LXXXVII, inter Gregorium V<sup>um</sup> et Leonem predictum. Duodecimum seisma fuit inter Benedictum quintum et Johannem Placentinum, anno Domini M<sup>o</sup> XXII<sup>o</sup>. xiii<sup>um</sup> fuit anno Domini M<sup>o</sup> XXXVI<sup>o</sup>, tempore Benedicti VIII<sup>i</sup>, quem Romani eiecerunt et resumpserunt. xiv<sup>um</sup> anno Domini M<sup>o</sup> LII, tempore dieti Benedicti VIII<sup>i</sup> denuo repulsi, tribus aliis electis. — xv<sup>um</sup> fuit anno Domini M<sup>o</sup> LXXVIII inter Alexandrum II<sup>um</sup> et Cadulum episcopum Patinensem. xvi<sup>um</sup> seisma anno Domini M<sup>o</sup> LXXXV<sup>o</sup> inter Gregorium VII<sup>um</sup> et Ravennae archiepiscopum. xvii<sup>um</sup> fuit anno Domini M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> primo, inter Paschalem II<sup>um</sup> et tres alios qui nomen occupaverunt favore Henrici imperatoris primi. xviii<sup>um</sup> anno Domini M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> X<sup>o</sup>, inter Gelasium II<sup>um</sup> et Brundinum Hispanum. xix<sup>um</sup> seisma fuit anno Domini M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> XXXI, inter Innocentium II<sup>um</sup> et Petrum Leonis, quod pacificavit beatus Bernardus, primus abbas monasterii Clarevallensis. xx<sup>um</sup> seisma fuit anno Domini M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> XLIX<sup>o</sup>, inter Alexandrum III<sup>um</sup> et quatuor seismaticos. xxi<sup>um</sup> seisma fuit anno Domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> XVI<sup>o</sup>, tempore Ludovici de Bavaria qui, detruso Johanne XXII<sup>o</sup>, fratrem Petrum de Corba-

rio, ordinis sancti Francisci, sublimavit, a quo coronari voluit. xxii<sup>um</sup> seisma coepit circa annum Domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> LXXIX<sup>o</sup>, cessante Gregorio XI<sup>o</sup>, Clemente VII<sup>o</sup> contra Urbanum sextum litigante. xxiii<sup>um</sup> seisma fuit anno Domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> XCH<sup>o</sup> inter Bonifacium IX<sup>um</sup> et Benedictum XIII<sup>um</sup>. xxiv<sup>um</sup> seisma anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> IX<sup>o</sup>, cessante Innocentio VII<sup>o</sup>, Gregorius XII<sup>o</sup> contra Alexandrum V<sup>um</sup>. xxv<sup>um</sup> fuit anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XVII<sup>o</sup>. Seisma fuit inter Johannem XXIII<sup>um</sup> et Martinum quintum. xxvi<sup>um</sup> seisma anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XXX<sup>o</sup>, inter Felicem V<sup>um</sup> et Eugenium IV<sup>um</sup>, qui quidem Felix, cum esset dux Zaboudiensis, consilio procerum regni Franciae, cessit Eugenio. Sed post mortem ejus quorundam informatione se contra Nicholaum V<sup>um</sup> erexit, sed non praevaluit.

Pro rei veritate non tot evenere seismata, sed potius intrusiones dicamus, ad honorem Dei et sponsae suae Ecclesiae, quot enumeravi paulo ante, quum nunquam seismata nisi per concilia determinata fuere. Ideirco de concilio Constanciensi quo Johannes XXIII<sup>us</sup> depositus fuit, ultimum, aestimo, fuit. Deinde defuncto papa Martino V<sup>o</sup>, successit Eugenius IV<sup>us</sup>, contra quem praelati quidam de Almania concilium statuerunt apud Basileam, et duravit ab anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XXXII<sup>o</sup> quo Felix V<sup>us</sup>, dictus Amedeus dux Zaboudiae, se opposuit, et fugiente a Roma Eugenio, per aliquot dierum, obeditus est Felix. Sed tamen gallicana ecclesia Eugenio adhaesit, et Romani cum honore revocarunt Eugenium, quo, circa annos Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLVII<sup>o</sup>, defuncto, Nicholaus V<sup>us</sup> Januensis electus est, et e contrario praelati Almaniae Felicem V<sup>um</sup> intrudere voluerunt. Sed etiam Felix cessit, factus cardinalis Sanctae-Sabinae, et heremitagio se conclusit. Post obitum papae boni Nicholai V<sup>i</sup>, Calixtus III<sup>us</sup> successit, tribus annis, et successit ei per intrusionem episcopus Senensis, dictus Eneas, secretarius Frederici III<sup>i</sup>, qui simul in eodem anno cum novo cardinalatu papatum obtinuit et vocatus est Pius II<sup>us</sup>, ejus scriptas epistolas collegi et imposui propter historiam processum in eisdem, quum et magnus historiarum textor multa reliquit nomine suo. Cui successit Paulus secundus dictus, magnificus pontifex, sed avarus; post quem Sixtus quartus intrusus est per nepotem suum fratrem Petrum, sui ordinis, scilicet Fratrum Minorum, ejus ope et ingenio quamdiu vixerat. Idem frater Petrus cardinalis per eum creatus, dissolutiones et abusus curiae accreverunt, quapropter intoxicatus existit, et sperabatur emendatio. Sed in omnem avaritiam declinata curia statum temporalem in abusus guerrarum convertit, oppugnans Florentinos, et sentiens Sixtus propter Venetorum auxilium se non posse de Januensibus Florentinos coadjuvantibus praevalere faciliter, vocat in adiutorium brachium saeculare, scilicet Fernandum regem Ceciliae, qui primogenitum suum mox direxit; et facta sunt mala diebus illis inaudita, sic quod in clerum imperatoris Frederici III<sup>i</sup> odium non solum surrexit, sed principum omnium atque regum terrae discrimen, invidia malorum ac pessimorum sacerdotum committi fidelium afflictiones. Quapropter idem imperator Fredericus dictus magnus et ultimus Antichristus sic vocatus ut dicebatur; sed non sic cul-

tores veritatis asserebant, si pax in regno Francorum, occasione filii sui ducis Austriae Maximiliani, mariti ducissae Mariae de Burgundia, ducissae Lotharingiae, Brabantiae, Lemburgiae, Lucemburgiae et Gbelriae, comitissae Flandriae, Arthesiae, Burgundiae, etc., conficeretur. Generale concilium sicubi ponendum ab eo statutum erat, dumtaxat ad reformationem cleri qui malae vitae et conversationis arguebatur ab omnibus. Quantum tamen ad militares ordinatos in Prussia, Selavonia et Norwegia a tempore Frederici II<sup>i</sup> posset Antichristus appellari quia tales hujus Frederici III<sup>i</sup> tempore penitus eliminati sunt et deleti. Nam omnem provinciam quam Conrardus II<sup>us</sup> eisdem dederat, abstulit, dempto praesidio burgi Beatae-Mariae, sicut patet in epistola Pii II<sup>i</sup>: « Nondum » anhelare prospexi remediis omnibus adhibitis ad vindicandum sibi non practio vel » denariis erat unde propensior in eos fratres quos ad rem ratio duxerat diligendos. »

Nota quod Bonifacius IX<sup>us</sup> Clementem VI<sup>um</sup> precessit, et hic concessit Jubilaeum de quinquagesimo anno in L<sup>um</sup> annum, quod propositum beatae memoriae Gregorius XI<sup>us</sup> affirmavit et consequenter successores pontifices legitime electi, sicut Eugenius IV<sup>us</sup> et Nicholaus V<sup>us</sup>.

Confirmatio per papam Nicholaum V<sup>um</sup> Jubilaei de L<sup>mo</sup> anno in L<sup>um</sup>; quem Jubilaeum Paulus II<sup>us</sup> statuit de xxv<sup>o</sup> anno in xxv<sup>um</sup> annum, sed Sixtus IV<sup>us</sup> primo celebravit. Circa contentiones intrusionum, ablationes seismatum et processum quarundam ordinationum, est sciendum quod a Karolo Magno usque ad hunc Karolum regem Francorum, bene servitum a suis nobilibus, reges Franciae solliciti se implicuerunt ne faventibus imperatoribus aut Romanis fierent abusus in sedem; et licet reperitur quod tempore Gregorii sexti et Clementis septimi imperator Henricus convocaverit concilium absque papa, tamen absque pontifice reges Francorum interesse noluerunt alicui congregationi. Hinc est quod veri pontifices, etiam stantibus seissuris, particularia tenuere concilia, et quod ibi fuerat ordinatum, valuit in Ecclesia. Sciendum quod aliqui pontifices intrusi injuste tenuerunt sedem absque seismate, quorum hii de primis, Johannes X<sup>us</sup> et Johannes XVII<sup>us</sup>, Silvester II<sup>us</sup>, Damasus II<sup>us</sup>, Victor II<sup>us</sup> et Leo X<sup>us</sup> qui resignavit; sed ejus bonitate reassumptus fuit, quod similiter accidit Honorio III<sup>o</sup> et Alexandro III<sup>o</sup> qui successit Eugenio III<sup>o</sup>, qui fuit primus de pontificibus summis assumptis ex ordine Cisterciensi, quorum Benedictus XII<sup>us</sup> fuit xvii<sup>us</sup> numero de assumptis ejusdem ordinis. Post quem usque ad haec tempora non sunt assumpti, forte quia quieti vacare pastores mauerunt quam curiae miserii sese implicare. — Hoc tempore se saepissime pontificis Nicholai V<sup>i</sup> auctoritas interposuit ut in Ytalia pax daretur, quatenus ad Jubilaeum ex tota liceret Europa libere properare.

Hoc anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLIX<sup>o</sup> Felix V<sup>us</sup> cessit Nicholao quinto; sicque seisma retusum est. Versus :

Lux luxit mundo, Felix cessit Nicholao.

Magister Johannes Nider hoc anno obiit, doctor insignis ordinis Praedicatorum, qui multa descripsit utilia, etiam fidelibus summopere necessaria.

Nota quod Hungari, post mortem Alberti regis eorundem, bis bello victi a Turchis, plusquam c<sup>m</sup> hominum amiserunt; sed apud Albam, dum tertio bellum agerent, quod Belgradum vocant, ex ipsis Turchis profligatae sunt ingentes turbae, et fugatus imperator recollegit exercitum a mari Ponthico usque ad amnem Zamum et ab Aegeo pelago usque ad Danubium et cepit omnes intrajacentes provincias. Postea transito Danubio, Walachiae partem magnam occupavit usque ad agros Hungariae, Bosnae regnum invasit et regem captum propria manu jugulavit. Insuper insulam Lesbon quanta crudelitate subactis urbibus depopulavit, horreret animus advertere. Russianis insuper principibus eruti sunt oculi; multitudo puerorum palo transfixa est, et utriusque sexus homines immanissime per plateas trucidavit. Postea viribus exhaustis, Albani, Trapezuntii, Walachi, Burgari sese dedere; nec mirum quia nullum hii succursum habuere. Deinde ferocitas ejus sese convertit ad Egyptios, Mauros et Afros, sic quod, si videndum sit ad Orientem sive Meridiem, pene tota Europa bellis quatitur; et quod lamentabile est de subjugo Salvatoris quatuor sedes patriarchales jam substractae sunt, scilicet Jerusalem, quam, nisi velint ipsi Sarraceni, videre non possumus et adhuc quaestus causa pro denariis; Anthiochena sedes et Alexandrina subactae sunt et oppressae per legem Mahumetheam, et Constantinopolitana sic occupatur ut qui in circuitu ejus sunt nequeant consolari, perditis Asia, Libia, etc., videntes vicinos et confratres suos exearnificari propter legem Dei atque omnem auferri ab Evangelio Christi fidem. Haec et similia dum audirem adolescens, ego dudum frater Adrianus, monachus Dunis, non potui non parum moveri. Quapropter et addidi copulare scripta scriptis et in memoriam linquere pro volentibus immania perpetrata diebus istis lectitare, nec propterea collegi quasi non reputarentur mala quae fiebant diebus ipsis quippe quasi non aliis temporibus haec commissa fuerint quum ab initio mundi patrata sunt bella. Sed puto non successisse sibi talia sine mora, qualia per universum nunc diebus istis jurgia consurgere videbantur. Dietim enim auditur ab infidelibus rapi fidelium regna atque provinciae, et ab ipsis foedissimis gentibus Turchis et Sarrachenis sacra violari undique videntur et contaminantur, nec moventur principes aut orthodoxi pro defensione. Vidi quasdam galeas aptatas et navim grandem apud Roomst, jussu Philippi ducis Burgundiae, etc., etiam et otiosos undique collectos ut in eisdem remigarent versus Rhodum, sed ad effectum, pullulantibus domesticis insidiis et rebellionibus, nichil est aliud actum quam more piratarum ad oras insistere rapinis et illusionibus. Miles enim et pirata dominus Johannes de Schenghen in Dunis applicuit, et Everardus abbas pacem ea conditione sibi procuravit, ut cum praeparatis intraret; sed multis denariis collectis a devotis viris et dominabus, propositum reliquit et illicitis actibus expendit cum taxillis.

Nota hic de expulsionem Anglicorum. Nam ex quo de regno Franciae projecti essent,

non contenti laribus suis observare pacem, mutuo privatae regni Angliae divisi, quidam adhaerabant Riquardo de Iorch, quidam duci de Zomberzet, et contententibus insimul, ad arma convenerunt. Quod ut rex Scotiae compertum haberet, magnam partem Angliae cepit; et nisi occurrisset eidem regi Scotiae dux de Iorch ac dux Warviciae, Scoti regnum Angliae totaliter conquestassent. Unde repulsis Scotis captus fuit Henricus et dux de Sombrezet occisus in praelio.

1450.

Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo, praesidente Nicholao V<sup>o</sup> summo pontifice, fuit universalis fidelium salutaris Jubilaeus; unde secundum doctores Jubilaeus, quod hebraïce dicitur Jobel, est temporalis et praesentis vitae nostrae sabbatismus, etc. <sup>1</sup>

Haec de materia indulgentiarum copulata per me fratrem Adrianum But, quae pro fidelium omnium salute reserata, sufficiant. Nunc ad infructuosa post salutaria memorata me convertam, proseguendo victoriam regis Francorum Karoli septimi hujus nominis, qui miranda militum et nobilium caetera stipatus, hoc eodem anno totam Normaniam conquestavit. Nam xxiii mensis aprilis, post Pascha, comes Clarimontensis, conestabularius Franciae, cum Francis et Britonibus ceteris, numero vi<sup>c</sup> lancearum, conflictum gravem Anglicis intulere juxta villagium quoddam nuncupatum Formigny inter Carentan et civitatem Bajocas, sic quod heraldorum veridica relatione fuerunt interfecti m<sup>iii</sup> vii<sup>c</sup> lxxiiii de parte Anglicorum, de parte autem Francorum nullam fert historia perditionem, praeter sex aut septem; et ob hoc dixerunt sapientes gratiam Dei causam fuisse victoriae. Multi creati fuerunt novi tyrones, post hanc victoriam per regem Franciae, praecipue dominus de Montgascon, dominus Sanctae-Severae, dominus de Chalenccon, etc. Quibus peractis, processerunt comes de Claermont et de Castris, filius comitis de Lamarche, filius comitis de Bolonia et Avernia, dominus de Vauvert, filius comitis de Villars et ceteri Francigenae contra villam de Vire, cujus capitaneus de parte Anglicorum fuit dominus Henricus Norbery. Quo capto reddidit praefatam villam per compositionem ut Anglici,

<sup>1</sup> Cette dissertation sur le jubilé, qu'une note du manuscrit donne comme l'œuvre de deux frères, Paschase et Jacques de Bouchoute, religieux des

Dunes, se trouve textuellement reproduite dans le grand corps de droit canon de Martin Ab Azpilcueta et dans d'autres écrits théologiques.



salvis bonis et corporibus, libere recederent qui hunc locum servaverant. Reducta igitur hac villa in obedientiam regis Francorum, conestabularius Franciae, comes de Laval, cum ceteris de parte ducis Britanniae, relictis Francis, ad eundem perrexerunt qui obsiderat villam de Avranches. Jam tribus septimanis, post varios tandem assultus, reddidit eam capitaneus Anglicorum per compositionem ut baculo solo manibus, ceteris armis relictis, exirent. Pariformiter se reddidit castrum de Cumbelaine juxta Montem Sancti-Michaëlis, et exierunt, salvis bonis et corporibus eorum, LXXX Anglici versus Chirenbouch. Deinde civitas Bajocensis obsessa est per comitem de Dunoys, capitaneum generalem regni Franciae cum comite de Eu, de Nivernis ac domino de Culant, magno magistro hospitii regis, domino de Jalonges, fratre suo, marescallo Franciae, domino de Dorval ac de Bucil qui simul fauborgia civitatis ceperunt. Ab alio latere ejusdem civitatis locum sumpserunt dominus de Montenay, ductor armaturae ducis Alenchoniae, cum domino Petro Louvain ac ceteris qui XVI diebus continuis civitatem hanc durissima obsidione cinxerunt, praestitis frequenter assultibus, quibus utraque pars plurimum gravata fuit. Sed Matogo capitaneus Anglicorum, visa suorum strage, tractavit cum Francis sic quod reddidit civitatem, et ipse, cum Jannequin Basquier et nongentis valentioribus de garnizonno suo, in Chirenbouch se salvavit. Post haec, nobiles domicellae dimissae sunt et ceterae mulieres eorum cum pueris et infantibus earum. Civitate igitur Bajocensi reducta, comes de Dunoys cum comite de Clermont ac ceteris gentibus suis hinc inde dispersis, cepit castrum de Brequebec et villam de Valoingnes. Qua re pendente, marescalli Franciae ac Britanniae obsederunt villam Sancti-Salvatoris, qui locus est unus de fortioribus totius Bassae-Normaniae, sed Anglici necessitate compulsi reddiderunt eundem locum absque rebellionemagna. Fuit tamen ibidem occisus dominus Johannes de Blanchefort de Berry, capitaneus illius loci. Dominus de Robesart cum 11<sup>e</sup> armigeris ex Anglia versus Chirenbouch properavit. Dieti vero marescalli mandati fecerunt iter versus Caen. Quibus venientibus apud Thieux, ubi locati fuerant conestabularius Franciae, comes de Laval, dominus Loheac, dominus de Rex, de Coictvy, admiralis Franciae, dominus de Stouteville, Montabeyn, senescallus Pictaviae, dominus Jacobus de Luxembouch, frater comitis Sancti-Pauli, dominus Sanctae-Seeverae, dominus de Boussac et dominus de Malestroit, dominus de Bietval, Robert

Flocques, balivus Eboracensis, ceteri quoque nobiles et viri valentes numero fere  $\text{m}^{\text{m}}$  et quingenti equestres absque pedestribus, quorum multo major erat numerus, pergentes in obsidione villae de Caen. Quod rex Francorum percipiens movit se de Argentone cum Reynero, rege Seciliae, filio suo duce Calabriae, duce Alenconiae, comitibus Cenomaniae, Sancti-Pauli, Tanquarville, vicecomite de Loumengne, Ferry de Lorayne, Johanne fratre suo, multisque baronibus et nobilibus ceteris in succursum obsidentium villam de Caen. Mox comes de Dunoyis gavisus adventu regis praebuit assaultum, caesis utrinque multis et captis; cepit idem comes propugnaculum sive bollewerch ad portam, villamque cepisset nisi cives et Anglicorum quidam parlamentari quaesivissent super redditione villae, quae reddita est regi cum fortissimo castro sito supra rochiam juxta eandem villam, quod quidem castrum magnae latitudinis est, in quo fuerat dux de Zommerzet, gubernator dictus Normaniae, cum domicella sua et infantibus; nec minus erant  $\text{m}^{\text{m}}$  Anglicorum quorum capitaneus erat dominus Robert de Vere, frater comitis de Suffort. Compositione tali facta, videlicet nisi rex infra certum tempus contra se partem haberet, praefata villa subjecta maneret, sicque dux de Zommerzet cum uxore sua et infantibus, ceterique nobiles indempnes cum omnibus pertinentiis suis in Angliam per mare reversi sunt. Porro  $\text{xii}$  nobiles remanserunt obsides de parte Anglicorum donec dies comparandi adesset, et non succurrentibus Anglicis juxta praescriptum tempus, balivus de Caen claves tradidit ejusdem castri et villae conestabulario Franciae, sicque reducta fuit villa de Caen ad obedientiam regis devitata sanguinis effusione; receptusque fuit in ea rex Francorum cum omni potentia sua, magnifice multum et reverenter ut deceuit. Postea Poton de Xaintrailles cum ceteris Francis obsedit villam de Falloise; sed qui intra villam erant, treugas fecerunt.

Eodem tempore per conestabularium Franciae, dominum de Richemont, obsessa fuerat villa de Richemont, quae necdum capi potuit. — Interim comes de Dunoyis tractavit super redditione villae de Falloise, quae capta est, casu quo Talbot non compareret ad praefixam diem, vicesimam primam mensis julii, qui Talbot captivus fuerat regis, et eo facto liberatus est a captivitate regis Francorum.

Diebus hiis, dominus de Culant, dominus de Blanville, magister Johannes Bureau, tresorarius Franciae cum pluribus aliis, obsederunt castrum

de Dampfort, in quo latitabant septingenti aut lxxx<sup>i</sup> Anglici, quod ceperunt, dataque certa somma denariorum, salvis corporibus eorum, recesserunt. Non comparantibus Anglicis ad diem assignatam, recesserunt de Falloise mille ac quingenti valentiores armigeri de tota Normania, quorum ductores erant Talbot, Andreas Trolot et Thomas de Heton; ordinatusque fuit ibidem capitaneus Poton de Xaintrailles. Rex autem et omnis exercitus properavit versus Chirenbouch, quam villam tam per terram quam per mare quassavit obsidione durissima, in qua fuit occisus dominus Pregent de Coictvy, dominus de Rex, admiralis Franciae, similiter ballivus de Troes. Tandem Thomas de Gonel, capitaneus, dictam villam reddidit et similiter castrum in quo plus quam mille valentes armigeri fuerant. Compositione igitur facta, restitutus est filius ducis de Zommerzet qui Rothomago pro certa summa captus et relictus obses erat; salvisque vita et bonis, in Angliam transfretarunt omnes qui Chirenbouch servaverant pro rege Angliae. Factus est capitaneus ejusdem loci dominus de Bueil qui cum lxxx lanceis ordinariae custodivit hunc locum pro rege Franciae. Sic igitur totus ducatus Normaniae spatio vi dierum et unius integri anni reductus est in obedientiam regis Francorum, quod divina constat procul dubio gratia procuratum et perpetratum. Nam hic ducatus sex dietarum spatii continet in longitudine et quatuor in latitudine, unam habens cathedralem sedem archiepiscopatus et sex suffraganeos; plurimaeque loca fere inexpugnabilia sita sunt in eo, nec verisimile tantam et tam magnam patriam in tam brevi temporis spatio conquestatam fuisse minori unquam sanguinis effusione, divina opitulante gratia qui cunctis praesto est quaerentibus eam de corde puro, mediante generali peccatorum omnium indulgentia Romae concessa. Rex autem Franciae Karolus in signum gloriosae victoriae sibi adeo praeparatae publicari fecit patentes litteras proprio sigillo suo munitas in cunctis diocesis et ecclesiis regni sui, quatenus xii<sup>a</sup> die mensis augusti, qua cepit in deditionem ultimam villam ducatus Normaniae, quae fuit Chirenbouch, solempniter celebraretur ad perpetuam rei memoriam, cum missarum et processionum ordine ac devotione, quia non erat minimum castrum nisi violentia vel armis conquestatum. In quibus quidem litteris patentibus mentio facta est omnium baronum et nobilium qui fideliter regi assistebant, quorum nomina taediosum esset recenseri. Satis laudabile dictum illud regis non hic puto praetereundum, quod quaeque suis locis acta divinae reddidit voluntati sine dubio referenda.

Eodem anno, certa doloris aegritudine Franciscus dux Britanniae obiit, ejus mortem rex vehementer indoluit et, non comparente fratre suo Aegidio, successit frater ejus Petrus. — Rex Francorum Turonis vocatis cunctis nobilibus et baronibus regni, deliberavit ibidem ducatum Aquitaniae suae similiter subdere ditioni, missaque provisione sufficienti versus Normaniam ordinatus est conestabularius Franciae dominus de Richemont, avunculus Petri novi ducis Britanniae, super ambobus ducatibus superior capitaneus, cum domino Petro de Breze, senescallo Normaniae. Quibus peractis, ordinavit obsidionem villae de Bergerae situatae in comitatu de Peregrot, in ducatu Aquitaniae, perrexitque illuc comes de Penthievre, de Pierregort, vicecomes de Lymoges, dominus Karolus de Culant, dominus de Dorval, secundus filius comitis d'Alebrét, ceterique multi numero quingentarum lancearum, ceperuntque villam praefatam. — Post hoc, tertius filius comitis de Dalebrét, nomine Eumenyon, pergens de civitate Bazas, cucurrit circa Burdegaliā cum paucis armigeris, et Burdegalenses irruerunt in illum cum x<sup>m</sup>; sed quia non exierant ordinate, victi sunt, et ex eis interfecti duo milia hominum, et totidem captivi facti, fugientibus ceteris in Burdegaliā. — Haec autem civitas Burdegalia plus quam ducentorum annorum curriculo subjecta fuit Anglicis, quod in grave detrimentum cessit nobili coronae lyliatoque regno.

---

Blondus Flavius Forliviensis, in curia Nicolai Vi, scripsit: *De inclinatione imperii Romanorum in captione Romae*, xxxii libros; *De instauratione ejusdem urbis et Italiae reparatione*, octo libros; postea ad Pium II<sup>m</sup> pontificem, *De Roma triumphante* scripsit x libros super quibus ipse Pius abbreviationem fecit. Quam quidem abbreviationem emptam per fratrem Adrianum, scriptorem hujus, magister noster, Johannes de Pasquis, in Doest mutuari petiit, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXXII<sup>o</sup>.

Annus indulgentiae pariformiter et indigentiae potuit nuncupari, quia aequitate relicta, regnavit avaritia maxime in curia romana, ubi promptius beneficia euncta venalia, et ipsa fortasse Roma pro denariis venalem se Turcis praebuisset si requisissent. Nam incredibile quanto ardore emeti ad avaritiam anhelabant, quod, dum apud Vraehenam, ubi a domino Johanne, miseratione divina Tornacense episcopo, tonsuram clericalem acceperant, licet juvenus id minime persentiret, attendere tamen poteram ex illegitimis attonsuratis et pro pecunia dispensatis in gradibus. Ille episcopus, cancellarius tunc temporis

erat illustris ducis Philippi dieti Boni, comitis Flandriae, etc.; qui quidem dux Gandavum veniens ad legem novam creandam et ad proponendum de quadam exactione levanda super bladum et sal, in qua cives cum privilegiis sese objecerunt, et mox indignatus dux prohibuit renovari legem, sic quod, justitia non currente, major decanus supplere defectum justitiae non omisit et duos decapitavit. Quod factum sibi dux reputavit in dominii sui praedjudicium. Sic orta est guerra ut patebit.

Hoc anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> L<sup>o</sup>, papa Nicholaus V<sup>us</sup> causa devotionis misit land-gravio Thuringiae, comiti Hassyae, rosam consecratam dominica *Lactare*, quia ipse sexta proles a sancta Elizabeth mirae devotionis fervore inter ceteros Almaniae principes relicebat. Deinde canonisavit idem papa sanctum Ludovicum, episcopum Arelatensem, et beatum Bernardinum de ordine fratrum sancti Francisci, cujus festum agitur xx<sup>a</sup> maii. Hic Bernardinus novam reformationem inchoaverat, et miraculis clarus obiit. Post hujus decessum ad partes inferiores descenderunt fratres suae reformationis et apud villam Sancti-Oudemari commorari coeperunt. Deinde concessam domum apud Duunkerke crexerunt et per Flandriam ac alias partes valde multiplicati sunt, parvo temporis intervallo.

Hoc anno Ammurata VII<sup>us</sup> Othomanorum ac Turchorum princeps, postquam in Azia multis annis imperasset et Mustapham patrum superasset, multis optentis praeliorum victoriis, Scanderbechum virum fortissimum obsedit, et in Troya Illicorum contracto morbo, morte obiit. Cui successit filius ejus immānissimus tyrannus Mahumetus.

Hoc anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> L<sup>o</sup>, Philippus dux Burgundiae, Lotharingiae, Brabantiae, Lemburgiae, etc., comes Flandriae, per quosdam informatus more regum Franciae, requisivit a suis de Gandavo concedi sibi gabellam salis, in qua, dum se difficiles redderent, coepit idem dux machinari qualiter tandem ad effectum petitionem suam reduceret. Unde paucis diebus, dum esset in domo scabinorum villae, declaravit et iterato proposuit materiam eandem, et in instanti denegata fuit sibi petitio. Quapropter indignatus a villa versus Brugas iter assumpsit et hinc sine mora mandavit quod non renovaretur seampnum Scabinorum nisi de mandato speciali ejus. Porro cum requirerent instanter Gandenses solito cursu annali legem renovari pro justitia, dux similiter difficilem se praebuit et avertit se per dilationem, sic quod interea vulgus conquereretur de malefactoribus pro quibus non exercebatur justitia. Accidit autem quod ex illis duo malefactores accusarentur, qui de curia ipsius ducis missi fuerant ut immitterent flammam ignis secrete per circuitum villae; sed an hoc fuerit probabile sive non, captivi facti sunt et decano textorum praesentati. Quibus examinatis, reperti sunt culpabiles. Unde dictus decanus eos detruncari fecit, vel saltem alterum eorumdem. Quod factum dum pervenisset ad aures ducis Philippi, causabatur in praedjudicium dominii perpetratum factum et in rebellionem contra naturalem suum dominum, non habito consensu suo, quinymmo sine renovatione legis usurpationem sibi fecerat decanus justificandi hominem. Post

plurimas igitur legationes, quidam malae fidei decanum et quosdam cives, ut seditionem excitarent in fautores ducis ac legislatores et gubernatores villae, quasi male distribuisent bona, coeperunt publicare, pro quibus dum ipse dux Philippus exoraret ne punirentur, versa est communitas in furorem et rebellionem palam exequendo, nunc decapitatus ille, nunc ille perpetuo relegatus, omnia pro salvatione villae contra mandata domini ducis exereuerunt et castellanias suas intrare coegerunt de singulis parochiis, ubi mox juramento constrinxerunt ut fideles remanerent in assistendo mutuo contra ducem Burgundiae, capitaneis et decennariis ordinatis rite propter insultus cotidianos. Insuper provisionem de frumento procuravere Gandenses, ne fame periculum obsessis ad longum tempus immineret, et breviter praeparationes ad guerras contra eorum ducem exoptatas diligenter implicare se studuerunt, oportuno tempore captato, quia dux Philippus a Lucemburgensibus et Leodiensibus tunc guerras sustinere spectabat.

Karolus Gonzaga et frater ejus Ludovicus Gonzaga, principes Mantuani, contra Franciscum Sfortia fortiter dimicabant. Tandem corruptus Ludovicus recessit a fratre suo Karolo, qui mox eum cepit et in vineula coniecit, eo quod pro gravi summa pecuniarum loca quaedam tradidisset Franciseo cui adhaerebat : optulit enim lxxx<sup>m</sup> aureorum.

xv<sup>a</sup> aprilis anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> L<sup>o</sup> magnum bellum inter Francos et Anglicos factum est in Normania apud Formigny. Ubi postquam tribus horis luctam in lapidibus et sagittis exereuissent, Angli sentientes ad mortem hunc ludum propositum esse, mandaverunt pro Matigo, capitaneo de Bajocas, qui mox accessit in succursum eis. Sed non obstante subtilitate qua puteos in terra fecerant ad resistendum approximationi Francorum, Arturus de Richemont cum Britonibus, cum comite de Laval et Loheac, mareschallo Franciae, domino de Dorval, mareschallo Britaniae, domino Sanctae-Severae ac domino Olivero de Brion tam valenter expugnavit Anglicos, quod, per delationem heraldorum, interfecti sunt ex Anglicis m<sup>m</sup> vi<sup>o</sup> ac lx vel amplius. Captus fuit ibidem dominus Henricus de Mombray cum xiii<sup>o</sup> Anglicis. Capitaneus vero de Bajocas Matigo et Thomas Vere fugam inierunt. Vix vero ceciderunt sex aut octo de Francis, cum de tribus milibus plures essent Angli, dum bellum aggrederetur dictus Arturus conestabularius Franciae; et in hoc bello milites facti fuerunt comes Clarimontensis et de Castres, filius comitis de la Marche, filius comitis Boloniensis et Avernensis, dominus de Valle-Viridi, filius comitis de Villars et quamplures alii, cum quibus idem conestabularius in obedientiam regis adduxit plura alia loca per Bassam-Normaniam. Circa vero mensem maii, civitatem Bajocensem obsiderunt praefati Franci, quibus succurrerunt comites de Dunoys, de Nivers, etc., et ubique castra eripuerunt de manibus Anglicorum, ipsis cum baculo versus Chierebourech dimissis ut transfretarent. Deinde castrum Sancti-Salvatoris ceperunt, cujus loci capitaneus erat dominus de Robesart. Conveniente vero rege Francorum et Renato rege Ceciliae cum aliis baronibus, obsessa fuit civitas Caduniensis quam ballivus tradidit in manus conestabularii Franciae, qui fecit regem cum exercitu suo

per portam Andegavensem ingredi, etc. Post ejus civitatis reductionem, civitas Ebroycensis accepta fuit. Deinde Faloise reddita fuit, mediante deliberatione Tailbot, capitanei regis Angliae; sed cum juramento rex eundem astrinxerat ne contra regem Franciae plus veniret ad arma, male tenens promissum juramentum, ante Burdegaliā prostratus postea fuit in bello. Deinde rex castrum de Dampfort cepit. Etiam Chiereboureih in deditionem, ejectis Anglieis, venit, quem locum capitaneus regis Angliae, nuncupatus dominus Thomas Govel, resignavit xii<sup>a</sup> augusti, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> L<sup>o</sup>.

Nicholaus papa portas Urbis, turres, Capitolium et arcem Sancti-Angeli munire coepit ne adventante, aut imperatore Frederico, aut aliis principibus Rōmae, quid novi oriretur.

Sciendum quod hoc anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> L<sup>o</sup>, rex Francorum Karolus VII<sup>us</sup> totum ducatum Normaniae conquestavit; unde divinae gratiae potuit asseribi, quod tam magna patria, tam paucis diebus et paucā sanguinis effusione requisita fuit per ipsum regem, qui pro mantenentia ipsius ducatus ordinavit sexcentas lanceas, et residuum exercitus ad ducatum Aquitaniae recuperandum direxit. Ipse vero rex Turonis moram aliquam elegit ut gratias de victoria Deo referret, unde per totum regnum suum processiones et orationes ordinavit fieri xii<sup>a</sup> augusti imperpetuum, eo quod eadem die, ultima villa ducatus, quae fuit Chiereboureih, in deditionem accepisset, nam portus fortissimus est, et registrari fecit per omnes archiepiscopos et episcopos regni sui. — Hoc anno defunctus est Franciscus dux Britanniae, qui fratrem suum Egidium, comitem de Pontievre, mori fecit in captivitate. Cui successit Petrus frater ejus, sed paucis diebus; post quem avunculus ejus Arturus, comes de Riehemont. Unde rex Franciae postea nullum habere voluit conestabularium. Sed primus qui successit, erat Ludovicus comes Sancti-Pauli, ejus in hoc finaliter officio miseria Parisius patuit anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXV<sup>o</sup>. — iii<sup>a</sup> novembris anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> L<sup>o</sup>, Petrus novus dux Britanniae fecit homagium regi Franciae, dum requisitus esset solummodo de comitatu de Montfort, absque quod profiteri vellet se subjectum esse coronae in castro de Montbason; sed paucis annis, vix septem, praefuit, nulla prole relicta, in quo terminabatur linea illorum de Montfort. — Ordinatio christianissimi Francorum regis Karoli septimi fuit talis quod ad evitandum effusionem sanguinis, per compositionem omnia loca reddenda de cetero sine direptione bonorum acciperentur, sed nec armigeri regis aliquid super colonos requirerent vel praesumerent nisi super illos qui partem adversam adhuc tenerent pro rege Angliae. Unde maximam ordinavit approximationem per instrumenta bellica quatenus ducatus Aquitaniae reduceretur in suam obedientiam, in qua re cancellarius Franciae, dominus de Treiguel, dominus de Gaucourt et dominus Jacobus Cuer, argentarius regis, subtiliter mediantibus denariis procuratis omnibus de mense in mensem stipendia persolvere curaverunt. — Mense septembri rex Francorum Turonis ducem Britanniae noviter effectum, pridem comitem de Riehemont et de Partenay, gubernatorem supremum ducatus Normaniae constituit. Dominum vero Petrum Breze, seneschallum ejusdem ducatus, fecit governa-

tozem patriae de Caux atque civitatis Rothomagi. Consequenter praemisit comitem de Penthièvre versus comitatum de Peregort in Aequitania, qui cum vicecomite Lemovicensi obsedit villam de Bergerac, in qua valenter se cum praedictis habuit dominus Karolus de Culant, magnus magister hospitii regis cum fratre suo Philippo de Culant, marschalco Franciae, et praedicta villa vi armorum ad obedientiam regis accepta, reversi sunt omnes ad regem, relictis armigeris in suis ordinationibus constitutis. Verum praedictam villam Philippus de Culant cum centum lanceis custodivit. Hiis diebus tertius filius comitis d'Alebrecht Eumenion, sociatis secum Francis, exivit de Bazas in Bourdelois, contra quem Anglici in magno numero fere x<sup>m</sup> de Burdegalia venerunt, et asperrima pugna commissa fuit, ubi cum quingentis Francis praefatus Eumenion prostravit fere 11<sup>m</sup>, et plures captivos reduxit in villam de Basas, ipso die omnium Sanctorum, post quam stragem, Bordegalenses debilitati coeperunt timore quassari, quia plures de civibus prostrati fuerunt, et clamor viduarum exanimavit alios.

Magistri Georgius Trapezuntinus, Franciscus Philelphus, Guarinus Veronensis, Gregorius Thifernus, Laurentius de Valla, cancellarius Alfonsi regis, Johannes Cortellius et quamplures alii atticos sudores latinis important acariis.

Hoc anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> L<sup>o</sup>, nondum monachus, sed scolas frequentans Machliniae, frater Adrianus But vidit antiquos fratres minores a supervenientibus expelli, qui se de observantia dicebant. Unde magna motio civium erat, quorum filii vel parentes sic de mandato ducis Philippi et Yzabellis de Portugalia, ducissae Burgundiae, prospectabantur ejiei. Accusabantur enim quod operam dedissent omni dissolutioni. Qua de causa ferventes devotione fratres ejusdem ordinis sancti Francisci litteras impetraverant sic fugandi seniores de loco suo, in cujus perpetratione facti, magister Johannes Leonis a summo pontifice Nicholao quinto talia Romae favebat plurimum novellis fratribus de observantia, qui quidem magister etiam impetravit pro dicta villa plenas indulgentias sicut Romae celebrabantur, ad quas praefatus frater Adrianus pene stupefactus maxima mutatione rerum, etiam se transtulit pro primo Jubilaeo. Postea monachus factus vidit necdum in monasterio Duncensi, sed in locis multis eas distribui, quod in avaritiae signum fieri constabat eidem postea. — Apud Machliniam pro revelatione villae, dum magister Johannes Leonis indulgentias detulisset et in valvis papales litteras summi pontificis praesentasset, Lovaniensis universitas, volens eas veras approbare, solemnem disputationem super hiis instituit, in qua doctores et magistri tam sacrae theologiae quam etiam aliarum artium comparuere. Quod ut idem ipse juvenis adolescens frater Adrianus aspiceret, exhilaratus de domus occupatione qua frequenter scolas visitabat et per tempus absentando deputatas ecclesias ad assequendum indulgentias adibat. Erat enim domus lanificiis a villae gubernatoribus aptata, in qua talis actus disputationis exercebatur, quam ad requestam fratrum magistrorum duorum ejusdem nominis Wilhelmi de Weerd post tradiderunt ad frequentandum scolas; nec morabatur ab illa domo



longe praedictus scolaris adolescens sub tutela nepotis sui Walteri de But. Qui dum aestatis ac verno tempore villagium natale consueverat quolibet anno semel visitare, quod Saefthinghe vulgariter nuncupatum est, vicinis commissum cum reliquit ut diligenter intenderent super ejus profectu; sed aliorum more puerorum a proficiendo mentem, ubi persentiret non tantam custodiam circa se exhiberi quantam parentes curaverunt, avertit et declinavit. Guerra Flandriae paulo post inchoante, satis occupati circa patrimonialia parentes in manus extraneorum quasi bene proficientem reliquerunt adolescentulum, donec compulsus revocare, sese nec tutos in Flandria ausi sint servare; sed interea quid eidem acciderit, recolligere coepit, cum habitu monachus esset, et velut de beatissimo patrono beato Bernardo legitur, quasi simile sibi visum sit accidisse, narrandum inseruit. Moris enim honestioribus civium est infra limites servos et ancillas pro negotiis observare, prout in ea plurimum honesta domo cernebat scolasticus adolescens, in quem, ipsarum una, nescio eo, dum dormiret, accessit, quam ut prae tactus impudici nimia delectatione retraxisse se a contactu verendo vigilanter intellexisset, elanorem emisit, quo ceteris excitatis quid accidisset, expressit. Constanter autem et intrepide negavit ancilla ipsa perpetratum hoc a se nequaquam esse. Si tanta virginalis audacia fuit, ut ultro sese offerre minime diebus illis vereretur, cur non miranda sunt quae pueri pueris objiciunt quemadmodum experimento, proci dolor, in se didicit, dum in pueritia constitutus ipse de quo scribitur, se custodire neglexit. Nam et si puer fuerit, non tamen ut legitur de beato Bernardo talem sortitus est spiritum, per quem erat puer docilis et amabilis valde.

Captio civitatis Bajocensis in Normania: qualiter post duros assultus reddita fuerit in manus regis Francorum.— Brequebeck castrum forte deditur cum Valoingnes, necnon et villa Sancti-Salvatoris, qui locus est unus de fortioribus castris Normaniae. — Obsidio civitatis Caduniensis, in qua liberalium artium universitas frequentatur, quae post assultus varios in deditionem per ducem de Sombresed resignatur regi Franciae. — Hic sciendum quod quando dux de Somerzet in Angliam venit, dux de Iorch reliquit curiam regis, dicens eundem ducem de Zombrezet esse traditorem Normaniae, et ad arma tandem perventum est, ubi caesus fuit ipse dux de Zombrezet et comes de Salesbry. Rex vero Angliae Henricus dolens nobiles de sanguine discordes factos occasione traditionis aut conspiracy, convocavit parlamentum ut tanti dissidii laxaretur murmur; sed fortuna regi contrariante, cum nunc unum, nunc alium admisisset in regimine, tandem mobile vulgus fatuum accusavit regem et non esse dignum regali sceptro potiri, eo quod tam maximus conquestus in brevi penitus de corona sua substractus fuerit, ipsius et suorum rectorum ac nobilium negligentia.

Alfunsus Borea, qui dictus est postea Calixtus III<sup>us</sup>, suo cyrographo, priusquam esset pontifex, vovit se contra Turchos profecturum; et hoc repertum est ex data qua mirabantur omnes hominem sibi ante adeptam dignitatem pontificatus nomen desumpsisse,

quodque decrepitus tantum adhuc haberet animi. Hujus Calixti papae cancellarius fuit cardinalis Venetorum, qui fratrem suum Paulum Barbo dictum in Senatorem Romanorum promovit, sed amovit eum successor ejus Pius II<sup>us</sup>, propter quam causam, sicut postea patebit, sub anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXV<sup>o</sup>, exauctorisavit omnem familiam Pii II<sup>i</sup> pontificis Paulus II<sup>us</sup>.

Nota de domino connestabulario Arturo comite de Richemont ac de Partenay, qualiter villam suam recepit, et interim villa de Falloize resignata fuit. — Castrum de Dampfort captatur. — In obsidione de Chierebouch mansit ballivus de Treecas et Preguant de Coictivi, similiter admiralis regni; sed reddente Thoma Gouel villam, castrum etiam se reddidit sub compositione quod filius domini de Sombresed, Edmundus, qui captivus obses manserat in Rothomago, liber dimitteretur, eo quod ultima villa de Normania jam crepta fuerat de manibus Anglicorum. — Postquam Angli repulsi essent a Normania quasi divinitus percussi, tunc in regno propter comitis de Lincol relictam, quae fuit ducissa de Warvich, factus est inter nobiles qui eam uxorem propter divitias petierunt, tumultus magnus. Nam filius ducis de Noorthumbeland, adolescens egregius, eam in propria persona sic trahebat ad libitum ut fidem ei daret et promitteret. Qui cum laetus rediret ad regis curiam, ab eo petit assistentiam, quia sciebat comitem de Salesbry pro filio suo Richardo de Novavilla sollicitasse quatenus eam sortiri posset uxorem; ac de facto sic evenit ut eadem vidua fidem quam dederat, iterato revocans, alteri consensit. Fertur nichilominus quod postea claustrum ingressa sit, nec uni, nec alteri cessit, quod valde fuit absimile. — Partes igitur, die quadam Jovis ante Penthecosten, convenerunt hujuscemodi relictae perfidia; et rex Henricus parti ducis de Noorthumbeland favit plurimum, sed victoria cessit comiti de Salesbry, et occisus fuit in bello magnus dux Noorthumbriae cum pluribus aliis baronibus regni, unde fertur quod ab utraque parte plus quam xxx<sup>m</sup> ceciderint.

Hoc anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LI<sup>o</sup>, inter ducem de Sombrezed et ducem Riquardum de Ioreh, discordia magna movebatur, sic quod ad campos utraque pars compareret in tota potentia. Sed mediantibus nuntiis regis Henrici pugnatum non fuit, quia viri spirituales et nobiles regni sic tractaverunt discordantes principes quod ambo derelicto campo diverterunt se in propria, sub conditione tali quod sub poena exilii de cetero non convenirent praefati principes et praecipue quod dux de Ioreh armatam jamque constituere non praesumeret in regno ad debellandum aliquos, quos sibi dixerat adversari, sed ut fidelis de sanguine regali daret assistentiam regi, quotiens requisitus esset super illo. Verum quamvis haec promisisset dux, nichilominus se praeposuit, et adhaerentibus sibi nobilibus, culpae coepit publice regis inutilitatem; et factus est clamor in populo quod Henricus rex non erat dignus nisi ad Ecclesiam, more sacerdotum, visitandam, unde et collegium instituerat et crexerat novum, quod postmodum Edwardus, filius dicti ducis de Ioreh, cum sceptrum teneret, demolitus est.

Æneas orator missus ad Fredericum III<sup>m</sup>, in prothonotarium recipitur, et ad Urbem reversus eleganter se purgavit de neutralitate coram papa Eugenio. — Et tam eleganter imperatorem pontifici obtemperaturum peroravit ut tandiu in Urbe remaneret, donec decessisset Eugenius ab hac luce. Hæc omnia habentur in epistola retractationis.

Epistola retractationis omnium per Pium papam II<sup>m</sup> in minoribus agentem Colonien-sibus missa, sic incipit : « Pius, servus servorum Dei, dilectis filiis, rectori et universitati » Coloniae, salutem et apostolicam benedictionem. In minoribus agentes nondum sacris » ordinibus initiati, cum Basileae inter eos versaremur qui se generale concilium facere » et universalem Ecclesiam repræsentare aiebant, dicentes concilium supra papam præ- » cellere....; quibus nos arbitrantes rectum iter ostendere, obliquum monstravimus...., » cum hijs errantes qui mortem prius sibi conscivere quam aliquando male confiterentur » se sensisse. Quod et superbissimi agunt, quales Constantiae combusti sunt nostra » actate in magno conventu : scilicet Jheronimus et Johannes Hus. Nos autem homines » sumus et ut homines erravimus; neque inficiamur multa quæ diximus, scripsimus » et egimus, dampnari posse. Verum non ut Arrius, Eutices, Mæcedonius aut Nesto- » rius viam blasphemorum elegimus, quamquam cum Paulo ignoranter Ecclesiam Dei » persecuti sumus Romam primamque sedem. Propter quod prostrati ante oculos » divinæ majestatis, supplices oramus delicta juventutis nostræ et ignorantias nostras » ne meminerit. Pudet erroris nostri et male dictorum, qui plus scripto quam facto » nocuimus; utinam usque modo latuissent quæ edita sunt, nec malignæ mentes di- » cere poterint : Qui hæc scripsit, Æneas erat, qui postea summum pontificatum adeptus Pius II<sup>m</sup> appellatus est, nec invenitur mutasse propositum. — Cogimur igitur beati » Augustini vestigia ymitari, qui quasdam ineptias suas corrigere tandem quam defen- » dere maluit. Confitemur nos ingenue nostros errores, cum juvenes error irrepit. » Dilectissimi filii, vos hortamur ne scriptis prioribus inhaereatis quæ supremam » apostolicæ sedis auctoritatem elidant, aut ubi quidquam asseruerunt quod sacro- » sancta romana non amplectitur Ecclesia, in qua Salvator noster primo sedens Petrum » collocavit, dicens : Tu es Petrus, etc., pascere oves meas, etc.; quæ nulli alteri quam » Petro dicta leguntur ut in Petro unitas praelati et summa unitatis veritas contineretur » et per hunc quicumque secundum sanctiones canonicas huic præficeretur Ecclesiæ, » quamprimum electus est in sacro Collegio, supremam a Deo potestatem sine medio » consequitur remittendi vel puniendi peccata hominibus et per ordinem in omnem dif- » fundit Ecclesiam. Adversus hanc doctrinam si quid inveneritis aut in dyalogis aut in » epistolis nostris respuite, et quæ nunc dicimus sequimini, etc. <sup>1</sup>. »

<sup>1</sup> La bulle de rétractation de Pie II figure en tête de ses OEuvres complètes, éditées à Bâle. Elle porte la date du 26 avril 1463.

1451.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LI<sup>o</sup>, Nicholaus papa V<sup>us</sup> hujus nominis, instantia Philippi ducis Burgundiae, principis illustrissimi, gratiam indulgentiarum que Romae fuerant anno praecedenti, concessit villae Machlinensi, sub illo praetextu quatenus pecuniae quae darentur in elemosinis ibidem, converterentur in subventionem illarum expensarum quas idem papa contra Turcos debellandos multipliciter exposuit. Verumtamen contra ducem Mediolanensem et comitem de Carmiole, graves guerras, ut fertur, denariis istis idem pontifex gessit, necnon ut agros ecclesiae contra Alfonso regem sibi pro Reynero rege Siciliae molestum, ut Calabriae servaret ducatum, varios conflictus sustinuit. Quamobrem tota fere commota fuit Ytalia. Gravibus igitur periculis bellorum imminentibus, Poggius insignis litteraturae doctor, hiis verbis attulit piam ipsi summo pontifici consolationem, ita scribens :

« Consuetudinis esse scio, beatissime pater, etc...<sup>1</sup>. »

Hujus pontificis tempore, graves conflictus intervenere Turcorum et Christianorum; sed gestarum rerum copiam procurare non valui. Sola igitur ea quae partim in Francia sive Anglia, seu partim in Flandria contigerunt notare potui. Karolus igitur Francorum rex, filius Karoli VI<sup>ti</sup>, post victoriam atque reductionem factam super Anglicos de ducatu Normaniae, quem rex Anglorum Henricus VI<sup>tus</sup> et sui praedecessores immerito jure sibi usurpaverant, Turonis consilium celebravit, vocatis cunctis regni Franciae nobilibus; conclusumque fuit pariformiter ducatum Aquitaniae, quem reges Anglorum jamdiu occupaverant, reducere in obedientiam regis Francorum. Venit igitur comes de Dunoy obsidere castrum de Montguion, cum comite Engolismensi, fratre ducis Aurelianensis, pluribusque nobilibus, et ceperunt ipsum, pulsus Anglicis. Mox aggressi sunt villam de Bloys quam Burdegalenses, parato navigio, defendere putabant; sed Franci, navibus adaptatis, Burdegalenses invaserunt et affugerunt. Sic igitur villa de Bloys, tam per terram quam per mare fuit arta obsidione cineta et graviter afflicta; fueruntque in ea valentiores totius ducatus

<sup>1</sup> Cette lettre est imprimée dans les Oeuvres complètes de Poggio (Bâle, H. Petri, 1558), pp. 287-292.

lus Aquitaniae partem regis Angliae tenentes. Hiis sic se gerentibus, venit Francis undique subsidium. Tandem diluculo fecerunt insultum incaute gentes domini Petri de Louvayn, ita quod reddita sit villa praefata, ducentis fere hominibus ibidem interfectis, ceteris captis. Post hoc, manu forti captum est castrum de Bourch cum villa ejus capitaneus pro rege Angliae fuit Berraert de Monferrant qui cum quingentis viris dimissus est versus Burdegaliam. Consequenter obsessum fuit Fronsac, nec non villa de Liborne quae reddita est in continenti comiti Engolismensi. Sed castrum de Fronsac fortissimum ac principalis clausura totius Aquitaniae ducatus, quod ab initio guerrarum semper pro rege fuit Angliae, obsessum ac deductum fuit ipsi comiti de Dunoy. Quibus locis redactis ad coronam, comes de Foos retraxit se parum per cum ducentis lanceatis et <sup>iii</sup> architenentium in patria sua de Byarne. Comes autem d'Alebret, cum filiis suis, vicecomite de Tartas et domino de Dorval, obsedit villam d'Acre sitam ad latus civitatis Burdegaliae, cum <sup>iii</sup> lanceatis et armigerorum <sup>ii</sup>. Supervenit de patria sua comes Armignaci cum domino de Xaintrailles cum gravissimo comitatu virorum nobilium et architenentium et <sup>viii</sup> lanceatorum; similiter et comes de Penthivere, cum domino de Jaloingnes, marescallo Franciae et magistro Johanne Bureau, thesaurario Franciae; redditaque fuit villa de Chastillon, salvis Anglicis qui se receperunt in Burdegalia. Francis igitur fortissime servantibus in quatuor locis obsidiones ultra ripas de Gyronne ac Dourdongne, promiserunt Anglici, ceterique barones Aquitaniae ducatum tradere regi Francorum, nisi prius quam vigilia sancti Johannis Baptistae coleretur, subsidium a rege Angliae receperint. Similiter id promiserunt Burdegalenses. Ad statutam igitur diem comparendi, cum maxima comitiva reversi sunt de parte regis Francorum comites de Nivers, de Clermont, de Castres, de Vendosme, de Penthivere, ceterique nobiles et barones. Multi creati sunt eadem die milites : comes de Vendosme, vicecomes de Thoraine, dominus de la Roche-Fouquale, filius comitis de Commercy, dominus Johannes de la Roche, dominus de Grimaulx, dominus Petrus de Barres, dominus Petrus de Montivon, dominus Ferri de Grancy, dominus Johannes de Bordelles, dominus de Fontenelles, bastardus Vendomiaec, dominus Johannes de la Haye, dominus Tristram l'Ermite, dominus Johannes de l'Estrange, dominus Petrus Louvayn, plures alii numero <sup>lx</sup>. — Non comparentibus Anglicis, reddita sunt loca multa prae-

cipue Fronsac, quod comes de Dunoyis commisit Johanni Roualt, misitque ad comitem Armignaci qui villam de Rion obsederat, quae se reddidit et commissa est comiti d'Alebret; deinde misit comitem de Foos: similiter villa d'Acre se reddidit quae dicitur Arelatensis. Sic fere totus ipse ducatus Aquitaniae conquestatus est atque ad obedientiam regis Francorum acquisitus, dempta civitate de Bayona, cujus cives tractatum factum per Burdegalenses renuerunt occasione cujusdam militis de Anglia qui certificabat eis adventum regis Angliae, qui jam supra mare fuerat paratus venire cum omni potentia sua in succursum. Relicta igitur civitate Bayona, totus exercitus regis intravit Burdegaliam. Tradiderunt Burdegalenses claves civitatis domino de Longueville, locum tenenti regis Franciae, ac comiti de Dunoyis, fecitque juramentum villicus ejusdem civitatis eisdem dominis. Quo vero ingressi sunt ordine nobiles atque barones regis, longum et taediosum valde foret enarrare. Nam plus quam mille et quingenti lanceati nobiles de parte regis cum suis intromissi sunt. Praestiterunt autem juramentum ecclesiastici aut cives primo, deinde nobiles Aquitaniae, quorum nomina sequuntur: primo dominus de Montferrant, dominus de Lesparre, dominus d'Illande, dominus Oliverus de Coictivy, magnus senescallus Aquitaniae, dominus de Ros, dominus de Rousson, dominus d'Englades, Guillotin de Lensac, le sire Castaulc de l'Isle, dominus Mondoc de Lensac. Sed dominus de Greilly, capitaneus de Buch, filiusque suus cum receperant munera regis Angliae, jurare noluerunt fidelitatem regi Franciae. In conquestu igitur facto valenter Franci pauca sanguinis effusione se gerebant. Post reductionem autem civitatis Burdegaliae fuit mox ordinatum ne populus gravaretur, ut comites de Nivers, de Clermont, de Castres et ceteri versus regem properarent, virique bellatores ad propria remearent, sicuti factum est; fueruntque munerati homines architenentes et armorum decem milia qui rei gestae affuerunt. Consequenter rex Francorum creavit locum tenentem sui comitem de Foos qui cum comite de Dunoyis perrexit in obsidionem civitatis Bayonensis et vi<sup>a</sup> die augusti, cum magna virorum nobilium multitudine, praefatam obsedit civitatem, fecitque comes in assaultu plures milites. Supervenit comes de Dunoyis, cum domino de Gaucourt ceterisque multis et ab alio latere posuit obsidionem inter ripas de la Dordogne et la Divre, sic quod una pars alteri succurrere non valebat. Habebat autem praefatus comes de Dunoyis, dominum de Loheac, mares-

callum Franciae, dominum de Dorval, dominum de Jaloinges, dominum Johannem d'Aschier, gentes domini de Beaunoir, ex Borbonia, gentes armaturae domini Petri de Louvayn, dominum Bonifacium de Valpergrie, Robertum Conigan, Johannem Carbonel, gentes domini de Xaintrailles, usque ad numerum sexcentorum lancearum. Ad latus autem ejusdem civitatis obsessae versus Burdegalam venit comes de Dreux, dominus de Labret, et filius ejus vicecomes de Tartas, cum pluribus architenentibus qui valenter se defendebant in assultu dato. Cunctis igitur instrumentis bellicis dispositis et ordinatis, cives et qui in civitate Bayona fuerant, requaesierunt parlamentandi spatium. Quo concesso, rex misit dominum Petrum de Beauvais, dominum de la Bassiere, dominum Theoldum Volpergrie, ballivum de Lyon, dominum Johannem le Boursier, generalem Franciae, et majorem magistrum hospitii regis, qui tractaverunt cum civibus taliter quod modo civitatem resignarent in manibus regis, videlicet ut dominus Johannes de Beaumont, capitaneus ejusdem civitatis, ad voluntatem regis obligaretur, similiter et omnes armigeri se captivos regis agnoscerent, sed capitaneus deliberaretur praesentiae regiae, manentibus ipsis in civitate cum ceteris civibus qui se submitterent ante rebellionem ostensam regi pro somma xi.<sup>ta</sup> milium scutorum quod sub fide promiserunt. Quo quidem tractatu durante, de Bisquaya supervenerunt xii naves magnae cum victualibus ad subveniendum exercitui regis. Die vero quadam veneris ejusdem mensis praefati, compositione facta diluculo ceteris diebus clarescente subtilius visa est crux alba pendens in aere ab hiis qui obsidione foris et intus vigilabant spatio dimidiae horae. Quo signo viso, mox cives vexilla sua cum rubea cruce dependentia pro rege Angliae dejecerunt et in albam commutaverunt adhaerentes regi Franciae. Unde episcopus statim processionibus ordinatis ut possessionem acciperet, obviam exiit regi Franciae : qui misit dominum de la Bassiere, cum heraldis suis qui deferebant vexilla regis in eandem civitatem. Sequenti die scilicet sabbato xxi.<sup>o</sup> augusti, comes de Foos ingressus est cum mille architenentibus, habens pulchram comitivam nobilium de sanguine regio videlicet : fratrem suum comitem de l'Entret, Jacobum de Chabannes, dominum de Noailles, dominum de la Bassiere, etc. Comes de Dunoys, suo ingressu creavit milites : Johannem de Saveses, dominum de Montguion, Johannem de Montviron et dominum de Boussac. Rex autem non intravit, sed mo-

ratus est in Taillebouch ubi ad eum venerunt barones patriae burdegalensis; similiter illi de Acres ac de Bayona, praestantes hommagium ipsi regi qui benigne suscepit illos, et quittavit pro media somma de XL milibus ipsos cives de Bayona, sicque dimissi sunt in pace. Rex et nobiles barones sui retraxerunt se quilibet in domum suam.

Hoc eodem anno coronatus fuit imperator Fredericus, dux Austriae, qui Romae sponsalia sua celebrans, nupsit filiae regis Portugaliae, cujus Elizabeth duxissa Burgundiae vera neptis erat; et istud matrimonium per Nicholaum papam V<sup>um</sup> praecipue contractum exstitit, qui valde favebat domui Burgundiae.

Temporibus istis in Anglia surrexit dux de Zommerzet contra ducem d'Iorch et convenerunt in campum; sed pax tandem per ecclesiasticos ita confecta fuit ut dux d'Iorch nequaquam praesumeret arma levare, nec contra regem Angliae, nec ipsum ducem de Zommerzet, qui valde visus erat in curia. Quapropter, invidia stimulante pax infecta est et cum omni potentia sua dux de Sommerzet contra ducem de Iorch rebellans succubuit. Processu vero temporis similiter interfectus est dux d'Iorch, cujus duo filii recepti fuerunt a Philippo, duce Burgundiae. Principalis autem causa sumpsit originem a duxissa de Warwic, quam Sommerzet requisivit pro se sive pro suo. Sed comes Salisberiensis onus rei gerebat et vicem praefati ducis, qui tamen, relieta parte ducis de Sommerzet, hanc ducissam de Warwic suo proprio filio copulavit. Qua fraude comperta, dux praefatus fecit eundem comitem mori. Nichilominus filius ejus cum uxore dux Warwic, effectus et fovit partem ducis d'Iorch, qui mortem patris cum Edwardo primogenito filio ducis d'Iorch conatus est viriliter vindicare, ut patebit in sequentibus. — Sic tota concussa bellis Anglia, ut brevi temporis intervallo plus quam xxx<sup>m</sup> virorum, tam duces quam comites et barones extincti sint. Hinc cardinalis d'Estouteville, archiepiscopus Rothomagensis, a summo pontifice missus est ut pax inter duos reges servaretur, et similiter archiepiscopus Ravennae missus est ad Henricum regem Angliae, pro tractanda pace tam cum rege Francorum quam omnibus illis qui sibi videbantur infesti, quatenus undique pax concorditer in auxilium contra Turcos eosdem evocaret et invitaret. Sed huic archiepiscopo responsum erat ut cum tantum super Francos conquestati fuissent Anglici quantum Franci super ipsos, tunc loquendi tempus instaret de materia consimili: sic vacuus regressus est legatus ille.



Circa finem anni hujus Philippus dux Burgundiae, comes Flandriae, etc. requisivit a quatuor membris principalibus comitatus Flandriae, quamdam talliationem concedi sibi supra sal, quod autem consumebatur in Flandria vel extra Flandriam ferebatur; sed cum somma denariorum nimis gravasset communem plebem, visum est in primis ipsis de villa Gandensi rem nequaquam concedendam fore. Dux igitur indignatus huic villae, pluribus eam calumpniari coepit articulis quos contra principatus sui majestatem praesumpserant, ut aiebat, usurpare, veluti privilegia quaedam concessa dudum per comites Flandriae: videlicet quod ponebant scabinos et decanos creabant ad libitum, non de scitu principis, quod ejus dominia videbantur in hoc parvipendendi, quod assumebant vassalos ejus in defensionem, quod valde cessit in detrimentum principis, et alia plura quae locis suis clarius scripta reperiuntur. — Gandenses igitur commoti vulgari more, privilegia sua salvare parabant etiam in manu forti non obstante contrario mandato principis usque ad extremum ipsi duci penes Bruxellam agenti, litteris et ambatiatoribus significaverunt. — Exorta est igitur guerra contra ducem non juste informatum, ut ferebatur, et ipsum vulgus ardebat nimis, sic quod a praefata villa de Gandavo, notabiles multi banniti sunt, plures puniti, necdum in corpore sed bonis: inter quos erat dominus Balduinus de Vos, qui multa sustinuit importabilia; ceteri capitis obruncatione plexi inter quos primo fuit Petrus Tincke, Ludovicus de Hamere, Ingelramus Hauwel, capitaneus creatus, Godefrius Braem, ballivus territorii Wasiae, pluresque alii quorum nomina longum esset inscribi.

Igitur pro concordia bona servanda cum principe praelati villae de Gandavo, cum quibusdam de civibus deputatis ingressi Bruxellam coram principe, die veneris qua Redemptor noster Christus Jhesus in cruce salvavit nos, deprecati lacrimis veniam postulabant, sed impetrare medium pacis nequibant donec mandatum principis effectum suum sortiretur juxta petitionem praesentatam.

---

In Hollandia Lidwic, virgo mirabilis patientiae claret. Et Romae Fredericus III<sup>us</sup> imperator in regem Romanorum coronatur a papa Nicholao cum imperatrice sua, quam

tunc duxit uxorem, filiam scilicet Edwardi regis Portugaliae, ex qua filium Maximilianum et filiam suscepit. De quo Frederico multa forent scribenda. — Captio Fronsae, fortissimi totius Aquitaniae castrum, quod ducentis et lxxx annis in manu Anglicorum fuit. — Arelatum obsidetur et capitur; similiter et Burdegalia. — Absente Frederico imperatore, quem versus Ungariam comitabantur cardinalis Bononiae, frater Nicholai papae, et Carvagialla, cardinalis Sancti-Angeli, Veneti Cremonensium agrum sunt ingressi. Tunc Franciscus Sfortia, sociato sibi Ludovico Gonzaga, Venetos redegit ut aperto Marte non sint ausi decertare. — In conquestu ducatus Aquitaniae praecipuus erat Jacobus de Cuer, argentarius seu monetarius regis Franciae, qui cum ex regno Francorum ad Flandriam tenderet et significasset negotium ei commissum a rege, dux Philippus concessit ei licentiam emendi confracta vasa et jocalia argentea; sic cum ingenti copia monetam exflavit pro rege. — Alii dicunt [matrimonium Frederici imperatoris contractum extitisse] per Calixtum, id est Alonsum Borea cardinalem, qui postea dictus est Calixtus III<sup>us</sup>.

Nota de Frederico III<sup>o</sup> semper Augusto, quod uxorem duxerit filiam Portugaliae Alienoram. — De bono duce Philippo, qualiter contra villam suam de Gandavo guerras hoc anno movit. Unde nec territi Gandenses mandaverunt in longum per xvi miliaria et in latum ix, ut omnes de villagiis villae subiectis comparerent et tunc fecerunt captivos super eos.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LI<sup>o</sup>, Aeneas episcopus Senensis, coactus est relinquere Bartholomaeum episcopum Novariensem, et ad curiam romanam pergens sese junxit Nicholao cardinali Sanctae-Crucis, ordinis Carthusiensis, qui paci Atrebatensi interfuerat; quo cardinale vocato ad Italiam Aeneas, scriba concilii Basiliensis, permansit aliquot dierum. Deinde in Urbem veniens, factus est abbreviator litterarum sedis apostolicae ac duodecimvir. Aeneas in Urbe saepe de fide disputando praesedit et orationes graves replicavit. Post in rebus Italicis agendis semper unus debebatur, pluresque obivit delegationes. — Denique, cum, detruso papa Eugenio, Felix V<sup>us</sup> in concilio Basiliensi pontifex acclamaretur, ipse magistratum octoviri renuit, mallens sequi neutralitatem.

Papa Nicholaus V<sup>us</sup> Ruthenum cardinalem Constantinopolitanum misit ad Constantinum imperatorem, cui pollicitus est auxiliaturum cum omnibus copiis suis, si tamen ut in Florentino concilio sponderat, fidem nostram acceptaret. Is se paratum obtulit ad obediendum, sed opus esse ingenti manu ad resistendum Turchis jam ad invadendum properantibus. — Franciscus Sfortia dux Mediolani cum Florentinis copias et opes pollicetur si Renatus Andegavensis regnum Neapolitanum repetere vellet, qui per Allobroges id est Zaboudienses venit cum n<sup>o</sup> equitum, cui adjunctus Franciscus movere castra fecit ad Bruxianos. — Renatus igitur, dux Andegaviae et Barensis, cum Francisco fere xl<sup>a</sup> cepit opida partim vi, partim deditione, mediante auxilio Francisci Sfortiae, sed nec sic Renatus praevaluit contra Alonsum. — Hujus Calixti papae camerarius fuit

cardinalis Venetorum, qui fratrem suum Paulum Barbo dictum in senatorem Romano-rem promovit; sed amovit eum successor ejus Pius II<sup>us</sup>. Propter quam causam, sicut postea patet sub anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXV<sup>o</sup>, exauctorisavit omnem familiam Pii pontificis Paulus II<sup>us</sup>.

Pro conquestu ducatus Aquitaniae sciendum quod per generalem capitaneum regis, comitem de Dunoy, villa et castrum de Montguion obsessum exstitit in principio mensis maii cum III<sup>o</sup> et IIII<sup>o</sup> lanceatis; et dum spatio dierum octo castrum expugnaretur, sese reddidit loci capitaneus, Reginaldus de Sancto-Juliano, Gasco, servitor Captau de Buc, anglici. Deinde Blesense castrum cum villa sunt aggressi Franci, cum quibus domini ceteri supervenerunt: Petrus de Bella-Valle, dominus de la Bissire, Geffroit de Sancto-Belino, dominus Jacobus de Sabaunnes et Joachim Roault. Per mare vero descendit ex Francia dominus Johannes Boursier cum gentibus et victualibus, contra quos navigio se Anglici parabant dimicare cum quinque navibus, ubi praefatus dominus Johannes in fugam convertit Anglicos, utrinque pluribus interfectis; et ita per terram ac per mare fuit obsessa villa de Blaye, in qua plures valentes nobiles erant ex parte regis Angliae. Post sex dies obsidionis, gentes Petri de Louvain in erepuseculo, dum renovaretur vigilia noctis, muros seclis erectis ascenderunt, ubi tam ab una quam altera partibus interfectis atque captis ducentis hominibus, cessit villa Francis, Anglicis in castro se salvantibus una cum majore Bordegaliae necnon et domino de Lesparre, qui se reddiderunt. Deinde castrum de Borg, quod tenuit dominus Bernardus de Montferrant, acceptum est, ubi remansit aliquibus diebus comes de Dunoy donec praeparasset se ad obsidionem villae de Fronsac, a qua misit heraldum in Libornam ut se redderet, quod et annuit: ubi pro rege Franciae defensorem posuit comitem Engolismensem. Castrum igitur de Fronsac, quod est fortissimum de ducatu Aquitaniae, tandem acceptum est; ab antiquo tamen sub tutela regum Angliae fuit. — Tota profecto aestate hujus anni, regis exercitus in labore fuit recuperandi villas et loca quae rex Angliae vel sui tenebant in ipso ducatu Aquitaniae. — Comes Funsensis, mense junio, comes d'Alebret, comes de Tartas, dominus de Dorval et filius ejus obsiderunt civitatem Arelatensem ab utraque parte ripariae, scilicet Dordoniae, quam post plures insultus acceperunt. Similiter comes Armigniaci, cum tribus seneschallis de Tolosa, d'Agenois et de Querey ac Rouergue, plura loca cepit pro rege Franciae circa Gyronnam. Unde Franci simul obsederunt quatuor loca nec succursum unus alteri praebere valuit; factum igitur est ut in vigilia beati Johannis Baptistae, Bordegalia se resignaret in manus regis Franciae, unde creati fuerunt LX milites, quorum nomina continet Francorum hystoria. Omnia igitur loca ducatus Aquitaniae, dempta Baiona, se tradiderunt regi Franciae. Nam miles quidam anglicus certificavit civibus supra mare navigia regis Angliae fore qui succursum eis praebarent; unde nec Francorum regis heraldos audire voluerunt, sed inhoneste tractantes remiserrunt. — Sciendum quod VI<sup>o</sup> augusti anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LI<sup>o</sup>, Bajona civitas obsessa fuit

a Francis ab utraque parte, ad quam obsidionem ultra x<sup>m</sup> Francorum optime dispositorum sese contulerunt, et capitaneus Baionae, dominus Johannes de Beaumont, cremari fecit fauburgum in primis; deinde durante maxima approximatione bombardorum ad muros concutiendos villae saepius cursus peregit sibi nocivos. Comites vero Drocharum et de Labret ad pontem ligneum juxta Sanctum-Spiritum cum suis se locaverunt, et dominus Bernardus de Byarna fecit escharmutias cum balistariis et colubrinariis, unde et graviter in tybia tactus fuit icu lapidis, sed curavit rescindere pro vita sua mox, ne calor ascenderet ad cor. Videntes autem inter civitatem se non posse resistere regi potestati, miserunt ad parlamentandum. Unde comites de Fois et de Dunois una cum aliis sic concluderunt quod ad voluntatem regis capitaneus cum suis se redderet et villam. Et xviii<sup>a</sup> augusti se submiserunt eives, ductis ad regem capitaneo et adhaerentibus sibi. Stante obsidione, illi de Bisquaya cum xii balengariis aut navibus vina, panem et victualia Francis detulerunt per mare. Indultis civibus, per capitaneos regis, praeceptum fuit ut quadraginta milia coronarum auri pro rebellionem persolverent. Qua compositione facta, sequenti die circa diluendum ante solis ortum, tam ab exercitu quam a civibus visa fuit crux alba in aere per spatium dimidiae horae; quod de coelo signum crediderunt sub honore regis Francorum assignatum esse. Quapropter illico eives, depositis vexillis et signis Anglicorum, cum rubea cruce quam ipsi ferunt, regalia signa liliata simul et albam crucem assumpserunt. Igitur locumtenens regis Franciae, comes de Dunoys, cum heraldo regis ac xii<sup>a</sup> architenentibus, ingressus est Bajonam et creavit milites Johannem de Saveuze qui regis vexillum portabat, dominos de Montguion, Johannem de Montmorin, de Boussac, etc. Capto juramento fuit major villae constitutus ex parte regis dominus Johannes Boursier, et dominus Martinus Grathie capitaneus castrum, qui cum majoribus villae versus regem perrexerunt ut praestarent homagium et confirmarent articulos compositionis tam pro nobilibus quam gubernatoribus ejusdem civitatis. Rex autem accepit oblata ac quitavit xx<sup>m</sup> de xl<sup>a</sup> per capitaneos ordinatis, quae apud Tailgebourch, ubi rex in persona fuit, acta sunt, xxviii<sup>a</sup> augusti anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LI<sup>o</sup>. — Petrus Barbo, cardinalis Venetorum, quorum amicitia de Romanis delectatus, ut earum etiam aulicis haberetur, tantam auctoritatem comparare foris ausus est ut in Hernicos, id est Campanos profectus sit ad componendum pacem inter comitem Aversae et Neapolionem Ursinum; sed comes in eum ob verborum contumeliam commotus, parum abfuit quin in vincula conjiceretur. — Francorum rege Karolo septimo, de Valesiensium domo, gloriose recuperante monarchiam regni sui, rex Henricus de domo Lancastrorum tertius, sed sextus de nomine illo, passus est insidias in regno suo, ducibus de Sombrezet et Richardo duce de Iorch mutuo disceptantibus, unde perditio conquestus regni Francorum imputabatur duci de Sombresedt. Quapropter dux de Iorch ad gubernacula regni Angliae conatus est praeponere se. Tandem filius ejus primogenitus cum eo decapitatus fuit; sed secundo-genitus ipsius, Edwardus IV<sup>us</sup>, post bella plurima regnum obtinuit de manu Lancastrorum.

Imperium Turchorum in Oriente contra Tartaros praevalet, sed soldanus Babiloniae Turchis adjunctus, gravissima praelia Graecis et aliis regionibus indixit, sic quod ad orbem sibi subiciendum, ipso mediante, Turchorum imperator anhelaret. Hic pontifici Nicholao litteras derisorias direxit, et quod annus remissionis peccaminum, qui dicitur Jubilaeus, nullius erat efficaciae, sicuti nec cruciata per eum ordinata pro illis qui contra legem Machometicam procederent. — Hoc anno, Franciscus Sfortia, dux Mediolanensis, expugnatis quibusdam Venetorum castellis, eorum classem quae Cremonensem vexabat bombardis dejecit ad tantam desperationem ut, incensa classe, fugam petere Venetos redigeret, et processit accipere Mediolanum idem Franciscus. Franciscus Sfortia, simulata cum Venetis amicitia, Cosmae Medices adjustus pecunia, contra Sigismundum Malestam quem Mediolanenses intromiserant ad tutandum se pernegligenter, post multas elades, invito Alfonso, rege Arragonum atque Neapolitano, sicut dominandi vir cupidus, optinuit Mediolanum, contra quem invitatus est Fredericus III<sup>us</sup>, qui cum militibus descendit in Ytaliam; sed amicitia firmata, cum nolent Mediolanenses imperatoris libertate gaudere, factum est ut simul imperio carerent, quod habere poterant super orbem universum. — Gandenses de guerra contra principem eorum illustrem Philippum ducem Burgundiae proinde cogitantes, colligere frumenta coeperunt, et ad victualia sollicitantes, hinc inde perrexerunt ut omnia tempestive prius quam aggredierentur, essent ad resistendum, rite perpetrata; unde fuit causa murmuris quod blada carius, solito practio, venderentur.

Nota quod dominus de Laval, viceconnestabularius Franciae, per modum provisionis arripuit officium, sed non erat de consensu regis; nam sine parium electione rex aliquem connestabularium constituere noluit.

## 1452.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LII<sup>o</sup>, Gandenses ab aliquibus de Aldenardo vocati, hinc infra festa Paschalia diluculo venerunt ante villam, sed non sunt intronmissi; manserunt autem aliquot diebus ante praefatam villam; sed dominus Symon de Laleyn, capitaneus ibidem constitutus per ducem, viriliter eam defendens combussit faubourgos ad portas et aufugerunt omnes, paucis interfectis viris. Interim Sampson de Busco et Walterus Leenknecht per Gandenses capitanei missi, versus villam Gerardimontis, ceperunt claves ejusdem villae, scabinibus renitentibus et contra principem rebellare nolentibus. Quod dum capitaneus villae, dominus de Crouwy, scivisset, ex Hannonia properans vi suorum cepit illam, facta tamen strage quorumdam,

et ibi praefati capitanei de Gandavo sunt interfecti. Capta villa ac spoliata, reversus est idem dominus de Crouwy cum captivis multis ad ducem. Quibus novis auditis, e converso Gandenses maximo numero revertentes hanc villam combusserunt et obsiderunt Aldenardum x diebus, sed in profesto Marci evangelistae, comes d'Estampes, frater comitis Nivernensis, post plurimás escharmuchias habitas supervenit et levavit obsidionem sicque Gandenses, turpiter fuga lapsi, prosequuti sunt a duobus partibus Schaldae currentibus versus Gandavum, tam per principem qui sequebatur comitem d'Estampes quam per illos de villa, caesis utrinque pluribus. Ibi tres majores machinae relictæ sunt a Gandensibus absque numero ceterorum bellorum instrumentorum; hæc die Marci evangelistae contigerunt. Quo videlicet die creati fuerunt novi capitanei villae Gandensis: scilicet Jacobus Meussone, Johannes de Melle, Adrianus Cappe, Petrus de Busco, Willelmus Warwic, secundum numerum quinque parochiarum; et audita informatione, depositi capitanei qui fuerunt decollati, scilicet: Johannes Villeys, magister Livinus Boene et Everardus Botelare. Pauco tempore post, dominus Symon Laleyn cum exercitu suo venit ante portam Sancti-Petri, sed expectare non audens Gandensium turmam, invasus est a cauda, paucis tamen derelictis in mortem. Die Crucis, videlicet III<sup>a</sup> maii, ducis exercitus properavit et juxta Macleen, domus Balduini Ryms eversa est; ibique mansit dominus de Miroumont ex Burgundia, miles strenuus, cum pluribus armigeris suis. Lecta fuit littera confoederationis eo tempore missa Gandensibus ab illis de Leodio pro salvo conductu optinendo interloquendi super materia pacis tractandæ; sed parum aut nichil profuit. Deinde IX<sup>a</sup> maii, plures de exercitu ducis se juxta portam Sancti-Livini contulerunt et spoliolum inducere cupientes, sed capti sunt. Ex eis quidam debiliores in fuga et sequenti die decollati. Inter quos erat mango comitis Sancti-Pauli. Sed cum id pluries contigisset, nunc una pars, nunc altera succumberet, tandem dominus Cornelius, filius ducis naturalis senior, per Repelmondam intravit Wasiam cum exercitu, veniensque ad obsidionem villae Gandensis cum ceteris per Lokerne, ubi plures amiserat. Similiter dux ipse movit exercitum suum a Derremunda, et juxta villagium de Overmere bellum terribile commissum est et strages formidanda perpetrata utriusque partis; unde plus quam mille et quingenti de Gandavo prostrati sunt, et dux victoria tali parta, plures ibidem creavit milites. Comes d'Estampes apud

Nivellam incaute cum nobilibus suis applicans, passus est a Gandensibus illic latitantibus. Conflictu autem facto, cum pluribus vulneratis, villam de Curtraco, cujus erat capitaneus, ingressus est non sine dampno gravi. — xxvi<sup>m</sup> maii, Johannes de Vos, capitaneus villae Gandensis, cum magno exercitu versus Brugas iter accepit et combussit hinc inde villagia. — Tunc temporis ex Anglia certi nuntii supervenerunt praesentantes subsidium vi aut vii<sup>m</sup> Anglicorum; et de tanto numero vix quingenti supervenerunt, qui rapinis et caedibus intenti nulla digna relatu peregerunt. — Post festa Penthecostes Hannonienses egressi plura mala perpetrati sunt: quorum capitaneus Christophorus de Foresto cum Gandensibus congressus plus quam centum lxx de suis amisit. — Dominus Balduinus de Vos, qui ix fere mensibus captivus retentus fuerat, liberatus est, obsidibus assignatis. Quibus relictis, a Gandavo recessit.

In principio mensis junii, deputati fuerunt dompnus abbas Sancti-Bavonis, abbas de Dronghen, ordinis Praemonstratensis, prior Carthusiensis, ceterique de Gandavo ac de nationibus mercatorum villae Brugensis, qui pulchro comitatu pro pace seu treugis obtinendis ad principem iter fecerunt apud Bruxellas; sed quia nec Karoli Francorum regis instantia, nec requestu dominorum villae praefatae flecti potuit ducis animus, vacui reversi sunt praefati ambassiatores.

Undecima praedicti mensis die, Jacobus Meuszone, capitaneus, igne et gladio pauperes circumquaque depressit; et eo tempore se v<sup>to</sup> decollatus est Eligius de Belle qui multum seditiosus sepeptus est atque denariorum summam receperat, interficiendi magistrum Petrum Bouwins et magistrum Georgium de Bul; nec dies fuit postea quo non aliqui suspendio vel ferro sunt puniti: tanta enim cepit eos inhumanitas ut jam nullus omnino qui a Gandensibus caperetur mortem potuisset evadere; et cum miranda multitudine virorum, quos vulgariter Groetenters nuncupabant, Gandensium capitanei disperserunt et dilataverunt se pergentes versus Hannoniam, flammis et gladio cuncta vastantes et in spolia quaerentes ad sustentandum eos qui confugerant in Gandavo, si opus fuisset. Verum dominus Johannes de Crouwy caute insidiatus eisdem, quosdam eorum cepit et jugulavit. Interim dum haec fierent, dominus Cornelius, filius ducis Philippi, cum magna nobilium et architenentium comitiva, per Repelmondae terram invasit de Wasia. Huic obviare cum coeperant Wasienses, magno numero con-

gregati, non expectantes subsidium a Gandensibus, convenerunt juxta Repelmundam et in quodam lato campo succubuerunt congressi fere XIII<sup>e</sup>; ceteri fuga salvati, passim prostrati sunt. Unde et idem dominus Cornelius insequutus, aestu caloris cassidem levans, vidit quatuor aut quinque fugientes ante se, quorum unus per fossatum saltando recepit cum acuto baculo suo, sicque vulneravit in capite ut spiritum infra duos dies exhalaret, et Bruxellae traditus sepulturae honorifice fuit. Hujusemodi dampno pater motus ejus, Philippus dux Burgundiae, planxit cum dolore nimio. De ceteris autem nobilibus qui manserunt, memoriam agere nequeo nisi generaliter; nam ibidem Walterus Leenknecht captus et ad arborem suspensus fuit cum pluribus aliis. — Exercitus vero ducis ingressus est, hac illac undique vastando, donec venirent Morbeke, ubi Gandenses eidem viriliter resisterunt, caesique fuerunt utrinque multi; sed reversus est in Hulst. Quo tempore medio, Francorum rex suos ad Gandavum direxit ambassiatores pro pace tractanda: videlicet archidiaconum ecclesiae Thuronensis, marescallum Pictavensem et procuratorem generalem regni Franciae, qui parum proficientes, vacui recesserunt. — XXVI<sup>a</sup> mensis praefati, Gandenses, paratis multis bellicis instrumentis et cordis ad pendendum homines, venerunt ante villam de Hulst in qua totus exercitus ducis se receperat; sed cum magister machinarum praeveniretur in quodam tractu machinae, per magistrum de Hulst factum est ut a post similibus instrumentis ipsi Gandenses se minime defendere poterant. Quare confusi, prostrati sunt fere ibidem quingenti viri, relictis omnibus rebus quas asportaverant. Insequitur mox Gandenses totus exercitus ducis usque Axellam, qua spoliata, ignem undique immiserunt. — Quarta mensis julii, praefatus exercitus applicuit in Evergheem et sic consequenter ante villam de Gandavo, commissisque escharmuciis, nunc illi, nunc isti succumbebant, saepiusque pugnatum est acriter; sed mirabiliter cohortati sunt Gandenses ab omni parte. Tandem heraldus regis Franciae detulit Gandavi litteras sigillo principis assignatas super petitis treugis et concessis pro tempore quas illi de Viridi Tentorio cum Anglicis rumpebant, suis continuis depraedationibus, nec impediri poterat ipsorum malitia. Paulo post ab Insulis, ubi dux aliqua infirmitate tenebatur, litterae sigillatae missae sunt, quarum tenor visus est vulgo suis privilegiis obviare. Statimque ruentes in arma convenerunt clamantes et vociferantes quod de cunctis ibidem lectis nichil curabant; et



ordinato exercitu, alteram post diem Crucis in septembri, versus villam de Hulst properabant quam nocturno tempore ceperunt, caesis aut fugatis custodibus igni totaliter eam tradiderunt, spoliis collectis et versus Gandavum directis. Deinde domum domini Adriani de Voorhute cum villagio combusserunt; sicque recesserunt ignem ubique supponendo. Porro nunciatum est Gandenses quosdam e converso villam de Hulst forticasse contra eos, et ideo iterato reversi sunt et residuum praeter ecclesiam solo aquaverunt, reductis machinis et bellicis instrumentis Gandavum.

In fine vero mensis septembris, Gandenses villam de Alusto obsederunt, ubi combustis fauborgis, dampna pauca suscipientes reversi sunt cum praeda magna. — Undecima mensis octobris, Jacobus Meuszone cum pluribus de Gandavo versus Hontenese et in Saeflinghe venit, per terram Quatuor-Officiorum omnia depraedando et igne consumendo, qui cum praeda magna rediit Gandavum. Johannes de Vos et Johannes de Wint, capitanei, contra gentes ducis fortiter agendo, cuncta vastaverunt, sic quod pauca destruenda manserunt citra Curtracum, Aldenardum et circumcirca villam de Gandavo; nec calamitas similis visa est ab hominum memoria qualis cotidie contigebat. Nam quod per Gandenses relictum est, ab aliis est eversum, et dominus Symon de Laleyn numero viii<sup>e</sup> equestrum hinc inde peragrabat, gladio quos repperit, aut jugulationi prodendo. Gandenses exeuntes in manu forti villas de Ardenbourecht, Oostbouch et cetera passagia sub villa de Sclusa combusserunt, deferentes plus quam ii<sup>e</sup> currus cum spoliis oneratos. — Deinde xx<sup>a</sup> novembris, versus villam de Alusto pergentes ad obsidionem firmandam, sed dampna caesorum et vulneratorum retulerunt; nec intemperies aeris quae plurimum inhorruit, utrasque deterruit partes ab insolentia, quum e converso mense decembri, Gandenses Alostum obsiderent, ductis secum instrumentis bellicis et victualibus tam per terram quam aquam. Sed vix unius diei spatio prae nimia nivis et pluviarum ac frigoris egestate, compulsi sunt retrocedere, quos insecuti sunt armigeri ducis cum domino Anthonio, filio ejus naturali, fratre Cornelii supra memorati, qui supra illos de Derremunda factus est capitaneus. Hic vocatis ceteris capitaneis de Aldenardo, de Curtraco, de Alusto, de Geraldimonte, nec non omnibus locatis diversis in locis pro garnisonno saepius villam infestabat de Gandavo, sed Gandenses et ipsi de Tentorio-Viridi cum Anglicis multa intulerunt illi dampna usque ad finem mensis januarii. —

xii<sup>a</sup> vero februarii obsessum fuit castrum de Theemzeke per Gandenses, sed non captum, contra meliori machina.

Paulo post commotio facta est in villa Gandensi per bastardum Blanstrin contra Theodricum de Pulchra-Palude, capitaneum ejusdem villae, cujus occasione Johannes Fallot, capitaneus Anglicorum, recessit a Gandavo et receptus est in Derremunda. Contra quam villam praefatus Theodricus cum suis venit et, capto propugnaculo villae, plures prostravit ibidem et cepit turrim de Diercost, in qua quidam de Hannonia se tenebant quos duxit in Schendelbeke. Sed dominus Johannes de Crowy misit quamplures ex Hannonia contra Theodricum et suos juxta Geraldimontem, qui confusi sunt et, utrinque congressu facto, caesi fere septingenti, decollatique fuerunt xiiii captivi de Diercost. Continuata nempe guerra plurimum ingravata est a prima dominica quadragesimae; postquam deputati pro pace tractanda de villa de Damme reversi sunt vacui; capitanei quidam villae Gandensis, Johannes Stamerch versus Eenghem in Hannoniam profectus et Theodricus Steenbrouch versus terram Quatuor-Ofliciorum multa perpetrati sunt. — Post hoc, videlicet xxii<sup>a</sup> februarii, Curtracum obsederunt et, combustis faubourgis villae cum barreriis portarum, caedes utrinque commissa est, multaque dampna lapidum ictibus intulerunt. Sicque reversi cuncta vastando se receperunt in Gandavo. Interim vero quod Curtracum obsidebatur, exierunt Gandenses ad obsidendum villam de Denremunda, contra quos quidam stipendiarii ducis incaute dimicantes devicti sunt et plures capti. Deinde quinta martii, bastardus Blanstrin cum illis de Viridi-Tentorio, fere septingentis numero aut octingentis congressus est, et dominum Symonem de Laleyn cepisset et versus Gandavum duxisset, nisi de manibus ejus ereptus fuisset cum gravi dampno suorum, caesis lx viris et ix captis, et suspensus, quorum praeda ditatus idem bastardus Gandavum ingressus est cum triumpho. Circa dominicam Palmarum moverunt se omnes qui jacuerant in garnisonno cum capitaneis suis et aciebus ordinatis invadere coeperunt Gandenses exeuntes villam ipsorum, sed nunc hini, nunc terni, nunc quaterni captivi ducti capite plexi sunt aut jugulati. Similiter contigit Gandensibus ac eisdem captis. Verumptamen ob sacrum Pascha quod proxime celebrandum erat, e converso deputati sunt quidam videlicet: prior Carthusiensis cum xii de notabilioribus villae, quibus comparandi dies apud Sicelinum statuta erat; sed res infecta remansit, receptis

litteris a rege Francorum, quod absque suo scitu ambassiatores regni sui se intromiserant. — Qui quidem rex, eodem anno, miserat litteras dissidentiae duci Zabaudiae, disponens intrare patriam suam in manu forti. Sed mediante cardinali de Stouteville, est factum ut idem dux regi mox confederatus sit et reconciliatus in pace.

Hoc etiam anno, dominus de Talbot, in octobri, cum vi<sup>m</sup> fere Anglicorum descendit in Burdegaliam, quem quaesierat dominus de Lesparre consilio dominorum nobilium de Aquitania, videlicet: comitis de Montferrant, domini de Rozen ac domini d'Anglades contra juramentum regi Franciae praestitum alias. Nichilominus pro rege Francorum in civitate praefata fuit senescallus Aquitaniae dominus de Coectivy cum domino de Fou, sed Talbot cum suis clam intromissus est, qui cepit eos cum ceteris armigeris partem regis observantibus. Qua re nunciata regi, statim misit mareschallum Franciae, dominum de Dorval et Joachim Roualt, cum sexcentis lanceis. Priusquam tamen advenissent, dominus de Talbot cum suis et sibi adhaerentibus, jam reduxerat pro magna parte plura fortalitia in obedientia regis Angliae, contra quos fortiter egit comes de Clermont, senior filius ducis Borboniae, sed non profecit. Nam paulo post supervenerunt ex Anglia dominus de Camois, bastardus de Sommerzet, dominus de l'Isle, dominus de Moleis et filius praefati Talbot cum lxxx magnis navibus et iii<sup>m</sup> pugnatorum cum eisdem. Hii cum domino de Talbot obsederunt castrum de Fronsac quod servavit Joachim Roualt et ceperunt illud. — Post hoc Francorum rex venit in villam Sancti-Johannis-d'Angeli et obsedit villam de Coloures quam cepit in manu forti, repulsis Anglicis, non sine dampno partis utriusque. Deinde villa de Castillon in Perregort obsessa est. Quod ut Talbot audivit, venit cum exercitu suo, factoque terribili congressu, primo Franci campum reliquere, sed viribus resumptis, locum belli requirentes, fortiter instaurata est pugna. Talbot viii vexilla levavit ut sui pedestres, quorum numerus quinque milia virorum aestimabatur, citius appropinquarent, sed ipse supra gradarium sedens, ceteris fugientibus, gradario ictu lapidis in terram lapsus, ibidem cum filio suo diem clausit extremum. Insequentibus autem Francis, prostraverunt vexilla, nobilesque multos circa barrieras ejusdem villae praefatae ceperunt. Interfecti sunt autem ex Anglicis dominus Edoardus Heul, dominus Thomas Aurigan, dominus de Puigalan, gasco, cum aliis lx militibus. Salvaverunt autem se fuga filius

comitis de Kentdalle, dominus de Montferrant et dominus d'Anglades in villa Castillon, quae statim capta est cum mille quingentis captivis, inter quos erat comes de Kentdalle ac dominus de Lesparre qui secrete recessit. — Reddiderunt se regi Francorum villa Sancti-Millonis et villa de Liborne quae nundum obedierat regi Angliae, captumque fuit castrum novum d'Amadoc, quod tenuit pro rege Angliae dominus de l'Isle, gasco; similiter et castrum de Blancquefort, villa de Cadillac et de Maquaire cum pluribus aliis locis et fortalitiis se reddidere, sic quod tota patria de Bordeloos subjecta fuit, dempta civitate Burdegalia in qua pro rege Angliae tenebant se dominus de Camois, dominus de Clifton, bastardus de Sommerzet et dominus de Lesparre. Domini de Rozen, de Duras et de l'Isle cum fere *iiii*<sup>m</sup> Anglicorum et Gasconum simul fortificaverunt locum circumquaque contra regis potentiam, plurima perpetrantes mala, feceruntque bastiliam quamdam pro tutela navium suarum, si tandem per mare fuga opus fuisset. Sed deficientibus victualibus et urgente mortalitate, versus Angliam transfretati sunt, relicta civitate praefata cum toto ducatu Acquitaniae pro rege Franciae, cujus in conquestu valenter se gerebant comes de Clermont, dominus de Loheac, marescallus Franciae, sire Jacobus de Chabannes, comes de Penthièvre, dominus de Beauvau de la Bassere, dominus de Beaumont, senescallus Pictavensis, magister Johannes Bureau cum ceteris multis baronibus et nobilibus regni Franciae.

---

Principalis capitaneus in Aldenardo erat dominus Johannes de Burgundia, comes de Stampes.

Romae coronantur Fredericus III<sup>us</sup> et imperatrix ejus, quae filia fuit Edwardi regis Portugaliae, quae genuit ei Maximilianum, postea ducem Austriae, etc., matrimonio conjunctum Mariae, filiae Karoli ducis Burgundiae, Lotharingiae, etc., anno Domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> LXXVII<sup>o</sup>. Verum dum Fredericus in Hungaria res novas moliri adversus Ladislaum quem secum duxerat, audisset, mari illic properavit.

Dum imperator Fredericus cum imperatrice sua Romae coronatus esset, anno Domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> LII<sup>o</sup>, ix<sup>a</sup> martii, creavit in ponte Adriani, ut fieri solet, auratos milites; et hinc abiens causa videndi Alfonsum, pervenit Neapolim ubi magnifice tractatus est. — Cujus frater Albertus tantae gloriae invidens, cum vice quadam in curia ipsius impera-

toris venisset et collationem habere nequiret, Judaeis impediētib; ne ingrederetur, sumpsit cretum et scripsit in pariete : « Fredericus rex non Romanorum sed Judaeorum. » Haec occasione fertur a quodam Judaeo neci traditus per intoxicationem anno Domini M° CCCC° LVIII°.

De Francis : anno Domini M° CCCC° LII°, Karolus Francorum rex, de Turonis pergens, fecit Pentecosten suam in Castro de Thieri. Deinde venit Mehum juxta Bourges, in Byturia, et ab eo loco diffidentiae litteras misit Ludovico duci Saboudiae, filio Amedei, qui tamen ejus filiam habebat uxorem. Postea cum exercitu comitatum de Foresto ingressus est ad intrandum Saboudiam. Quod ut audisset cardinalis d'Estouteville in via qua Romam tendebat, iter retorsit ad Saboudiam, et hinc versus regem Francorum descendit, et factum est ut ejus medio dux in gratiam regis perveniret ea conditione quod omnia loca occupata de Dolphinatu vel Lemovicensi patria repararet et resignaret, quae omnia conclusa sunt apud Feucs, in Foresta. — xxii<sup>a</sup> octobris, ex Anglia per mare descendit Tailbot eum fere un aut v<sup>m</sup>, quem dominus de Lespare quaesierat consilio domini de Montferrant ac aliorum : videlicet dominorum de Rozen, de Lenmes, d'Englades, contra juramentum regi praestitum. Erant autem in Bordegalia de parte regis Franciae seneschallus Aquitaniae, dominus de Coictivy et dominus Johannes de Fou, major civitatis. Sed quia cum lxxx<sup>a</sup> navibus fere plenis armigeris in portu adesset dictus Tailbot, Franci statuerunt ut relinquerent civitatem in manu regis Angliae. Quod ut quidam de civibus perceperunt, portam unam aperuerunt et Anglicos intromiserunt, qui praefatos Francigenos captivos fecerunt cum adhaerentibus. Mox hiis novis delatis regi Francorum, direxit illuc mareseballum Franciae, dominum de Dorval et Joachim Roault et alios usque numerum vi<sup>o</sup> lancearum, interea generalis capitaneus Aquitaniae, comes Clarimontensis, senior filius ducis Borboniae, cum suis se venturum in auxilium praepararet. Priusquam tamen exercitus sese applicasset, Anglici totam patriam circumjacentem sub Bordegalia ceperunt et ad obedientiam Henrici regis Angliae reducerunt : quod non fecissent nisi favorabiles intraneos et praecipue traditores praenominatos repperissent. Postquam igitur Tailbot praevenisset Francos, supervenere de Anglia dominus de Camois et filius dicti Tailbot et dominus bastardus de Sombrezedt, et provisionem secum pro dicta civitate Burdegalensi attulerunt, unde propter gelu retraxere se Franci ad interiora regni. Nichilominus rex maxima praeparamenta parari fecit ut instanti vere repelleret adversarios.

Ducatus Aquitaniae denuo factus est per Tailbot obediens Anglicis, circiter per annum; sed rex Francorum non piger accessit et eripuit omnia loca vi armorum, repulsis Anglicis. — Nota bellum magnum in quo Tailbot et filius ejus una cum multis aliis Anglicis interiit, prout patet.

Annus Domini M° CCCC° LII°.

TEMPORE PRAESENTI NOCET ECCE LEO NECE GENTI.

Publice guerra gerebatur, Gandensibus ante Aldenardum exeuntibus, ut optinerent; sed capitaneus ducis Philippi, Johannes, comes d'Estampes, frater Ludovici comitis Nivernensis, in fugam eos coegit, acceptis machinis eorum; et ibi primum XLVIII faere creati milites per ipsum ducem Philippum. — Apud vero Nivellam creati fuerunt LXII milites; in tertio bello quod fiebat in Rupelmonda, Cornelius bastardus filius ejusdem ducis occubuit. In quarto bello apud Moorbeke, plures etiam defecerunt ab utraque parte. In quinto bello, quod apud Hulst fiebat, Anthonius bastardus Burgundiae, ex Gandensibus multos prostravit. In sexto bello apud Alostum, XXIII<sup>a</sup> aprilis, post Pascha, levata fuit obsidio Gandensium de Aldenardo per Johannem comitem de Nivers, nepotem ducis Burgundiae, unde circa Pontem Petrosum strages in Gandenses per Picardos perpetrabatur; et relictis machinis ac rebus omnibus, Gandenses in fugam versi caeduntur a tergo. Hic tamen comes tandem avidus lucri bona corruptela de quibusdam civibus Gandensibus ut pacem procuraret a suo germano nepote duce Burgundiae, XXX<sup>m</sup> coronarum imbursavit sibi, nec in procurando post plagam de Gavere defecit, quae sequenti accidit anno, sicut legentibus patere potest.

Francorum rex, Karolus Bonus, misit ad ducem Burgundiae pro concordia Gandensium; sed quia noluerunt petitionem ducis admittere, nuntii regis vacui reversi sunt in Franciam. Deinde Viride-Tentorium, ejus erat capitaneus bastardus Blanestreyne, Hannoniam petiit et XVI aut XVII villagia favillatenus combussit, multa spolia versus Gandavum convehens.

Hiis diebus Francorum rex capi fecit argentarium suum dominum Jacobum Cuer.

Dum haec guerra per Flandriam perpetraretur, dominus de Croy, qui comes de Porcenna, guerras prosequutus est apud Luxemborgum. Sed cum illis treugas decem mensium percussit et ad succursum ducis Burgundiae contra Gandenses descendit, unde, cum sub mediatoris vice litteras direxisset Gandavum, quidam interpretati sunt traditionem aut compositionem velle cum aliquibus agere: quapropter in furore multi decapitati sunt Gandavi.

Nota qualiter apud Basele, non longe a Rupelmonda, bellum fiebat in quo Cornelius de Burgundia per picarium quemdam interfectus fuit. Cujus frater Anthonius bastardus coepit audientium habere, unde hic apud Hulst fere III<sup>m</sup> prostravit.

Gandenses combusserunt villagium illud magnum de Engelmonstere quod pertinebat comiti d'Estampes, fratri comitis Nivernensis, et eadem vice putabant in insidiis ducis Burgundiae dominam Yzabellin capere ea via qua tendebat versus Brugas. Sed dominus Symon de Lalaing, pluribus amissis ex suis, eripuit eam.

Nota de cursibus exercitus et gentium ducis Burgundiae, qualiter in diversis locis Flandriae multa mala perpetrando vagavere, contra quos Gandensium exercitus saepe

congressum habuit. — Capitaneus de Saeflinghe, dominus Johannes de Bereheem, qui filiam domini Hectors de Voorhoute, sororem domini Adriani habebat uxorem, emisit suos de castro. Sed pene omnes captivi fuissent nisi stricta per undas via quidam praecedendo reduxisset eos. Ex stipendiariis, tamen unus praepotens Brabantinus equiti gaudensi caput abscidit; sed ab aliis insequutus, vulneribus acceptis, evasit. Post hoc, duos se salvare cupientes de colonis villagii, qui per Reighersvliet transierunt, sagittis infixis, occiderunt. Deinde domum vallantes pertinentem ecclesiae de Dunis, in Polro censuali, in qua latitabant illi de Rubeo Tentorio, cum non possent instrumentis aut igne nocere, temptabant transire fossatum et coeperunt transfodere parietem. Sed intranei cum pikis longis non sinuerunt approximari sibi, quapropter relictis eis, totum cremavere residuum. — In hac guerra notari potest magna principis stultitia, quod videlicet propriam gentem atque terram devastare curavit : quod non dico serenissimo principi meo detrahendo, sed, si vel pietatem aut magnificentiam, zelum pacis et amorem justitiae vel affectum quaesierit religionis, hiis diebus minorem invenitur Philippus iste monstrasse suis, quos debuerit sua bonitas allexisse. Nota sicut apud Neronem Claudium Sejanus, Romanus clarus, ut secundus Augustus vocaretur, administraret, unica tamen epistola principis captus, tractus unco ad Tyberim, truncatus est; et sicut Critonem suae nutricis filium, eo quod sibi ausus sit comparare laudes Philippi patris Alexandri, propria manu sua peremerit Alexander, sic apud Philippum ducem, nonnulli per adulationem sublimati, tandem cum informati esset, periire.

Ab hoc Hectore de Voorhoute filius egregius unicus mansit Adrianus miles, superstes adhuc anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXXII<sup>o</sup>, a quo Adrianus But de sacro levatus fuit lavachro.

Nota qualiter dominus de Crouwy versus Thionville, alias Thebaldi villam, in Luxemburgia perrexit, cum quantitate virorum sibi de exercitu ducis deputatorum, et guerram prosequutus est ibidem, donec sese submitterent ordinationi suae. Quo facto reversus est cum aliis ante Gandavum.

Eodem anno Veneti, rem protrahentes propter inopiam aerarii, contra Franciscum Sfortia ducem Mediolanensem, ad jussum patris sui Ferdinandum, filium Alfonsi regis, aliquid novi moliturum expectabant. — Ferdinandus autem equitum vii<sup>m</sup>, peditum iv<sup>m</sup>, in Florentinos movere coepit. Fojanum Aretini agri opidum, xl. dierum oppugnatione suscepit. Contra quem Sigismundus Malatesta Florentinorum dux exiit, nec praevaluit. Quare Florentini legatos ad Karolum regem Francorum mittunt, ut imperet duci Sabaudiae, quatenus arma in Franciscum assumat aut Renato succurrat, qui relicto filio suo Johanne, duce Calabriae, male jam animatus in Franciscum Sfortiam, redire voluit in Galliam. Frigescens igitur omnium animis et exhaustis insidiatorum aerariis, de pace jam prius per Nicholam pontificem temptata fieri coeptum est, ad quam Veneti summo studio ferebantur, similiter et Florentini. Sed pontifex, deprehensa Stephani Porcarii

fraude, Romae ad sedandum intestinum bellum animum adiecit. — Nichil tamen magis animum pontificis anxioavit quam captio Perae simul et Constantinopolis, anno Domini M° CCCC° LIII°, xxviii<sup>a</sup> maii. — Adeo repente civitas Constantinopolis a Turchis accepta est, ut vix de mittendo auxilio Nicholao pontifici licuerit cogitare. Nam dum fuit ipsi animo classe ac milite juvare Constantinopolitanos, ad quos cardinalem Ruthenum misit, quem ut captum etiam existimaret, reversum audivit ipsius, civitatis traditionem ac personae sub habitu peregrino evasionem stupendam.

Nota quod Stephanus Lavagnolus, cives romanos compevit a conjuratione contra Nicholaum papam. Nam praefatus de gente Ursina supplicium sumpsit de Stephano Porcario, milite Columpnensi, Angelo Massa cum filio ac socio Savo, lecta prius in Capitolio coram omnibus conjurationis serie.

Oppressi sunt Romae, jussu Nicholai papae, conjuratores : Franciscus cognomento Gabadeus, Petrus Monterotundus, Baptista Sarra et ceteri. Porro non facile postea permisit pontifex accessum Romanorum ad se venire.

Romae comes Aversus, Ursinos aggressus, a Spoletanis mercede conductus, contra quem pontifex Angelum cognomento Ronconem cum militibus ecclesiasticis misit, qui iter comiti praefato intereluderet quominus ad sua reverteretur; sed hominem ad pontificem redeuntem idem Angelus in arce Adriani, capitali supplicio, nocte hora tertia plexit, et ob id pontificem mirifice scribunt poenituisse quod adeo accurate praefectus urbis et arcis egisset.

Inter Johannem regem Castelliae seu Hispaniae et Alfonsum regem Arragonum et Siciliae bellum est ortum, et missus est Alfonsus Boria, Valentinus episcopus, qui a Martino cardinalis tituli sanctorum Quatuor Coronatorum, deinde papa vocatus est Calixtus III<sup>us</sup>, adhortatus ad pacem ineundam, quam post contractam septem annorum discordiam, composuit inter eos, affinitate qua melius pax intertenenda esset adhibita.

Ubique, sicut est in omni statu, sese aliis praeferre studebant homines apud imperatorem. Jaspas Slick, apud Johannam reginam in Apulia seneschallus, qui se stupris immisceuerat, cum se firniorem in regno putaret, in alium regina amore converso, percussores ad illum noctu transmisit.

### 1455.

Anno Domini M° CCCC° LIII°, xxviii<sup>a</sup> mensis maii, Magnus Turcus nobilem et fere inexpugnabilem cepit civitatem Constantinopolim.

In Anglia nascitur Henrico regi filius, Edwardus nomine, ex uxore sua, filia Reynati, regis Ciciliae.

Continuatur fortius guerra Gandensium contra Philippum, ducem et



comitem Flandriae. Qui quidem dux ab infirmitate, qua tenebatur, respirans, tres fortissimas ordinavit acies ad bellandum contra praefatam villam suam de Gandavo sibi rebellem, quarum primam cum filio suo domino de Charolois et ceteris nobilibus ipse ducebat, secundam filius ejus naturalis Anthonius cum comite Sancti-Pauli, et tertiam comes Nivernensis cum domino Johanne de Crouwy, prout narrat historia tradita super praefatis gestis. — Igitur sabbato in octavis Paschae, capitanei Gandenses Theodricus Sconebrouc et Johannes de Strymersch cum multitudine armatorum processerunt in Hannoniam et juxta Tornacum combusserunt Autrive, Ponteronne, Sanctum-Aubertum, Berchghem, Sulsike, Quaermont et alia plura villagia circa Aldenardum, et redeundo fortificaverunt castra de Gavere, de Poucke et de Schendelbeeke, quibus e locis plura quotidie dampna intulerunt gentibus ducis et garnisonno. — Denique Gandenses gravem colligentes exercitum perrexerunt vii<sup>a</sup> maii versus Alostum, et assultibus duris obsederunt. Capto propugnaculo portae cum hinc inde pluribus, levaverunt se praetimore, die Ascensionis, et Gandavum reversi sunt cum praeda mirabili.

Duodecima mensis maii, dominus Adrianus de Voorhoute, capitaneus de Saeflinghe, volens visitare villam de Hulst et circumjacentia loca, Gandensibus obviavit, cum quibus conflictu facto, pene suis omnibus amissis, inglorius apud castrum de Saeflinghe se recepit. — Huic domino sociatus erat frater meus uterinus Jacobus de But, qui fortunatissima fuga salvatus, relictis armis et equo, reversus est navicula per Ballem in Zeelandiam. Fuerunt autem captivi ducti Gandavum xxvii, qui omnes, uno dempto, decollati sunt, quorum pars de Saeflinghe et Hontenesse, ceteri de Zeelandia oriundi.

Mense junio, nationes mercatorum villae Brugensis salvum conductum impetraverunt Gandensibus ad pacem componendam cum duce qui se tenebat Insulis, multisque tractibus super hoc factis, adhuc pax infecta remansit, et partibus interim diversis in locis sibi mutuo occurrentibus, multa commisere pungitiva, saepiusque gentes ducis ad moenia villae Gandensis convenerunt. — xvi<sup>a</sup> junii, bastardus Blanstrin cum suis de Viridi-Tentorio fortiter et flammis et gladio citra Aldenardum et in Hannonia villagia multa depopulatus, cupiens regredi Gandavum, garnisonnum de Aet obvium habuit apud Upbrakele, commissoque praelio longa facta fuit strages utrinque fere iii<sup>c</sup> tam de suis quam de parte principis.

Sequenti mense, videlicet in julio, dux Philippus cum Karolo filio suo ceterisque baronibus et nobilibus, quorum nomina hęc causa brevitatis ommissa sunt, campum elegit et, aciebus dispositis et ordinatis, cum omni potentia sua versus Gandavum iter accepit, bellicis instrumentis adductis in copia, quae tempore hyemali per Flandriam vehi non possunt. Gravissimus igitur exercitus ducis se dilatavit cuncta fortalitia devastando, quibus se defendere Gandenses sperabant, et venerunt profugi cotidie de locis diversis nunciantes mala quae per ducem fiebant. Quibus attoniti Gandenses commotique plurimum novos constituere capitaneos qui de bello gerendo contra ducem et suos providere debebant. Porro nunciata fuerunt nova Gandavi, quod bastardus de Comingio cepisset castrum de Nienove: item quod castrum de Schendelbeeke fuisset obsessum per gentes ducis et captum, jugulatis centum et quinque stipendiariis reservatis ad gratiam, Willelmo de Loo, Laurentio capitaneo nieniveto et paucis aliis. — Tertia praefati mensis, nunciatum est ducem fore cum omni potentia sua ante castrum de Poucke, quod assultu bellicoso capere conabatur; sed viriliter resistebant intranei, sic quod quadam vice convenerunt ad applicandas machinas Karolus comes Caladrensis, filius ducis, et dominus Jacobus de Laleyn cum duobus aut tribus aliis. Hoc perspexit quidam de castro praefato et ictu lapidis emisso percussit letali vulnere dominum Jacobum praefatum, quo statim ad latus comitis Karoli fuit extinctus, unde plurimum formidatus retraxit se comes a periculo cum ceteris. Tandem coacti reddiderunt locum et descendentes cum capitaneo Laurentio Goethals jugulati sunt, unico reservato qui se confessus est captivum fuisse et in omnibus praebuisse servitium. Hujus autem vestimenta spirabant odorem pulveris machinarum, qua de causa requisitus est an artem exercuisset, ille fortiter negando, sic mortem evasit, cum tamen factum perpetrasset in eundem dominum Jacobum, reversusque est Gandavum. — xviii<sup>a</sup> julii fuit obsessum castrum de Gavere. Tunc Gandavi mandatum est per capitaneos ut unusquisque, sicut mori vellet, se disponderet ad defendendum tam uxores quam liberos et bona sua. Facta fuit igitur terribilis concursus omnium, auditis fragoribus machinarum quibus castrum de Gavere oppugnabatur. Dimissis igitur aquaeductibus quae vulgariter *speyen* nuncupantur, in subsidium obsessis, parum aut nichil obsidionem impedivit. — Ipsa nocte beatae Mariae Magdalenae, Arnoldus Van der Speeten, capitaneus loci prae-

fati, se quinto clam aufugit, veniensque Gandavum querelam suam fecit super praesidio vel assistentia sibi non exhibita. Sed fuerunt quidam qui dixerunt eum haec simulasse per prodicionem et miseros appellasse Gandenses, cum dux ibidem paucis numero jaceret. Quo clamore, vulgus in arma concito gressu, signo facto, se praeparat, et ad excundum illico, collectis fere cunctis civibus et ceteris necessariis tantae expeditioni, pergunt, sed inordinate, donec venirent juxta Semmersaken, ubi locum belli supra campum statuerunt. Quos ut dux inspexit, tres ordinavit acies, pergens in occursum. Similiter Jacobus Meuszone et Theodoricus Sconebrouch, capitanei de Gandavo, fecerunt, et processerunt pedetentim, donec primae gardiae quasi convenissent. Mox quidam miles, qui frater domini de Lannoys erat, praecurrens lancea, insidens equo quem non poterat refrenare, cinctus ibidem cum mangone suo, prostratus et extinctus est. Fundibulariis autem ab utraque parte fortiter agentibus, disposuit se magister magnarum machinarum de Gandavo, Matheus Van de Keerchove qui fortassis ex improviso dum ignem immitteret, saccum pulveris relinquerat juxta se, in quo scintillulae ceciderunt, et mox incendium terribile causabatur, eo vociferante secundum suum ydionia: «Fugite, fugite, fugite!» Territi retro stantes omnes aufugere coeperunt. De quo mirabantur gentes ducis de prima turma. Relictis enim pedestribus, cuncti fere equestres et capitanei villae Gandensis nondum aliquo persequente, fugerunt, et facta est strages inmanissima pedestrium se salvare cupientium, hinc inde discurrentium donec ad Scaldim fluvium pervenissent, ubi resumptis viribus, octingenti fere viri fortissime restiterunt; sed tandem sagittis et ictibus lapillorum lacerati penitus aut ferro aut submersione sunt interempti, paucissimis salvis. — Altera igitur die beatae Mariae Magdalenae, Philippus, dux Burgundiae, comes Flandriae, lugubri si verius dixerō quam salubri potitus victoria, rebellionis pristinae vindictam super Gandensibus quos subjecerat nunc suae ditioni, creditur assumpsisse. Quibus autem cladibus exoptantibus, permisit heraldos suos, et, penultima mensis julii, concordia facta est, salvis privilegiis per Philippum regem Franciae concessis, anno Domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> primo; sed vexilla deponerentur (quae deportata fuerunt ante Nostram Dominam de Bolonia in signum victoriae et ante Nostram Dominam de Halle), nec de creandis annuatim legislatoribus se intromitterent, sive de civilibus aut criminalibus in praejudicium principis sine suo scitu

vergentibus, essentque clausae portae duae, notabilem in emendam tallionibus denariorum gabellis et impositionibus ordinatis in recompensam dampnorum illatorum; venitque dux in persona propria cum omnibus suis ad portam Sancti-Livini. Quo paucio temporis intervallo residente, processionaliter exierunt fere ducenti cives aut amplius, veniam ad ipsum petituri de forefactis, quos, cunctis indultis, benigne suscepit, litteris assignatis in praesentia dominorum suorum infra nominatorum, videlicet, domini Karoli comitis Caladrensis, legitimi filii ejusdem Philippi ducis, domini Johannis de Burgundia, comitis d'Estampes, domini Adulphi, fratris ducis Clevensis, domini Johannis de Portugalia, domini Theobaldi de Luxembourg, domini Johannis de Luxembourg, bastardi Sancti-Pauli, domini de Huebbordin, domini Jacobi de Luxembourg, domini Anthonii bastardi Philippi ducis praefati, domini Theobaldi de Neuf-Casteel et de Blamont, marescalli ducatus Burgundiae, domini Petri de Charny, domini Johannis de Crouwy, domini Glaudonis de Monte-Acuto, domini Johannis de Lannoys, domini Philippi de Lannoys, domini Karoli de Rotsefort, domini Symonis de Laleyn et aliorum notabilium militum ibidem congregatorum. — Quibus peractis, recessit idem dux versus Gavere cum exercitu suo, ceteris pro libitu villam ingredientibus. Et haec de guerris inter ducem Philippum et Gandenses meo tempore gestis, unde secundum quasdam hystorias ad longum deductas clariore stilo, pateret gravissimas evenisse strages in tam paucio tempore, quae referunt ab utraque parte plus quam xvi milia periisse. Sed hystoriam reperi quamdam quae de Gandensibus id solum asserit contigisse, ubi sic habebatur: *Eodem anno Domini, scilicet M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> LIII<sup>o</sup>, Gandenses infeliciter egressi contra Philippum ducem Burgundiae, dominum ipsorum, apud castrum de Gavere plus quam xxi milia virorum amiserunt.* Sed non michi visum est verisimiliter contigisse, nisi ad hunc sensum referamus videlicet quod a principio guerrarum quae sunt exortae inter Philippum ducem Burgundiae, comitem Flandriae, etc., et Gandenses ab anno LI<sup>o</sup> usque ad annum fere LIII<sup>um</sup>, caesorum aut interfectorum numerus ab utraque parte sit existimandus ad xxvi milia hominum, prout autentica satis ejusdem Philippi ducis declarat historia, quae quidem ad lucem meo tempore nondum pervenerat. Verumptamen qualitereunque factum sit, quod pro parte vidimus, pro parte testati sumus. Et si longiora seu diuturna bella tandem plurimas consumpsere

patrias, nunquam legisse vel invenisse me fateor bellum transitorium tam durum aut impetuosum vix duorum annorum curriculo perpetrasse tot mala : demptis enim principalioribus villis Flandriae, tertia fere pars igne conflagrata est. Taceo privatas caedes et latrocinia quibus miserum vulgus quassabatur, nec se liberum ubi ubi repperit, nec indempne cum se fuga salvaret. Ubique taxatum est et suppressum, ubique sibi bella parabantur. Si quis enim divitis nomine suspectus fuisset in Zeelandia, Brabantia vel Hannonia, mox accusatus, notam ficta persolvit occasione. Sic plures degradati divitiis rediere; plures ignotas petiere provincias, qui vel ducti verecundia vel quolibet impulsu facili vivere maluerunt quam inopes apparere; plures vero, quod deterius est, parentibus inobedientes adversam sustinentes partem ut puta filius contra patrem, aut frater contra fratrem, ob inhumana perpetrata de post factam pacem banno relegati, nequaquam sunt visi comparare. Taceo proh dolor! plebis attritae regressum quae, messis tempore, non invenit quod colligeret; hinc annona solito carior et, quae communiter sequi solet, pestilentia populum gravare coepit. Sed solius Dei cooperante gratia, sicuti discordia maximae quaeque res dilabuntur, ita concordia crescunt, pace composita, coepit mox Flandria suis a ruinis relevari atque feliciter integrari. Porro qui variis inceptis generibus acta recensere vicinorum, consequenter ministrabit materiam varias per epistolas enarrandi quae gesta sunt de longinquis.

Eodem enim anno, maximus ille orator Æneas, episcopus Senensis, legatus a latere Nicholai papae Vi, in concilio Francfordiae coram pluribus reverendis patribus et illustribus viris ac principibus, pro subsidio fidei ob cladem Christianorum a Turcis illatam et praecipue ob deditionem civitatis Constantinopolitanae, sequentia verba peroravit, dicens :

« Constantinopolitana clades, reverendissimi patres, illustrissimi principes, ceterique viri genere ac doctrina praestabiles, etc. <sup>1</sup>. »

<sup>1</sup> Ce discours est imprimé dans la grande édition des Oeuvres d'Encas Sylvius, publiées à Bâle chez H. Petri (pp. 678 et suiv.).

Nota quod Belgari, Burgundiones et Helvetii dicuntur Hannonienses, Namurcenses, Leodienses, Ghelrenses et Brabantini.

LV civitates in Pruschia contra religiosos templarios ad obedientiam Casimiri regis Poloniae transierunt.

Narratio captionis Constantinopolis, quae capta fuit in maio per Tureos, anno scilicet Domini M° CCCC° LIII°, sedente Nicholao V<sup>o</sup> Romae, qua gravissimos ipse tulit siccariorum tumultus, et capto hoc tempore cum aliquot sociis Tyhurtio, Angeli Massiani filio, propter conjurationem quod ausit Pantheon occupare, inde quoque grassari in optimos quosque cives et ecclesiasticos, hinc laqueo suspenso in Capitolio. Pontifex ipse tyrannos alios ad res novas intentos e sinibus ecclesiae bello potenter expulit. Verum neminem hoc modo attingit ad quem prius legatos pro pace non miserit.

Nota de Machomete Tureorum imperatore, diebus istis, qualiter invasit Graeciam, et capta Constantinopoli, caput amputari fecit imperatori Constantino, caesis omnibus habitatoribus ejus, una cum illo seu traditoribus ipsis qui civitatem deliberare praesumpserant, quos referunt fuisse mercatores Venetorum ac Januensium.

Constantinus imperator Constantinopolis a Turchis nuper interemptus, capta Constantinopoli anno M° CCCC° LIII°.

Hoc anno M° CCCC° LIII°, per regem Franciae et parlamenti sui arresto fuit condemnatus dominus Jacobus Cuer, argentarius regis, Parisius. — Apud Ebroyensem civitatem in Normania, captus et condemnatus fuit magister Guillelmus de Edeline, doctor theologiae, convictus quod homagium fecisset dyabolo, occasione dilectionis ejusdam feminae.

Veneti denuo pacis immemores Jacobum Picenninum, suarum copiarum ducem, veriti ne persuasu Ludovici Gonzagae a Franciseo Sfortia intermitteretur, ad Voltam celerrime miserunt. Sed Symonetus ordinis Fratrum Heremitarum sancti Augustini, pluribus verbis, nunc Venetos, nunc Franciseum ad pacem adhortatus; tandem omnium consensu, quinto ydus aprilis, anno Domini M° CCCC° LIII°, publice pax annuntiat, et unicuique quae ante guerras possederat redduntur, et confirmat eam Dominicus Capranicus cardinalis Sanctae-Crucis, ipsius Nicholai papae summus camerarius, vir magnae prudentiae et auctoritatis.

Nota de guerris Flandriae per scriptorem in parte visis et experimentatis, cujus frater evasit miraculose periculum. — Cursus domini Adriani Voorboute, qui apud Hulst infeliciter obrutus, ex quadringentis hominibus vix cum septem evadit.

Laudatur hiis diebus liberalitas Nicholai papae V<sup>ti</sup> per orbem in quem litteratos misit ad vertendum gesta Graecorum in latinum splendorem, quod per vi<sup>o</sup> annos neglectum fuerat. — Nota quod Poggius repperit Quintilianum et Enoch Asculanus Marcum Coelium Apicium et Pomponium Porphirionem, scriptorem egregium in notari opera.

Mors Jacobi de Lalaing capitanei terribilis et armigeri praepotentis, qui ab ineunte

aetate tractavit arma in curia principis : « Virtutes felicitatis vitae sunt effectrices, quae a » principum domiciliis sunt exclusae; si quandoque casu aut errore limen ingrediuntur, » e vestigio coguntur fugere perterritae sinistris moribus, ait Pius papa II<sup>us</sup>. Nullus est » viris bonis apud principes locus; nulla emolumenta laborum; sed, ut Juvenalis ait, » minor est hodie res quam fuit heri; haec eadem eras detrahet exiguis aliquid; omnes » qui principum curias frequentant, aut latera stipant, quaerunt vel honores aut famam » seculi, aut potentiam, aut divitias, aut voluptates, de quibus omnes fraudantur sese. » Dociles enim imitandis turpibus ac pravis omnes sumus : sensus et cogitatio humani » cordis ad malum prona sunt ab adolescentia. »

Pugna fuit xxii<sup>a</sup> julii, die Apollinaris, et xxix<sup>a</sup> ejusdem mensis pax est publicata. — Deportata fuerunt vexilla Gandensium ante Nostram Dominam de Bologna, in signum victoriae, et ante Nostram Dominam de Hale.

Nota de pace Flandriae, qualiter uti gallice scriptas litteras vidi, sub data paenultima julii, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LIII<sup>o</sup> componebatur; et multi sunt articuli pacis hujus in praepjudicium villae Gandensis, cum emenda pecuniaria oblata per eos de ii<sup>o</sup> equitum conditionalis erat si cetera membra Flandriae non cum ipsis Gandensibus accorderent in articulis praesentatis, quod tunc iii<sup>o</sup> equitum aureorum solverent et i<sup>o</sup> equitum aureorum pro reparatione combustarum ecclesiarum signanter in Rupelmonda et alibi.

Post casum Gandensium, Philippus dux Burgundiae magnifice confraternitatem Aurei Velleris renovavit apud Bruxellas, ubi missi sunt ei strutiones duo per Fredericum III<sup>um</sup>, qui nuper filiam Edwardi, regis Portugaliae, desponsaverat. Ille enim rex et Yzabel, consors thoralis ejus ducis, filii fuere Johannis regis Portugaliae.

Postquam Philippus dux Burgundiae pacem composuisset cum Gandensibus, filium unicum Karolum comitem Chadrolotanium conjunxit cum filia sororis suae Agnetis, ducissae Borbonii, Yzabele, de qua genuit idem comes unicam filiam, Mariam nomine. Nobilis ipse dux dolens amissam Constantinopolim, apud Insulas cum nobilibus votum fecit quod pergeret debellare Turchos, sed non adimplevit. Nichilominus iter versus Almania cepit ad Fredericum imperatorem ut ex condicto secum posset per patriam suam exercitum ducere, unde spes magna de cruciata fidelibus incussa remansit, quae non ad effectum aliquem pervenit propter continuas dissentiones et maxime quia Ludovicus dolphinus tanquam profugus a curia paterna declinando, sub alis duci confugere voluit, ut patebit in sequentibus. — Fiebant ubique graves expeditiones et praeparamenta, sed inefficaciter remanserunt.

Nota de articulis per Gandenses oblatis, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LIII<sup>o</sup>, penultima julii, prope Gandavum, duce Burgundiae Philippo cum omnibus in campo se tenente; ut patet in quodam volumine per me scripto de comitibus Flandriae. Sed littera ducis quae pacem videtur concludere, sic in latinum versa de gallico sonat : « Notum facimus, etc.,

» quod consideratis oblationibus et principaliter ob honorem Dei, Creatoris nostri,  
 » pietatem et compassionem villae nostrae de Gandavo et inhabitantium ejus, de scitu  
 » nostro, consensu atque plena auctoritate nostra, omnibus qui servierunt in armis et in  
 » guerris tenuerunt cum capitaneis, consiliariis et aliis ejusevunque conditionis ejusdem  
 » villae, per praesentes indulgemus, remittimus atque imperpetuum quitamus et abo-  
 » lemus, necnon pardonavimus imperpetuum futuris diebus omnia delicta, maleficia et  
 » offensas seu rebelliones, tempore divisionis guerrarum perpetrata contra nos, patriam  
 » nostram et subjectos nostros, quocunque modo commissa sint, sic quod hujuscemodi  
 » occasione aliquid imposterum super criminali prosecutione valeat inde civiliter fieri  
 » vel mandari, sed ad finem ut bona et firma pax in tota nostra patria Flandriae ma-  
 » neat et ne oriatur imposterum inter aliquos hujusmodi occasione aliquis processus aut  
 » differentia, nos de certa scientia, auctoritate et plena potestate ordinavimus et ordi-  
 » namus quod quilibet tam ab una parte quam altera subditorum nostrorum neminem  
 » super hiis conveniat in lite, sed pleno jure revertatur ad propriam mansionem, red-  
 » ditus, census, hereditates et ad feoda sua et cetera immobilia bona quibus gaudeat eo  
 » statu quo reperta fuerint de praesenti, cum onere sicut ante guerras exstiterant absque  
 » eo quod alio modo apprehendere praesumat; et si mobilia reperiantur in eisdem  
 » domibus quae ante guerras erant, accipiantur, et quantum ad alia mobilia sicut arrera-  
 » gia, decreta, locationes, fructus terrarum aut reddituum usque ad datam praesentis lit-  
 » terae, volumus quod nulla fiat causa tam ab una parte quam alia, quaeque recompensa  
 » seu processus repetendi aut querela ulla; et hoc pariformiter placet nobis esse factum  
 » de fructibus beneficiorum levandis prout ante guerras levabantur, quod nullus pro-  
 » cessus aut querela super hiis a partibus utriusque habeatur. Et ultra adhuc de certa  
 » nostra scientia et auctoritate ordinamus et volumus praesentium tenore quod edicta,  
 » bannitiones aut statuta facta tempore guerrae in villa nostra Gandavo, durante rebel-  
 » lione contra nos, per illud tempus nullum sortiatur effectum, sed ut penitus annul-  
 » latis revocamus et annihilamus; et ut haec omnia firma et rata perpetuis sint man-  
 » sura temporibus, praesentibus sigillum nostrum duximus apponendum, anno Do-  
 » mini M° CCCC° LIII°, penultima julii. — *Signé pour Monseigneur le duc, JOHANNES*  
 » DE MABEUGE. »

1454.

Anno Domini M° CCCC° LIV°, defunctus est Johannes rex Hispaniae, de quo Franci plurima sperabant beneficia, quia confoederatus erat Francorum regi contra Anglicos.

Karolus, comes Caladrensis, legitimus unicus filius Philippi ducis Bur-



gundiae, contraxit secundo matrimonium cum Yzabele, Agnetis, amitae suae, ducissae Borboniae, filia, genuitque solam filiam ex ea Mariam.

Dux Richardus Eboracensis in Anglia penes Henricum regem Angliae regimine coronae praevaluit, quam ob rem nobiles contra se concitavit; sed tandem consilio capiebantur suo duces de Zommerzed et Clocester, tanquam principales adversarii ejus, quorum alter apud Londoniam, alter apud castrum de Pontfortis per tempus mancipati sunt custodiae.

Post hoc rege nobiles suos convocante, viso quod praefati duces captivi, necnon etiam dux de Iorch, proximiores erant de sanguine regio, de concordia tractatum est et pax inter eos confirmata; nichilominus dux d'Iorch, minus de conclusione facta contentus, recessit a curia regis versus partes suas. Rex autem graviter indignatus, ducem de Zommerzed in regimine praefecit et exaltavit illum honorifice; paulatim igitur invidia stimulante, post hanc deliberationem nobiles divisi sunt in regno, magnaque coepit inter vulgares exoriri commotio.

Papa Nicholas V<sup>us</sup> maxima belli praeparamenta contra Turchos ordinaverat, sed morte sua, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LV<sup>o</sup>, christiani principes confusi retraxerunt se. Successit autem huic pontifici Calixtus tertius pridem vocatus Alfonsus Borja.

Rex Francorum Karolus comiti de Clermont atque domino de Xaintrilles commisit regimen civitatis Burdegaliae, deditque onus ut ab utroque latere civitatis extruerent duas fortissimas bastilias ad servandam eam contra Anglicos, et ad tenendum populum sibi subjectum.

Pictavis, capite plexus est dominus de Lesparre.

Aeneas qui postea Pius II<sup>us</sup> dictus est, ab imperatore Ratisponam missus, sic peroravit in congregatione illa, ut praesente Philippo duce Burgundiae et Ludovico duce Bavariae, principes ceteros provocaret contra Turchos. Quod in Francordia tertio in civitate nova peroravit, principibus animatis ut irent; sed morte pontificis Nicholai turbata sunt omnia, scilicet anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LV<sup>o</sup>.

Successit Johanni regi Hispaniae, Henricus sextus vel VII<sup>us</sup>, xxiii<sup>is</sup> annis. Sed contra cum dux Beneventanus et episcopus Tholetanus et Galathiae, cum nobilibus regni coeperunt motionem facere, unde et sororem regis detinere praesumpserunt, ad matri-

monialiter copulandam principi Navarrae, filio Johannis regis Arragoniae, de qua rex guerras in eosdem movit.

Anno M° CCCC° LIV°, foedus Neapolitanum firmatur, quo nullum majus, memoria patrum, habitum sit inter Ecclesiam et Alphonsum regem Arragoniae ac Neapolis, hoc dato quod Alfonsus de gente Cathalonica tributum penderet.

Ratisponensis convocatio facta est ad quam Philippus, dux Burgundiae, perrexit, anno hoc.

Hoc eodem anno Fredericus III<sup>us</sup> imperator apud Ratisponam, principes catholicos ex diversis convocavit provinciis super facto conflictus praeparandi contra Turchos; sed res ad effectum non perducitur, Hungaris certantibus pro corona, Bohemis conflictantibus cum Saxonibus et Polonis.

Philippus Bonus, dux Burgundiae, plurimum anhelans ad detestandos Turchos debellandos, galeas et navigia, quasi tensurus in hostes, praeparari fecit, et ad remigandum omnes repertos otiosos quolibet in loco jussit adduci. Nam post guerras Flandriae, malitiosi truandi populum gravabatur et otiositati vacantes praedas agitare coeperant, nil de poena mortis per gladios inferenda dubitantes; et ideo Bruxellenses, apud quos dux Philippus moram ut in pluribus traxerat, torturam invenerunt ut per cathenam asserentur ad palum de longe, quod multos avertit. Haec facta sunt postquam ex Almania reversus esset praefatus dux Philippus.

#### 1455.

Anno Domini M° CCCC° LV°, Henricus rex Angliae, suggestione ducis de Zommerzedt, totius regni sui nobiles tam duces quam barones mandavit ad celebrandum concilium atque parlamentum cum illis, et significavit illis qualiter simpliciter non statu magno vel armata venirent manu. Convenientibus autem pluribus apud Londoniam, nunciatus est adventus ducis de Iorch, fere cum mille armatis, fuitque rei verisimilis quod praefatus dux cum mille viris armorum praecessit, sed sequebantur eum adhuc quinque millia pugnatorum. Attonitus rex et plurimum stupefactus, consilio ducis de Zommerzedt, omnes nobiles qui Londoniae fuerant, in arma vocavit et ut obviam secum pergere vellent adhortatus est. Factum est igitur ut partes adversae congressum haberent in quodam campo plano. Cessit victoria duci d'Yorch, et ibi dux de Zommerzedt interfectus est; similiter comes de Northumbeland, cum pluribus aliis magnis principibus et baronibus, captusque fuit rex et cum eo nobiles multi. Dux igitur

d'Yorch Londoniam ingressus est et breviter totius regni gubernacula resumpsit, regemque servavit, qui telo percussus in dextro oculo suo dolorem exinde suscepit incurabilem.

Francorum rex misit comitem de Clermont, dominum de Loheac et plures alios armigeros cum illis versus comitatum d'Armingnac; necnon comitem Dampmartini, ballivum d'Evreux, cum comitiva fortium virorum in patriam de Rouergue, contra comitem Armigniaci, eo quod regi noluerat obedire, sed ultra mandatum regis, quemdam cognomento Lescom <sup>1</sup> idem comes praefecerat et ordinaverat archiepiscopum d'Aux, non obstantibus bullis papalibus, pro quodam alio de requesta regis impetratis occasione vacantis sedis. Vi tamen armorum rex optinuit partem quaesitam et comitem reppulit captis cunctis locis et fortalitiis sui principatus, fugitque comes amissis bonis versus regna Navarrae et Arragoniae. Gentes vero regis Francorum reversae sunt ad propria, positis et relictis capitaneis undique pro tutela.

Philippus dux Burgundiae, contra voluntatem quorundam nobilium territorii Trajectensis, David filium suum naturalem ordinavit episcopum, domino Adulpho defuncto, qui sedem illam annis pluribus rexerat; unde vulgares quemdam nobilem dictum dominum de Breeroy <sup>2</sup> vocaverunt et contra ducem bella gerere temptaverunt. Qui dux illico cunctis vocatis nobilibus suis, copioso cum exercitu, petiit Hollandiam, et obsedit civitatem Trajectensem quam cepit in deditionem, pacifice mediantibus quibusdam civibus; qua capta, principales ejusdem territorii nequaquam consentire voluerunt ut David praefatus, nuper episcopus Morinensis, eorum dominus efficeretur. Perrexit igitur dux in obsidionem villae Davenportiae, quam etiam viribus suis impugnando, quibusdam amissis, per deditionem accepit. Hiis peractis, admiserunt, metu pejoris eventus inducti, et factus est episcopus Trajectensium praefatus dominus David, filius ejusdem ducis; porro dominus de Breeroy factus est praepositus ecclesiae Sancti-Donatiani Brugis.

Eodem tempore tractatum est de resignatione episcopatus Leodiensis, et tantum egit idem dux Philippus ut Ludovicus, filius sororis suae, ducissae Borboniae, per dominum Johannem de Heynsberghe in episcopum Leo-

<sup>1</sup> Jean de Lescun, bâtard d'Armagnac.

<sup>2</sup> Ghisbert de Brederode.

diensem institueretur, de quo Leodienses valde commovefacti sunt, verumtamen illum acceptarunt licet inviti, et cessit dignitati praefatus dominus Johannes de Heynsberghe.

Bellum magnum actum est in Hungaria cum Turcis, juxta Thaurinum quod alii Belgrad vocant, prout epistola Pii papae declarabit in sequentibus, ubi devictus fuit Turcorum imperator cum LXXX<sup>m</sup> hominum.

Anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LV<sup>o</sup>, octavo anno regiminis sui, Nicholaus V<sup>us</sup> obiit, de cujus gestis Bartholomaeus Platina scribit: ejus hoc legitur epytaphium in basilica Petri, supra tumulum ejus:

HIC SITA SUNT QUINTI NICHOLAI ANTISTITIS OSSA,  
 AUREA QUI DEDERAT SECUA, ROMA, TIBI.  
 CONSILIO ILLUSTRIS, VIRTUTE ILLUSTRIOR OMNI,  
 EXCOLUIT DOCTOS DOCTOR IPSE VIROS.  
 ABSTULIT ERROREM QUO SCISMA INFECEBAT ORBEM.  
 RESTITUIT MORES, MOENIA, TEMPLA, DOMOS.  
 TUM BERNARDINO STATUIT SUA SACRA SENENSI,  
 SANCTA JUBILAEI TEMPORA DUM CELEBRAT.  
 CINCIT HONORE CAPUT FREDERICI AC CONJUGIS AUREO.  
 RES YTALAS ARCTO FOEDERE COMPOSUIT.  
 ATTICA ROMANAE COMPLURA VOLUMINA LINGVAE  
 PRODIDIT: EN TUMULO FUNDITE THURA SACRO.

Rex Francorum misit in Burdegaliam multos armigeros ad tenendam illam civitatem in subjectione. Sed ipse contra comitem Arnigniaci direxit etiam armatam et accessit in propria.

Hoc anno, defunctus est episcopus Trajectensis et canonici propositum eorum elegerunt, dominum Gyslebertum de Breerooda. Sed Calixtus papa dederat David, naturali filio ducis Burgundiae, dignitatem illam, unde guerra sequebatur, et dux exercitum illic secum accepit, vi filium introducens.

Hoc anno maximus numerus puerorum de Almania descendens, quo spiritu nesciebatur agitatus, visitandi gratia Sanctum Michaellem in monte Gargano perrexit, qui mons nunquam ab Anglicis potuit optineri, licet tota Normania subjugata eisdem fuerat.

Hoc eodem anno, Henricus de Seclinio, medicus, Gandavi floruit, qui totum tempus

vitae, exuta infantia, oratione ac librorum editione contrivit, gesta sanctorum metricè descripsit, inter cetera sanctae Barbarae et Guillelmi comitis, semel in die, videlicet inter quartam et quintam, diurna et unica refectione contentus.

Apud Nolam Campaniae, rex Ceciliae Renatus cum filio suo Johanne, duce Calabriae, congregato exercitu, conatus est invadere villas quas amiserat in regno Neapolitano et Ceciliae. Sed Alfonsus rex contra eundem direxit gravem exercitum, et Ferdinandus hic debellavit Francos et omnes expulit, atque fautores ejusdem Renati captivos factos in vincula coniecit, cepitque filiam ducis de Cesset aut Tbarentini uxorem, et tandem cum ea Ferdinandus rex est effectus.

Sexto idus aprilis anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LV<sup>o</sup>, creatus est pontifex Calixtus III<sup>us</sup>, ex dyocesi Valentina et patria Sativensi, qui prius quam pontifex esset, vovit se profecturum in Turehos. Hic prius Alfonsus Borja vocabatur, Hispanus natione, sub Johanne rege Castelliae dudum episcopus Valentinus et rector ecclesiae Majorensis, sed unica tandem sponsa contentus est.— Dum Calixtus coronaretur, duo milites, quorum unus de Averso, alter de Neapolio, Ursinus, mutuis se vulneribus confecerunt, et mox tota Columpnensium factio, comiti Averso adhaerens, perturbavit omnia, fuitque obsessa Palumbara.

Calixtus papa III<sup>us</sup> octogenarius fere fuit dum praesideret, qui consuevit aut semper legere vel audire legi, non nisi dignis committere beneficia: quapropter contra Alfonsum regem Ceciliae sese exercuit.

Machometus Turehorum imperator ex Constantinopoli resumtis viribus, Trapezuntium subjugavit et regem Bosnae propriis manibus jugulavit. Tunc Persarum princeps Usueassanus in Turehis gloriosa est potitus victoria, quam precibus asscripsit et meritis Calixti papae, quem sciebat prae dolore frequentius infirmari, audita strage christianorum.

In regno Neapolitano maximus terrae motus factus est ut XL<sup>m</sup> hominum inde perirent, et in Euboya Calehis florentissima civitas, a Turehis est occupata, et Venetorum classis a superbo Turehorum imperatore fugata exstitit, et in Cypro classis locata multas intulit ipsis Venetianis vexationes, et a pristinis suis mercantiarum negotiis impedierunt, quin etiam insulas ipsis subjectas substraxerunt et in omni genere navium mare servabant, quas etiam, si opus erat, per terras duei fecerunt ad debellanda fortalitia conelusa paludibus aut rivulis inter montana convallium.

Sigismundus, Austriae dux, frater Frederici III<sup>i</sup>, Almanorum imperatoris, Johannem Cusa, cardinalem, capi et incarcerationi fecit, et ideo excommunicatus fuit.

Hoc anno, frater Johannes de Capestrano, decretorum doctor et copiosa karitatis vitaeque sanctimonia nec non miraculorum gloria fulgens, in reformatione fratrum ordinis Sancti-Francisci clarus habetur. Hic ad bellum quod Hungari contra Turcos gesserunt ante Adrianopolim cum cruce signatis pergens, parva victoria, migravit ad proprium et inter sanctos relatus est atque a Pio papa canonisatus.

Obiit dilectus beati Bernardini, ordinis fratrum Sancti-Francisci, frater Johannes de Capestrano, episcopus, habita victoria super Turchos, quia miraculose praefatus Johannes, nemine persequente, fugavit Turchos, die sancti Sixti, ex quibus, dum, plurimis interfectis a fidelibus, aliqui de ipsis viventes servarentur, dixerunt immensum exercitum eos insequutum fuisse, sed angelorum numerus aestimandus est qui se transfiguraverunt. Unde et altera Sixti per universas ecclesias orbis Transfigurationis festum fuit a papa Callixto tertio institutum.

Hiis temporibus, Calixtus III<sup>m</sup> praedicatores misit in omnem provinciam ad provocandum principes contra Turchos. Ipse vero XVI triremes sub patriarcha Aquileyensi tribus annis impensa sua tenuit, et sic vexavit Azianos ac Turchis non modicas intulit miserias, sed in propria se contra eos profecturum asserebat, unde supplicationes et sonum campanae instituit ut orationibus juvarent dimicantes contra Turchos.

Johannes de Heynexberghe, Leodiensis episcopus, de successore procuravit motionem Leodiensium adversum se. Quapropter morte praevento, Ludovicus, filius dominae Agnetis, ducissae Borbonii, sororis Philippi ducis, praepositus est, quem noluit collegium Sancti-Lamberti admittere, litteris summi pontificis non obstantibus. Unde dux Philippus ad cives scribens, hortabatur eosdem ut in pace suscipere vellent nepotem suum in episcopum; et in opprobria rescripserunt quod major pars male contentabatur. Nichilominus capitulares eum tandem receperunt et postea objecerunt, quare dux guerram eis movit.

Post annum Domini M<sup>m</sup> CCCC<sup>m</sup> LV<sup>m</sup>, perdita fuit omnis Graecia.

#### 1456.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LVI<sup>o</sup>, dux Alenconiae Parisius captus fuit de mandato regis Francorum, et hoc per comitem de Dunnoys et dominum Guillelmum de Monpeny, de regno Scotiae, ac per dominum Guillelmum Cousinot, ballivum civitatis Rhotomagensis, ductusque fuit captivus ad regem versus Alverniam, ubi coram rege diversis articulis accusatus fuit, praecipue quod ingressum Anglicis promisisset, propter quod capitis truncationi de quorundam sententia et opinione fuerat adjudicatus, sed nobilibus pro eo interpellantibus detentus fuit in captivitate firma.

Dux Zaboudiae cum domina sua venit coram rege, dimissique sunt infantes ejusdem ducis, quos rex servaverat obsides per tractatum pacis firmatum dudum inter eos, contractaque fuerunt matrimonia inter filiam regis et filium seniorems ipsius ducis praefati, comitem de Pyemondt. Eisdem die-

bus ambasiatores novi regis Hispaniae venerunt confirmare pristinam alliantiam cum rege Francorum, et gratiose suscepti, muneribus ac donis praeventi, remearunt ad propria.

Sanctus Vincentius, ordinis Fratrum Praedicatorum, hoc anno fuit canonicatus Redonis in Britannia per cardinalem de Avinione. Mense septembri, certis causis ad hoc agendum impellentibus, dominus delphinus, senior filius regis Francorum, Ludovicus nomine, curiam Francorum et regnum deserens, venit cum parvo statu per Burgundiam ad ducem Philippum in Lovanio, quem benigne suscepit idem dux, atque, ut vidi, per omnia sicut decuit, honorem et reverentiam impendit, cujus statum valde ampliavit. Referunt quidam hoc fecisse consilio dominorum de Montaben et Johannis Lescun bastardi Armingnaci. Domina vero delphina, filia ducis Zaboudiae, gravida venit ad illum et peperit juxta Bruxellam filium qui paucis supervixit diebus.

Eodem anno, mense novembri, Francorum rex Viennae tres status patriae delphinatus convocavit, ubi ventilatae sunt causae recessus ejusdem delphini, cujus occasione dux Burgundiae suos misit ambasiatores ad respondendum articulis contra praefatum delphinum in absentia sua depositis. Tandem rex ambasiatores suos super eodem facto misit qui repulsam ejus declaraverunt, et res infecta remansit.

Eodem anno, christiani principes levaverunt obsidionem civitatis de Hausebouch in Hungaria, non sine dampno partis utriusque. Cardinalis autem de Avinione petiit a rege Franciae decimam concedi sibi per universum regnum ejus, qua mediante posset proficisci contra Turchos in subsidium ceterorum christianorum, qui continuis vexabantur guerris, et quarto mensis decembris ejusdem anni obiit Karolus dux Bourboniae in castro suo de Molinis. Hic princeps alti cordis et nobilis operibus bonis plures filios et filias reliquit ex uxore sua, sorore Philippi ducis Burgundiae, qui sollicitus fuit semper in promotionibus eorundem, quorum etiam occasione nonnullas sustinuit importunitates bellorum. — Eodem anno, princeps Navarrae ducatum de Nemours petiit a rege Franciae. Venerunt etiam ambasiatores ducis Britanniae, sed quid reportarunt non publicabatur.

---

Anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LVI<sup>o</sup>, maximum bellum accidit inter Hungaros (quorum dux erat Johannes Vayvoida, comes Albae seu Belgradi) et Turehos, in quo paucissimi in comparatione christianorum sub Albo comite coegerunt in fugam multa milia Turehorum, occisis fere et submissis vi<sup>m</sup> ex ipsis, per divinam gratiam, et captis clx bombardis. — Peracto triumpho, captis clx bombardis, vi<sup>m</sup> Turehorum fugatis ab vi<sup>o</sup> Ungaris, dux eorum Johannes Vajovoda prae laetitia defecit et mortuus est.

Post quod bellum ex infirmitate comes, tremulantibus membris omnibus, prae gaudio victoriae, Christo animam optulit, et Mathias filius ejus, regnum Hungariae tunc pervasit.

Francorum rex patriam Delphinatiae, assignatam filio suo delphino, reassumpsit. Quapropter dux Philippus rescripsit et misit ad regem, pro honesta provisione status delphini filii sui, cui rex respondit non opus esse petere pro delphino, quia si bonus filius patri adhaesisset, vel adhuc reverti vellet ad patrem, nullam indigentiam pateretur, et sic ad opprobria ruebat, et Domino non placere quod detineretur delphinus in curia Burgundiae. Tandem processus formatus est, sic quod rex conquestus est de duce et dux de rege.

Hoc eodem anno, Lovanii studia frequentabat Adrianus de Saeflinghe cognomine But et ad parentes declinavit, qui commorabantur in Hulst, ubi novum monasterium nudipedum fratrum ordinis Sancti-Francisci coepit aedificare comes Johannes de Heurne, qui serviebat nuper in armis duci Philippo; sed compunctus natus omnia relinquere post se, sumens habitum vilem in fervore devotionis, in quo statuit famulari Altissimo apud novellam plantationem nuper a beato Bernardino relictam fratribus de reformatione ordinis Sancti-Francisci, ejus professionis forma, sanetitate plurimum honesta, castitate pudica et maturitate praecipua videbatur ac salvandis animabus ydonea tribus aptissimis instrumentis, videlicet obedientia, castitatis puritate et voluntaria paupertate, ad quarum virtutum conversionem plerique se convertentes, ad observantiam profitentur et vovent usque ad mortem. Etsi nequaquam hujuscemodi conversionis gravitatem attendere potueram diebus illis, ego praefatus Adrianus, delicatus juvenis, necdum pubertatis annos praetergressus, tamen suasionibus a devota multum pulsabar affine nepte mea, filia Petri Buts, ad habitum ordinis hujus assumendum; sed cum in monasterio Dunis haberem percaros videlicet consanguineos, Dompnum Johannem Crabbe, mox electum in abbatem, et fratrem quemdam Walterum, Henrici Deynoot de Saeflinghe coactancum, tractus partim affinitatis gratia et amore, partim favore quo sperandum erat in homine, si fas esset, Dunis, ubi temporalia suppetebant habunde, moram elegi, ubi non statim haec emisi salutaria conversationis humanae vota, sed compulsus differre conversionem ob molestias electo factas, hinc Parisius me parentes ad studia remiserunt, et post biennii tempus evocatus descendendi, mox ad vocem paratus obedire pacifico praefato, qui, una cum eximio professore sacrae theologiae, magistro



Ægidio de Roya, oriundo quondam abbate monasterii Regalis-Montis, in regno Franciæ, meam suis in manibus suscepit professionem, anno Domini M° CCCC° LX<sup>mo</sup>. Perduravit autem mecum dietus magister annis xviii in professione, post quod æternæ vitæ præmio laureatus ascendit in coelum, super terram relictis suspirantibus.

Temporibus hujus Calixti III<sup>ii</sup> pontificis, imperator etiam Trapezuntinus primo, deinde rex Bosnae, peremptus est; qui cladem christianorum miseratus, dum meditatur occurrere, sibi et Ecclesiae hostis excitatur Jacobus Picenninus qui, relictis Venetis, in agrum Senensem descendit, dicens Senenses debere sibi stipendia patri suo Nicholao non soluta. Pontifex igitur milites cogitur in defensionem Ecclesiae suae mittere ut hostes inde propellantur.

Edmundus, episcopus Salesberiensis, vir sublimium meritorum, prima die januarii Romae a Calixto papa III, canonizatur, et eodem tempore propter victoriam Turcorum, per totam Hungariam instituitur festum Transfigurationis sub eisdem indulgentiis quibus festum Sacramenti celebratur.

Romae Calixtus papa III<sup>us</sup>, ex altercatione Ursinorum et Columpnensium, multa patitur incommoda. — Hoc anno, ydibus decembris, apud Neapolim, Capuam, Galetam, Aversam et cetera loca admiratione maxima fuit terræ motus; et repetitum votum Alfonsus rex contra Turcos, cum Philippo duce Burgundiae, quod non persolvit. — Callixtus papa, sedatis Ytaliae rebus, creavit ix cardinales, quorum duo fuerunt nepotes ejus ex sororibus suis, Theodoricus et Johannes cognomine Milano. — Callixtus papa III<sup>us</sup>, Mathiam Vaiovide, Johannis filium, in regem Ungarorum et Bohemorum creavit, quem Pius II<sup>us</sup> confirmavit ob egregia gesta sua; sed contra eum Fredericus III<sup>us</sup> imperator, tamquam proximior heres, occupare conatus est Bohemiam et partem Ungariae. Sic bellum inter eos protractum est.

Eodem anno xii<sup>o</sup> februarii, nata fuit filia Karolo, comiti de Charolois, nomine Maria, quam delphinus levavit de sacro fonte, dans ei hereditarie dominium Burgundiae si ad regnum veniret. Et per reversa nuntiorum ducis Burgundiae venit derisorie; sic et lata coepit invidia crescere, sicque querelae ducis in faciem regis expositae fuerunt, qualiter impatienter rex audire vix voluit, eum tamen esset de sanguine regali etiam.

Ludovicus de Borbonia factus episcopus Leodiensis per avunculum suum Philippum ducem Burgundiae, etc., anno Domini M° CCCC° LVI<sup>o</sup>, rexitque fere xxvi annis, et per insidias illi factas occisus est, anno Domini M° CCCC° LXXXII : cui successit Johannes, filius comitis de Heurne, apud Hulst, in observantia Minoristarum degentis, sed habuit competitores, filium primo Willelmi de Arenbergo et Anthonium de Crouy; ipse tamen confirmatus erat.

1457.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LVII<sup>o</sup>, ambassiatores regis Hungariae ac Bohemiae venerunt ad petendam dominam Magdalenam, filiam regis Franciae, in matrimonium praefati regis Hungariae et Bohemiae, quorum ambassiatorum nomina subsequuntur : videlicet archiepiscopus de Tolenta, episcopus de Passot, comes Lancellotus, magnus iudex Hungariae, dominus de Steuenberghe et mareschallus regni Bohemiae cum comitiva pulcherrima septingentorum fere equitum et peditum, quos magnifice rex suscepit et petitioni satisfacit honorifice, praesente Karolo filio suo secundo genito et comite de Foois, de la Maine, de Lamarche, de Dunoyis et de Vendosme cum pluribus aliis tam ecclesiasticis quam regni proceribus et baronibus. Porro dux Aurelianensis, dux Britanniae, Arturus, comes Sancti-Pauli pluresque nobiles alii supervenere putantes interesse tantae celebrationi. Cum jam praefati ambassiatores vix duorum iter dierum peregissent, tristitia illis nova certificabatur de praefati regis Hungariae sponsi immatura morte, reversi igitur nuntiaverunt delata nova. Quibus auditis mox Francorum rex Turonis agens, solempnes exequias magnifice fecit celebrari, recedentibus ambassiatoribus et nobilibus regni cum mira cordium maestitia. Per totam fere Franciam bladorum caristia fuit, quam sequebatur pestilentialis mortalitas.

Eodem anno, mense videlicet augusto, transfretati sunt ex Normannia de Hondfleur, dominus Petrus de Brezé, dominus de la Varenne et comes de Maulevrier, cum Roberto Floequet, ballivo d'Evreux, Theobaldo de Termes, ballivo Carnotense, domino Guillelmo Cousinot, ballivo Rothomagensis, Jacobo de Clermont, ballivo de Caen, Johanne Brezé, ballivo de Gisors, domino Johanne de la Heuze, Johanne Carbonel, Raulone de Bavrilly, David Bouchard qui locum tenuit comitis de Eu et ceteris armigeris usque ad numerum m<sup>m</sup> pugnatorum, qui omnes post varias tempestates maris applicuerunt juxta Sandvic in Anglia. Tribus quoque dispositis aciebus, profecti sunt versus villam de Sandwic quam obsederunt, pluribus datis insultibus et escharmutiis contra Anglicos, quorum numerus semper crescebat et augmentabatur, sic quod Franci coeperunt timere de periculo suorum omnium ; nam Anglici fortificati, portas excundo congressi sunt cum

Francis fere spatio decem horarum. Pluribus utrinque vulneratis et caesis, cessit victoria Francis qui villam praefatam intrantes ceperunt plures captivos, et spolia navibus injecta sequenti luce reduxerunt per mare citra Sandwyc ad duo miliaria supra radam, et inde transfretati venerunt usque Hondesflueur, ubi partitionem captivorum et spoliorum mutuo distribuerunt. Dux d'Yorch, Riquardus, ab amicis ducis de Zommerzedt etiam fuerat passus insidias, quare coronam petens, Londoniae constituitur rex totius Angliae, repulso Henrico rege ac detruso in turri juxta Londoniam, cum defama formidolosa et opprobriis multis, prout specialis ad longum narrat historia. Qui, quantumcumque turpibus afficeretur, contumeliosis verbis, humiliter respondit et patientiam tenuit. Nam ipsum appellabant fatuum sive cuculum, dicentes suae uxoris et reginae filium non esse suum. Regina igitur cum Edouardo parvulo vix annorum quatuor fugit a facie novi regis, versus plagam aquilonarem a qua pluries regi bella inferebat sed non praevaluit et ita cessit coronae, cum filio suo se recipiens solo natali juxta Reynerum regem Ceciliae, ducem Barensensem et Loreynensem, patrem suum. Unde comes Warweciae partem ducis de Iorch tenens ipso die Palmarum contra Henricum veniens, fere LXXX milia prostravit. Porro rex Angliae putativus Riquardus juvenes filios suos evocavit in regnum, quos Philippus dux Burgundiae susceperat guerrarum tempore, quorum alter effectus est dux Clarentiae, et alter dux Clocester, cepitque senior Edwardus uxorem, filiam domini de Rivieres, simplicis militis, qui quidem miles sororem comitis Sancti-Pauli duxerat uxorem ex qua filios et filias quamplures generavit.

Octava die novembris ejusdem anni, dompnus Everardus de Campo, xxvi<sup>m</sup> abbas de Dunis obiit. Cui successit de gremio conventus dompnus Johannes Crabbe de Hulst, cellerarius ejusdem ecclesiae de Dunis, vir admodum sagax et acer, ingenio prudens, hilaris, facundus et in naturalibus ceteris commendabilior gracilique statura sed magnificus. Hic, priusquam pacificus esset, multa perpressus est, Elisabeth ducissa Burgundiae prosequente fortiter tam apud virum suum Philippum ducem quam apud curiam romanam ut traderetur monasterium praefatum in manibus Jacobi cardinalis Ulixbonensis, filii fratris ejusdem ducissae de Portugalia, unde quosdam de suis direxit ad monasterium qui de mandato ducis electionem factam cassare conati sunt, et quosdam de Portugalia loco praelati installato,

celebrata fuit altera tam in capitulo quam in oratorio secundum formam electio. Porro dominus Jacobus Drincgham, ballivus territorii Furnensis, omnia bona monasterii veluti confiscata reposuit in manibus ducis, nec crediti sunt fratres aut religiosi dare vel recipere census aut blada vel quascunque res ministrare, nisi de licentia et beneplacito supradicti ballivi qui, Deo disponente, paulo post ab humanis excedens, molestari desinit. Conspiciens autem se minime prosperari blanditiis et proborum virorum precibus, idem dompnus Johannes electus Romam profectus est ad Calixtum papam, agente cum ipso viam rentario Zandi qui, prae laboris inconsueti nimia vexatione, defunctus est priusquam Romanam accersierit urbem; et cum applicuissent praefatus electus et assumpti ceteri fratres, magna sibi denariorum summa furtim sublata fuit per quosdam qui se junxerant illi in itinere; sed servitoribus ejus illos insequentibus casualiter reperti sunt et reddita fuit integra fere summa. Quo tempore medio, Calixtus papa defunctus est et reversus est idem dompnus electus.

Dux Alenconiae, Parisius captivus factus a rege Karolo VII<sup>o</sup>, purgavit se juramento coram omnibus de Parlamento regali. Nichillominus morti tamen adjudicatus in prisonem servatus est ad nutum regis, usque ad mortem regis; tunc successor filius suus Ludovicus rex eundem abire permisit atque filium suum in ducatu restituit, licet eum suspectum veluti patrem eum Anglicis sciret ligam accepisse.

Calixtus III<sup>us</sup> papa, cum Ludovicum Bononiensem, ordinis sancti Francisci misisset ad Usam Cassanum, Persarum et Armeniae principem, qui persaepe scripsit de triumphis suis in Turchos Dei gratia susceptis, inchoata ejus amicitia collectisque cxv<sup>m</sup> aureorum ad bellandum contra Turchos, obiit Romae. Cujus dum exequiae celebrarentur, Dominicus Capranicus, Sancte-Crucis cardinalis, vir miraculis clarus etiam obiit non sine mysterio sanctitatis.

Magdalenam princeps Navarrae duxit et ex ea gessit Gastonem, regem Navarrae, coronatum anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXII<sup>o</sup>.

Obiit hoc anno dux Britanniae Petrus, cui successit avunculus ejus Arturus, comes de Richemont, qui veniens apud Vendomam, homagium regi Francorum praestitit, ubi convenerant nuntii ducis Burgundiae deprecantes pro reconciliatione delphini et ducis Burgundiae, qui eum susceperat tanquam profugum. Ille Arturus post sororem Philippi ducis Burgundiae, duxit sororem Ludovici comitis Sancti-Pauli, nec prolem reli-

quit. Quare translatum fuit post mortem ejus dominium in filios Riquardi, fratris sui, comitis de Penthieuvre, scilicet : Franciscum, contra quem bastardus Ægidii, dudum martirizati, scilicet fratris Petri et Francisci ducum coepit satisfacere, quatenus ipse eum uxore et liberis traderetur in manus regis Franciae Ludovici XI<sup>mi</sup> filii Karoli VII, ejus tempore captus ac convictus bastardus ille demembratus fuit.

Dompnus Everardus de Campo, alias Overtvelt. Brugis in hospitio satis improvise fuit hic dompnus abbas Duensis raptus, praeventus ydropisi. Unde sacramentis caruit quibus opus est praemuniri extremo pro viatico; poterant nichillominus per impositionem manuum ipsum servitores non secludendo sacramenti salutarem effectum a peccatis suis absolvere, sed absque ministris ad hoc deputatis etiam ad incendia Jehennae fortius salvo saniori consilio confessorum astringere; cujus morte comperta, mox aulici ducis Burgundiae se intromisere, et voluit domina dueissa Ysabel nepotem suum, archiepiscopum Ulixbonensem, dominum Jacobum cardinalem admitti.

1458.

Anno igitur Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LVIII<sup>o</sup>, Calixtus tertius, oriundus ex Saticensi patria ac dyocesi Valentina, defunctus est. Post quem creatus fuit pontifex, Æneas, episcopus et cardinalis civitatis Senensis in Ytalia, et vocatus est Pius secundus. Hic cuidam converso per praefatum dompnum abbatem electum relicto Romae, confirmationem concessit, viso quod Jacobus, cardinalis Ulixbonensis, multa tenebatur debilitate, nec spes vivendi superesset diu, nisi divina gratia succurrente quum quidquid ore sumebat, egessit pariformiter indigestum a natura. Detulit igitur conversus confirmationem, et illico nuntiatum est defunctum fuisse cardinalem dignitatem ecclesiae Dunensium occupare cupientem; sic in tuto res devenit. Verumptamen captus fuit et custodiae mancipatus in castro de Temzeeke praefatus electus, coramque Philippo duce diversis articulis accusatus apud Bruxellam, ubi simul praesentatus fuit cum confirmatione delata duci, qui de captione penitus ignorabat, sicuti de quacunque tribulatione illata. Hiis sic accidentibus, supervenit banilus citra dies xiii de Roma, qui mortem domini Jacobi cardinalis certissime denuntiavit. Dux igitur Philippus ratam et gratam habuit confirmationem et electionem factam, sub praetextu tamen illo quod domina ipsius contentaretur. Denariis igitur gravatur ecclesia et mox importabili pondere, non obstantibus debitis per dompnum

abbatem Everardum nuper defunctum contractis, sic quod expensa facta occasione intronisationis electi hujus, taxata summam, fere xx<sup>m</sup> coronarum turonensium comperta est superexcellere.

Eodem anno, ego quidem frater Adrianus, partim devotionis, partim gradu propinquitatis et sanguinis causa ab eodem meritissimo dompno praeventus fui praesentatione habitus; sed cum Parisius starem, distuli gratiam et ingressum, tum propter magistrandi gradum quem plerumque licet inaniter appetii, tum propter Francisci Petrarchae compositas invectivas quibus signanter Cistercienses videtur redarguere. — Ait enim epistola sua de nuptiis dyaboli, qui dum matrimonium cum iniquitate contraxisset, cum una suae non sufficeret libidini, duas quaesivisse uxores. « Ne relinquamus, inquit, semen Ysmael; adducite, inquit, michi duas » uxores dignas honoribus quae et reginae possunt esse sicut et ego rex » sum; alioquin movebo bellum superis et ponam sedem meam in coelis, » similisque ero potentissimo. Completum est sicut per prophetam dice- » batur: Rex Herebi quondam tunc exarsit in iras, praelia moturus superis, » quod solus egeret connubiis sterilesque consumeret annos, impatiens » nescire thorum, nullasque mariti illecebras, nec dulce patris cognoscere » nomen. Scimus, inquit, te specialiter in duas regales malitiam et » ypoerisim oculos injecisse. Jungantur, inquit, michi foedere stabili: haec » sunt enim vota mea quae distinxerunt labia mea. Trahuntur igitur sa- » tellites et angeli Sathanac crescunt et multiplicantur sicut stellae coeli » et sicut arena quae est in littore maris. Ab Oriente et ab Occidente con- » struunt ecclesias et monasteria, et omnis aetas, sexus et conditio laudes » resonat creatori. Non enim sufficiunt urbes et oppida, sed vicos et agros » implent, et quidam inter eos albo vellere tecti, silvas penetrant et deserta. » Hii sunt qui vehementius nos impugnant ut verius cum Pharaone dica- » mus: Ecce populus filiorum Israël multus et fortior nobis est: venite, » sapienter opprimamus eum ne forte multiplicetur, et si ingruerit contra » nos bellum, addatur inimicis nostris, et dicant plures nobiscum quam » cum illis; faciam igitur et ego meum nomen, gignamque filios et filias, » et ecce qualis pater tales filii. Sed quum propter nuptias constitui solent » dotes, hinc est quod ex parte malitiae nubentis affertur transgressoria » voluntas, ex parte vero dyaboli conducentis transitoria voluptas, unde » statim plures generantur filiae quarum ypoerisis conceditur monachis

» et religiosis, symonia clericis, usura burgensibus, rapina militibus,  
 » perfidia mercatoribus, infidelitatis obsequium servientibus, superbia  
 » matronis, sacrilegium agricolis, luxuria comminatur omnibus, quae  
 » lectum sternit atque inter infaustos conjuges mortalia pronubia jubet  
 » permisceri, quibus immundo coytu nephandae soboles procreantur,  
 » fornicatores, homicidae, perjuri, etc., quorum multitudinem non capit  
 » angustia. Porro pater hereditatem dat singulis, fornicatoribus prostibula.  
 » jurgia homicidis, perjuros statuit in judiciis, symoniacos in ecclesiis,  
 » susurratores in claustris, in quibus infelici copula saepe cum itur dormi-  
 » tum fictis vigiliis miscentur dyabolus et ypocrisis, quos matrona detes-  
 » tabilis totius conjugii princeps ambitio procumbit in thoro perditionis  
 » et unam alternis amplexibus carnem efficit. Quum sicut qui adhaeret  
 » Deo unus fit spiritus cum eo, ita qui adhaeret dyabolo unum efficitur  
 » corpus cum eo; funditur in tali coitu semen Chanaan non Juda; nascun-  
 » tur filii nequam et multiplicantur super numerum. Conqueritur mater et  
 » quaerit a patre dyabolo ubi reponat filios suos ne ejiciantur et mendicent:  
 » — Vides, inquit, filios tuos de malitia et iniquitate procreatos, qui gloriose  
 » vivunt in urbibus et palatiis: provide habitationem, inquit, meis. — Ne ti-  
 » meas, ait, mea est haec sollicitudo atque cura; ponam eos in ecclesiis et mo-  
 » nasteriis ubi sub religionis habitu, Deum labiis honorabunt sed cor longe  
 » ab eo erit, Clunyaci: locus in quo facile simulare et dissimulare quis  
 » potest, ubi sub nigro vellere mentiuntur interdum poenitentiam, sub in-  
 » duratione frequenti humilitatem, sub ampla tonsura superfluum deci-  
 » sionem, ibique poterunt extenuare facies suas ut appareant hominibus  
 » jejunantes. Quod autem in capite dico, hoc et de membris ac ceteris  
 » abbatiis et monasteriis, per ydonea serviendi Deo loca dispositis et fun-  
 » datis. Cisterciensis ordo, quamvis incedat ut castrorum acies ordinata,  
 » intellige tamen de filiis tuos quosdam admississe: sunt enim inter eos  
 » qui laudari desiderant, promoveri ad honores et eminere super alios, in  
 » albis vocari sancti ut foris quidem appareant speciosi; sed Deo mentiun-  
 » tur similes sepulchris dealbatis. Hii quidem quum inveterati claudicave-  
 » runt a semitis suis, multiplicantur cotidie superhabundantes in claustris,  
 » callidi simulatores iram Dei provocantes in concilio justorum et congre-  
 » gatione. Et quum inter eos fornicatio et omnis immunditia nec nominari  
 » solet sicut decet, sanctos temptabo, inquit dyabolus, si sororis ypocrisis

» aliquod avaritiæ germen inducere possim et geminam avaritiæ prolem,  
 » cupiditatem scilicet et tenacitatem mecum traham ut veniant in sanctua-  
 » rium Dei, et illud venerabile collegium ipsis angelis admirandum late  
 » dulci veneno temptabunt inficere. Est autem cupiditas in alienis, tena-  
 » citas in propriis, et hæc duæ filiae avaritiæ tanquam duæ sanguisugæ,  
 » continuo dicunt : Affer, affer, sive juste, sive injuste. Communis est opi-  
 » nio quum hii sunt qui alienos agros insatiabili desiderio copulare contem-  
 » dunt, cumque per Dei gratiam illud quod Ysayas dicit evaserint : Vae qui  
 » potentes estis ad bibendum vinum et viri fortes ad miscendum ebrietatem.  
 » Illud alterum incurrunt : Vae qui conjungitis domum domui et agrum  
 » agro copulatis usque ad terminum loci. Nunquam soli habitabitis in  
 » medio terræ, in quo non solum agrorum cupiditas, sed domorum nimia  
 » superfluitas condempnatur. Certant hodie Cisterciensium aedificia cum  
 » turribus principum et non solum receptacula fratrum sed et caule boum  
 » et ovium qualitate simul et quantitate, structuris, decoris et forma quæ-  
 » libet regum transcendunt palatia; eumque de ipsis dici debeat quia  
 » regnum coelorum ab eis vim patitur et isti violenti diripiunt illud; e  
 » contrario dicitur a nonnullis quia violenti diripiunt terram, vicinos et  
 » pauperes quocumque prætio, quacumque potentia de suis sedibus et agel-  
 » lis expellentes. Nonne qui de terra est, de terra loquitur? Caritas non  
 » quaerit quæ sua sunt, et tu, frater Cisterciensis, appetis aliena; clamant  
 » coloni se de suis agris ejici, clamant clerici decimis suis spoliari cum  
 » non legerint levitas levitis decimas persolvisse; sed deponatur hæc con-  
 » tentio reddendo singulis quæ sua sunt. Altera filia sanguisuga, scilicet  
 » tenacitas, speciem pareymoniae inducit in refectorio cum eximitur bu-  
 » tyrum de armento et lac de ovibus, conficiaturque caseus ex utrisque, et  
 » jejunante conventu reficiuntur negociatores et esuriunt oratores; in hos-  
 » pitio dives et notus suscipitur, ignotus, sive monachus, sive canonicus,  
 » dure admittitur, durius exhibetur, aut spes retributionis aut timor de-  
 » volum extorquet obsequendi servitium: angusta est hæc caritas et cum  
 » personarum acceptione deordinata. » Hæc ille poeta laureatus Francis-  
 » cus Petrarcha contra Cistercienses, quæ me sine dubio terruerunt super  
 » ingressu præsentato: sed cum ceteros ordines, signanter mendicantium,  
 » inspicerem, et præcipue fratres observantes de ordine sancti Francisci, qui  
 » tunc coeperunt undique multiplicari, reperiẽbam defectus in singulis, nec



inveni tam sincere, dempto Cisterciensium ordine, quoscunque alios institutos, cui me totaliter devovi ad honorem Dei et gloriosae matris ejus Mariae, quibus honor et gloria per secula metae nescia. Obiit eodem anno, me Parisius studente, dux Britanniae Arturus, cui successit nepos ipsius Franciscus, filius Richardi comitis de Montfort.

Eodem scilicet anno Johannes episcopus Tornacensis obiit. Cui successit Guillelmus quondam episcopus Tullensis et abbas Sancti-Bertini. Hic praesentatus erat superioribus annis cum dompno Everardo ut esset abbas ecclesiae Dunensis, sed contententibus partibus tandem praefatus dompnus Everardus, religiosus monasterii de Boudeloc, suam partem obtinuit. Porro rex Francorum Karolus VII<sup>us</sup> aegre tulit translationem sedis pro Constantiensi episcopo concessam, per Calixtum tertium et nunc per Pium secundum, resignasse Tullensi episcopo, propter quod scripsit et oratores suos misit Romam ad impetrandam sedem Tornacensem, sed summus pontifex fertur dixisse quod, cum Calixtus obierat, ejus promissa interiere : « Et ideo sciant docti, reservationes Calixti ad nostra, inquit, tempora » non extendi; si enim adhuc vixisset, vidissetis cui mos gestus esset, » — et hiis remisit nuntios regis vacuos et impatienter auditos. Post hoc magni regis Alfonsi nunciatus est obitus, qui solum unicum illegitimum reliquerat filium Ferdinandum nomine, et successit patri, qui dominus erat fere septem regnorum, mediante summi pontificis legitimatione ac confirmatione, quam ob rem Francorum rex graviter indignatus summo pontifici Pio, Romam suos concito gressu misit oratores deposituros super injuria Renato regi Siciliae domuique Francorum facta. Unde regis oratores vacui non reversi sunt, sed subsequenti responsione perpulchre sunt affati. — « Responsuri verbis vestris, insignes oratores, quae superioribus » diebus ad nos habita longe plura continuere quam scripta nobis post- » mode reddita, non audemus cum Salvatore nostro dicere : Quis nos ar- » guat de peccato? Sumus enim peccatores et iniquitate circumdati, quod » non negamus; solus ille bonus, solus ille agnus innocens, immaculatus, » irreprehensibilis in hoc mundo conversatus est quem digito Johannes » demonstravit, diens : Ecce agnus Dei, ecco, etc. Possumus tamen et au- » demus hiis verbis uti, quibus Salvator usus est cum impie nefarieque » caederetur : Si male locutus sum, perhibe testimonium de malo, si autem » bene, cur me caedis? Verba vestra, quamvis modesta fuerunt et nichil a

» vobis dictum sit impudenter, nichilque insolenter, tamen existimationem  
 » nostram apud intelligentes viros et oculos non parum laesere. Nam quid  
 » aliud insinuavit vestra oratio quam Siciliae regnum Renato regi deberi  
 » jure exploratissimo, et nos a rectitudinis tramite deviasse qui illud  
 » alteri concessimus, atque inclitam Francorum domum de romana Ec-  
 » clesia optime meritam negleximus aut contempsimus, ex qua Renatus  
 » natus est? Hoc enim licet ea reverentia exposuistis quae hoc loco digna  
 » est, qua et tanti regis oratores uti decuit, nos reprehensos sed non caesos  
 » esse sermonibus hiis, nemo sanae mentis ignorat. Licet igitur dicere cum  
 » magistro et Domino nostro : Si male locutus sum, id est si quid injuste  
 » circa regni Siciliae dispositionem egimus, testimonium perhibete de  
 » malo. Hoc profecto testimonium minime neglexistis ostendere, enim  
 » conati estis multis rationibus regnum Siciliae Renato pertinere, cujus  
 » progenitores ab Ecclesia romana investiti, diuturnam ejus possessionem  
 » obtinere a Karolo, quem primum in eo regno vocant de Francorum  
 » domo sanguineque regio propinquissimum, usque ad hunc Renatum,  
 » quem Alfonsus rex Arragonum armis deturbavit; etenim, quamvis ali-  
 » quando Hungariae reges, quos Dirachienses vocant, hoc regnum obti-  
 » nuere, tamen a Karoli sanguine de quo ille descenderat non abiit. Jus autem  
 » Dirachiensium a regina Johanna prima ex voluntate et decreto romanae  
 » sedis in Ludovicum Andegavensem, sanguine regis Francorum genitum,  
 » postea transfusum est, in quo successit filius sui nominis et iterum nepos  
 » Ludovicus tertius, deinceps Renatus dux Barensis de quo nunc agitur,  
 » cui regnum hoc non solum ex concessione summi pontifici Eugenio IV<sup>to</sup>,  
 » paterno et avito successionis jure deberi putatis. Commemoratis deinde  
 » Francorum in apostolicam sedem praeclara multa merita, quibus pos-  
 » tergatis aut oblivioni traditis, haud a nobis recte factum esse contenditis  
 » quod regnum Siciliae in Arragonensem familiam transmiserimus; in  
 » qua re non solum nos sed etiam praedecessores nostros arguitis, et tum  
 » injustitiam, tum ingratitudinem romanae sedis accusare videmini. Hiis  
 » nos morsibus impetiti, hiis colaphis caesi, hiis vulnerati sumus sagittis :  
 » sic testimonium de malo nostro perhibetis. Non dicemus hic quod ex  
 » officio dignitateque nostrae sedi convenit oves ut pastorem suum non  
 » accusent, neque reprehendant. Non dampnabimus Sarram tanquam sur-  
 » gat adversus illum qui trahit in ea. Beatum Petrum apostolorum prin-

» cipem, ejus nos indigni locum tenemus, potius mirabimur qui repre-  
» hensus quod ad gentiles divertisset, rationem facti sui reddere non recu-  
» savit, neque beatum Leonem quartum si oportuerit sequi pigebit, qui ad  
» Ludovicum imperatorem scribens : Nos, inquit, si quid incompetenter  
» egimus et in subditis justae legis tramitem non servamus, vestro ac ves-  
» trorum missorum judicio cuncta volumus emendare. Sic enim ex humi-  
» litatis dispositione nostri saepe praedecessores factitarunt ut omnibus  
» rationem redderent eorum quae fecissent. Neque enim tanquam in cleris  
» dominantes sed forma facti gregis esse debemus, non ignorantes potesta-  
» tem in ecclesia nobis ad aedificationem non ad destructionem attributam,  
» et quod tanto promptiores ad reddendam rationem nos ipsos exhibere  
» debemus, quanto majoribus cumulati donis et praeventi gratiis sumus  
» a Domino. Nam multa quae essent aliis levia et digna venia, nobis ca-  
» pitalia sunt peccata. Verum est enim quod ille ait, quamvis prophanus  
» et ethnicus auctor : *Omne animi vitium tanto conspectius in se crimen*  
» *habet, quanto major qui peccat habetur.* Quod si pie et juste vivere  
» praeceptum omnibus est, hoc tamen Romanum praesulem prae ceteris  
» decet, qui, gregis dominici pastor et caput, suo exemplo reliquos trahit :  
» Hunc non solum esse propter seipsum sed videri quoque bonum propter  
» proximos oportet, neque cuiquam tam necessarium est quam summo sa-  
» cerdoti famam servare bonam, ejus neglectores, testimonio Salomonis,  
» crudeles habentur. Feretis igitur aequo animo, praestantissimi oratores,  
» si nominis nostri curam gerentes, innocentiam nostram cum ceteris om-  
» nibus, tum regi vestro excellentissimo notam facere nitimur, et si de hiis  
» quae nobis objecta sunt purgabimur. Etenim, quamvis per infamiam et  
» bonam famam transeundum esse dicit apostolus, summo tamen studio in-  
» nitendum est ut falsi rumores cessent et boni nominis odor custodiatur ac  
» omnis calumpnia absit procul. Putabamus quidem regem Franciae nichil  
» sinistre de nobis credere, in hiis praesertim rebus quae suam concernunt  
» serenitatem. Nam, teste Deo, cui mentiri sceleratissimum est, suum ho-  
» norem, suamque gloriam et domus suae claritatem, regnique potentiam  
» semper magnificavimus et multa in ejus laudem et publice privatimque  
» loquuti sumus. Nunc de nobis cur male sentiat et cur sibi putet inju-  
» riatum, non possumus non mirari. Delatorum haec jacula sunt; sugges-  
» serunt impii pio regi non vera; falsa calumpnia nobis imposita est.

» Angeremur cruciaremurque vehementer nisi sciremus solitam esse apos-  
» tolicam cymbam saepenumero fluctuare et procellis agitari frequentibus.  
» Semper invidia virtutem sequitur, feriuntque summos fulgura montes.  
» Simachum et Damasum, praedecessores nostros falsi accusatores in  
» magna deiecere pericula, nec Petro, nec Paulo calumpniarum verba pe-  
» percere. Non est discipulus supra magistrum, neque servus major do-  
» mino suo. Salvatorem nostrum alii vini potatorem, alii demonium habere  
» eum mentiti sunt. Quid mirum si et nos, vilis pulvis et cinis, labiis sub-  
» jacemus iniquis? Non dolemus quod nos persequitur lingua dolosa, sed  
» regi optimo fidem pessimam fecisse linguam molestissime et amarissime  
» ferimus. Recte Pythagoras hirundinem, id est garrulum et verbosum, in  
» domo non esse tenendum monuit, et propheta liberari se optat a labiis  
» iniquis et lingua dolosa. Vulneraverunt nos verba malorum, et apud  
» sapientem regem veluti stulti habiti sumus, stultos dicimus quia omnis  
» injustus stultitiae argui potest. Injustitia nobis et ingratitude imputata  
» est, qui Renato regi bene merenti jus suum abstulisse dicimur. Tolerabi-  
» musne hanc infamiam. An potius innocentiam nostram et apostolicae  
» sedis clementiam, justitiam, aequitatem, benignitatem omnibus osten-  
» demus? Vos, regii oratores, filii estis apostolicae sedis, non audietis inviti  
» matrem vestram objecta sibi diluere crimina. Docti et justis estis, libenter  
» quae justa sunt audietis. Regem vestrum magnopere colitis, gratum vo-  
» bis erit illi nos nichil injurias fuisse, verba nostra intelligentes. Ipse  
» quoque rex, ut nostra fert opinio, quae sibi de dicto nostro in se aut suos  
» odio relata sunt, ut falsa demonstrantur, plurimum cupit: satisfaciemus  
» desiderio suo et vobis, qui, etsi vestra oratione existimationem nostram  
» haud parum laesistis, non tamen vestro nomine loquuti estis sed regis,  
» cui remote a vobis agenti facile fuit falsa pro veris inculcare. Sed jam  
» ad rem veniamus, vobisque per singula capitula respondemus. Duo prin-  
» cipaliter per vos proposita sunt: primum Januenses respicit, alterum  
» regem Renatum. In primo commendastis nobis nobilem populum Ja-  
» nuensem: commendatissimus nobis erit et suis meritis ac regia contem-  
» platione. Petivistis archipraesulem ejus urbis tanquam majestatis reum  
» ad aliam ecclesiam transferri: obstant huic vestro desiderio decreta sum-  
» morum pontificum, quae praelatos invitos, non cognita causa, transferri  
» prohibent. Adhuc etiam in concilio Constantiae exstitit repetitum. Placet

» tamen vobis requirentibus causam adversus eum convertere et juxta  
 » canonicas sanctiones procedere. Supplicastis deinde ut heredibus Perini  
 » quondam Januae ducis, in causa quam habent adversus judicatores Avi-  
 » nionenses silentium imponamus. Non est moris nostri silentium imponere  
 » cuiquam, nisi causa diligenter inspecta. Suspendemus tamen censuras  
 » jam fulminatas ad aliquod tempus: interim negotium discuti possit et  
 » justitia vobis favorabiliter ministrari. — In secundo principali membro  
 » quatuor prae-notavimus esse capita: primum, jus Renati regis illustris in  
 » regno Siciliae; secundum, gloriosa Francorum gesta; tertium, contume-  
 » liam eis factam; quartum et postremum, petitiones concludit regias.  
 » Reddenda est sua unicuique particulae responsio et succincta et pro rei  
 » magnitudine brevis. Nam quod primum dicitis regnum Siciliae Renato  
 » deberi, neque probamus, neque improbamus priusquam causa discu-  
 » tiatur. Quod si dicat aliquis: Cur ergo indiscussa et incognita causa Fer-  
 » dinando regnum commisisti? reddetur ratio inferius. Nos tamen hic  
 » dicimus nos vestro juri minime adversari, neque ullam esse gentem cui  
 » de regno illo magis quam Francis favemus, si constiterit eis jus compe-  
 » tere. Nam cur nos Francorum genus excluderemus, quondam nobilissi-  
 » mum, tam virtutis amantissimum ac de nostra sede optime meritum? Non  
 » exclusimus nos Francos, sed exclusos invenimus. Non viam novam repe-  
 » rimus sed veterem tenuimus. Nichil juri Francorum detraximus, quamvis  
 » regnum et regni coronam Ferdinando certo modo concessimus, sicut  
 » postea suo loco expressius ostendetur. Hic ubi de jure contentio est, nil  
 » aliud nobis incumbit quam, partibus auditis, jus reddere, qui regnum  
 » Siciliae, directum dominium romanae ecclesiae nomine, nullo dubitante,  
 » retinemus. Verum, sicut ea quae de Renati regis jure dixistis, neque ne-  
 » gamus, neque probamus, ita et illa manifeste atque apertissime confirma-  
 » mus quae de gestis Francorum magnificentissimis et eorum exigentibus  
 » meritis in medium attulistis. Magna est Karoli Martelli laus, major Pip-  
 » pini, maxima sequentis Karoli qui ob ingentia facta id Magni cognomen  
 » adeptus est. Quod Alexander Macedo orbe subacto et C. M. Pompeius,  
 » Constantinus primus clarissimis rebus gestis meruere, plena est omnis  
 » Francorum historia praeconiis; nulla umquam aetas vestrae gentis glo-  
 » riam oblitterabit. Nam quis Acquitanos Normannosque religionem Chri-  
 » sti per Galliam persequentes edomuit? Franci. Quis Saxones totiens fidei

» catholicae rebellantes perfregerit? Franci. Quis Bohemos et Polonos  
 » christiano nomini insultantes in frena redegerit? Franci. Quis Hungaros  
 » Pannonias devastantes cohercuit? Franci. Quis Longobardos romanam  
 » ecclesiam diripientes contriverit? Franci. Quis Graccos ex Apulia et  
 » Campania expulerit? Franci. Quis Sarracenos ex Trinaeria deturbavit?  
 » Franci? Quis citeriorem Hispaniam ex Maurorum manibus eripuit?  
 » Franci. Quis Anthiochiam, Ptolemaidam, Alexandriam et nostrae salutis  
 » officinam Hierosolymam ex barbarorum dentibus extrahere aliquando  
 » praesumpsit? Franci. Quis usque ad Eufraten et Tygrim signum crucis  
 » portare et Edissam, Mesopotamiae urbem, christiano nomini restituere  
 » ausus? Franci. Quis vexatam, laceratam, conculcatam et omnibus damp-  
 » norum modis oppressam apostolicam sedem in pristinam libertatem et  
 » gloriam reduxit? Franci. Nota sunt haec, non ignota. Non potest ab-  
 » scondi civitas super montem posita. Nulla gens tam barbara, tam inculta,  
 » tam inhospita est ad quam Francorum gloria non pervenerit. Illustre  
 » gentis nomen in aevum omne permanebit. Patres filii et filii nepotibus in  
 » generatione et generationem nobilissimi sanguinis excellentiam et claris-  
 » sima facta reserabunt. Exegit sibi Francorum virtus monumentum aere  
 » perhennius quod nulla poterit destruere vetustas. Sed cur haec ante oculos  
 » nostros commemoramus, qui nunquam ejus negamus sed publice et pri-  
 » vatim originem hanc, honoris semper causa, recitamus: an istaec com-  
 » memoratio exprobratio est immemororum beneficii? Nemo quidem qui vos  
 » audierit, oratores, alio sensu loquutos putat, et sane ita est. Nam cur  
 » vos haec retulistis majorum insignia? Cur veterum ymagines ante oculos  
 » posuistis? Cur triumphos et vestrae gentis trophaea commemorastis et  
 » romanam ecclesiam suis adjutam viribus exposuistis? nisi quod indi-  
 » gnos perpeccos esse Francos arbitramini. Quibus tot beneficia tum  
 » religioni, tum fidei catholicae et romanae ecclesiae praestita, regnum  
 » Siciliae est adeptum. Ingrata igitur sedes apostolica, ingrati et nos, qui  
 » bene merentibus jus suum auferimus et indignis alienum concedimus.  
 » Excusanda est hoc loco sacrosanctae romanae ecclesiae et apostolicae  
 » sedis auctoritas ac ab ingratitude nota eximenda est tanta majestas,  
 » ad quam rem necessarium est ut et beneficia referantur quae romani  
 » praesules in Francorum familiam contulerunt, neque erit inutile in hanc  
 » partem cognovisse. Fatemur magna, neque quispiam parva dixerit,

» quae Franci romanae sedi praestiterunt, sed et mater apostolica sedes  
» benemerentes filios suos non rennuit, nec laborantes in vinea Domini  
» mercede debita fraudat, horum siquidem quae liliati gessere perpetuo  
» memor, quaecunque hactenus potuit, quaecunque habuit, in augmentum  
» gloriae salutisque contulit, semperque ut domum illam praecipuam te-  
» nuit, ejus praesidio suis in adversis se tueretur. Sic et primam habuit  
» in quam omnem amoris et benignitatis suae sinum effudit. Nam, si vetera  
» simul et nova recolimus, beneficentissima semper inventa est beati Petri  
» et summi praesulis cathedra tum in ceteros, tum nostros in Francos.  
» Instamus hic paululum, et quantum generi vestro profuerit, quantum  
» faverit, quantum consuluerit, animadvertamus. Quis vobis lumen fidei,  
» quis legem evangelicam, quis Christi sacramenta, quis viam vitae, nisi  
» sedes apostolica monstravit? Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux  
» in Domino; eratis mancipia Sathanae, nunc filii Dei per adoptionem facti  
» estis; eratis jehennae servi, nunc hereditatem regni coelestis expectatis.  
» Et unde vobis haec libertas nisi per primam sedem quae, missis in Gal-  
» liam et Germaniam praedicatoribus verbi Dei, extirpato lolio, bonum  
» tritici semen in cordibus patrum vestrorum seminavit et aberrantes  
» Francos ad ovile Christi perduxit? Nichil hiis majus inveniri potest, nulla  
» hiis compensari dona, nulla obsequia, nulla beneficia possunt spiri-  
» tualia haec et tam vestrae quam aliis nationibus communia. Ad secularia  
» nunc veniamus, et in hiis quoque multa sunt quae recenseri possunt ab  
» apostolica majestate in Francorum prosapiam congesta cumulataque dona.  
» Languerat eorum regnum et ad interneccionem defluebat in manibus Hil-  
» debrandi inutilis regis; non tulit Zacharias, antecessor noster, nobilis-  
» simi regni ruinam, sed, missis legatis, regem totondit et in monasterio  
» reconclisit, Pippino qui major erat domus et ingenio valebat, regni  
» nomen et gubernationem commisit, atque ita servatum est Francis reg-  
» num et in gentem quae nunc regnat, derivatum, quod per rectam lineam  
» in aliam familiam deferebatur. Nam Pippinus, quamvis Francus regis  
» sanguine natus, gradu tamen remotior erat: hanc ille ex apostolica sede  
» gratiam tulit, nec minorem filius ejus Karolus consecutus est. Nam cum,  
» defuncto patre, germanusque Karlomannus obiisset, uxor ejus Bertha,  
» Hildegardae uxoris Karoli gloriae invidens, ad Desiderium Longobardo-  
» rum regem cum liberis confugit, quos ille benigne suscepit, existimans

» per illos Francorum vires se facile concussurum, praesertim si Romanus  
 » praesul ex filiis Karlomanni alterum in Francorum regem inungeret.  
 » Praesidebat tunc in apostolica sede Adrianus primus qui neque preci-  
 » bus, neque minis, neque promissis ullis flecti potuit ut impio Desi-  
 » derii desiderio consentiret, quamvis exarchatus Ravennas et omnis agger  
 » ecclesiae Longobardorum ferro diriperetur et igne vastaretur. Quae res  
 » Karolo unitum regnum retinuit. Magnum hoc, sed majus illud quod  
 » Leo III, Romanorum praesul, in eundem Karolum contulit et, Leone IV<sup>o</sup>,  
 » qui duos inter Constantinos imperavit, alterum patrem, alterum filium, Yta-  
 » liam negligente et in heresim lapsa quae culturas ymaginum exhorrebat  
 » prohibebatque, indignatus Leo pontifex maximus imperium ex Graecis  
 » ad Germanos in personam magnifici Karoli Magni transtulit. Quid majus  
 » potuit sedes apostolica praestare Francorum domui quam eam romano  
 » imperio decorare, provinciarum dominum et principem gentium, popu-  
 » lorum nationumque constituere? Quid potui lacere vineae meae, inquit  
 » propheta, in persona Domini Salvatoris nostri, et non feci? Honorata est  
 » prae ceteris Francorum gens et in sublimi vertice montium a romana  
 » ecclesia, suscepto imperio, collocata. Neque, ut vos asserere visi estis,  
 » dimidiatum imperium ad Francos transmissum est, sive duo imperia  
 » facta: alterum Graecorum, Latinorum alterum. Nunquam Romani prae-  
 » sules hanc absurditatem admisissent, ut hosti fidei gladium commis-  
 » sent, sed solum totum translatum est imperium. Ymmo Karolus ipse  
 » cum Hyrene prius imperatrice, Constantini sexti matre, et deinde cum  
 » Nichephoro patricio, et cum eodem postea imperatoris nomen adoptatum,  
 » imperium partitus est, et totum accepit. Dimidiatum retinuit, Orientales  
 » scilicet partes dimittens, servans Occidentales. Et quamvis ad eos Fran-  
 » cos imperium transierit, qui tamen Galliam Germaniamque possidebant,  
 » et postea in eis sit continuatum qui Germaniae praesunt, non tamen  
 » Franci qui remanserunt in Gallia, quorum Karolus soboles est, ab apos-  
 » tolica sede relicta sunt. Quis enim tot pontificales, tot metropolicas sedes  
 » in regno Franciae, nisi pontifex romanus, erigi jussit? Quis tot privilegia,  
 » tot gratias, tot indulgentias vestris ecclesiis ac monasteriis, nisi sedes ro-  
 » mana, concessit? Quis gymnasium litterarum, scolam illam Parisiensem  
 » toto orbe celebrem, fama claram, nisi beati Petri successores, illustrarunt,  
 » a quibus ea indulta consequuta est quae vix optare audebat? Illud quo-



» que quod a vobis relatum est de regno Siciliae, translato in Francorum  
 » familiam, quis non intelligit preclarum fuisse minus? Dicet fortasse  
 » quispiam, et vos oratione vestra asserere videmini: Occupabant tyranni  
 » regnum; Manfredus armis potens expelli non poterat; largita est romana  
 » sedes, quod si expelli et obtinere nequibat, donare quam perdere maluit:  
 » haud quidem ita est. Innocentius enim IV<sup>us</sup> romanae urbis antistes, na-  
 » tione Januensis, cum, deposito Frederico, ex Gallia in Ytaliam rediisset,  
 » Neapolim se contulit, ibique tamquam dominus receptus est, ad quem  
 » salutandum omnis ferme regni proceres concurrerunt, se suaque illi  
 » committentes, inter quos et Manfredus fuit; nec dubium erat quin toto  
 » regno potitus fuisset nisi Innocentius immatura morte rebus excessisset  
 » humanis. Nec minor spes successoribus offerebatur si non minor illis  
 » animus, non segnior cura fuisset quam Innocentio; sed, defuncto Alex-  
 » andro IV<sup>o</sup>, qui successerat Innocentio, Urbanus IV<sup>us</sup>, natione Trecensis,  
 » armorum curam et belli molestias, ut par erat, execratus, Karolum Ande-  
 » gavensem ex Francorum domo ad hoc regnum vocandum censuit. Sed  
 » prius obiit quam Karolus intraret Ytaliam. Intravit autem sub Cle-  
 » mente IV<sup>o</sup> cum xxxi militibus Romam petens, ubi per annum senatoria  
 » functus dignitate, deinde cum conjugate Beatrice jussu pontificis apud  
 » Latranum Siculi regni coronam adeptus, ad bellum profectus est, in quo  
 » victor, non sine magnis ecclesiae romanae auxiliis, possessionem regni  
 » quietam et tranquillam obtinuit. Fuissent et alii qui id oneris cum tanto  
 » honore et cum tanto emolumento cupide suscepissent, sed liliatos, ut vos  
 » appellatis, praeferebant omnibus censuit romana majestas. Intravit Fran-  
 » cia regnum eo quod armis potiti sunt ac non sine magno romanae eccle-  
 » siae praesidio, quae non solum tytulum dedit, sed et arma conjunxit et  
 » anathema in hostes promulgavit, quod non parvi momenti fuit. Tenue-  
 » runt Franci exinde regnum longo tempore, non ibis infitias, Karolus et  
 » item Karolus et Robertus et Johanna quae prior dicta est; at non sine  
 » favore et ope romanorum pontificum; neque enim Conrardinus Frede-  
 » rici II<sup>i</sup> nepos qui, translato numeroso exercitu ex Germania, in Ytaliam  
 » venerat et avitum regnum sibi vindicare conabatur, absque romani prae-  
 » sulis auxilio vinci capique potuisset. Johannes XXI<sup>us</sup> adeo Karolum  
 » dilexit ut ei Graecorum imperium committere cogitaverit, fecissetque  
 » suo desiderio satis, privato Michaele Paleologo qui conventa Lugduni

» non servaret, nisi cogitationes actionesque suas repentinus interrupisset  
 » obitus. Simile studium fuit et Martini quarti qui Nicholaum III<sup>um</sup> se-  
 » quutus; is senatoriam dignitatem Karolo servavit contra Michaellem  
 » Constantinopolitanum Caesarem; impedivit autem hujus Martini conatus  
 » Syculorum novitas et Petrus rex Arragoniae, qui, rebellantem Trina-  
 » criam adductus, eam cum classe valida sibi subegit; multaque inter  
 » Petrum et Karolum terra marique sequuta sunt praelia, et ingentibus  
 » classibus commissum est regnum quod a Francis servari non potuisset  
 » nisi sedes apostolica fuisset adjutrix. Captus fuit navali praelio Karo-  
 » lus II<sup>us</sup> et apud Arragoniam carcere detinebatur. Cum Karolus pater  
 » vita excessit, natabant sine principe, sine auxiliis Neapolitani, Capuani,  
 » Caricani ceterique regni accolae, sed affuit apostolicae sedis legatus qui  
 » consolatus afflicto et pene desperantem populum in fide retinuit. Ne-  
 » que ullum apud romanam ecclesiam Petrus praesidium invenire potuit  
 » quo minus cum filiis et uxore extra Ecclesiam fieret quia Francis fuisset  
 » injuriatus. Martinus IV<sup>us</sup> in eum promulgavit anathema, quod etiam  
 » Honorius IV<sup>us</sup>, gente Sabellia natus, renovavit. Nisi Romani praesules  
 » Francorum partes enixissime adjuvissent, emarcuisset in carcere Karo-  
 » lus II<sup>us</sup>, et regnum Siciliae in alienas manus, haud dubium, pervenisset.  
 » Quid Robertus Karoli hujus filius? An et hic romanam ecclesiam sibi  
 » clementem et benignam expertus est? Qualia ei et inaeestimabilia cum  
 » romano imperatore Henrico septimo certamina imminebant, nisi Cle-  
 » mens V<sup>us</sup> auxilio fuisset, qui etiam sui causa Clementinam edidit eam  
 » quam vocant pastorem? Quid Karolus Roberti filius, qui Florentiae  
 » dominatum obtinuit? Quos etiam illi favores Johannes XXII<sup>us</sup> adversus  
 » vicecomites Mediolanenses praestitit; qui Johannes gente Ursina cardina-  
 » lem magni nominis virum in Etruriam, ut sibi assisteret, legatum mittere  
 » non dubitavit? Quid Johanna, Roberti filia? Numquid et ipsa sedis prae-  
 » sensit auxilia? Fugerat enim ipsa cum secundo viro in provinciam Nar-  
 » bonensem, cum Ludovicus, rex Hungariae, ulturus fratrem quem An-  
 » dream nomine Johanna virum suum interficere jussisse ferebatur, magnis  
 » congregatis copiis, in Apuliam trajecisset ac sequestrato romano pontifice  
 » Clemente VII<sup>o</sup>, qui legatum ad eam rem misit Guidonem episcopum  
 » Portuensem, pax hiis legibus data est ut Johanna regnum recuperaret.  
 » Scissum est deinde regnum, et ipse Francorum sanguis inter se collisus

» est. Nam cum Ludovicus rex Hungariae iterum necis fraternae memor,  
 » Karolum in Ytaliâ misisset, qui poenas interfecti viri ex Johanna de-  
 » posceret, et jam, his deletis Johannaë copiis et capta Neapoli, regnum in  
 » sua potestate rede-gisset, Johannamque nova in arce clausam obsedisset,  
 » Ludovicus vero Andegavensis ad eam liberandam cum magna equitum  
 » manu in regnum venisset, et jam scisma esset in ecclesia Dei si Franci et  
 » Hispani Clementem VII<sup>um</sup>, Romani et reliqui ferme omnes Urbanum  
 » sextum, beati Petri successorem putarent : ut quisque pontifex sibi  
 » consultum ratus est, sic seniores suos impertitus est, nec tamen a Fran-  
 » corum sanguine recessum est. Siquidem et Dirachienses et Andegavenses  
 » Francorum a stirpe duxerunt originem ; Urbanus VI<sup>us</sup>, primo amicus,  
 » deinde hostis Karolo Dirachiensi fuit, quem etiam regno privasse fertur  
 » cum circumseptus ab eo in Nuceria detineretur. Nec filio ejus Ladislao  
 » impuberi placatus est, cui et regni possessionem adimere conatus est,  
 » et Ludovici Andegavensis partibus auxilio fuit. Contrariam viam tenuit  
 » Bonifacius IX<sup>us</sup>, successor ejus, qui Ladislaum ad regnum restituit et  
 » coronam mandavit, Ludovici fautoribus et amicis prorsus attritis. Deri-  
 » vatus est pontificatus summus in parte romana per varias manus usque  
 » ad Johannem XXIII<sup>um</sup> ; qui Constantiae, in magna synodo, durante scis-  
 » mate, depositus est, cum, defuncto Bonifacio IX<sup>o</sup>, Innocentius VII<sup>us</sup> et Gre-  
 » gorius XII<sup>us</sup> et Alexander V<sup>us</sup> in apostolica cathedra sedissent. Johannes  
 » autem adeo partes Andegavenses sustinuit ut prius Roma pelli sustinue-  
 » rit quam Ladislao reconciliari. Quid Martinus V<sup>us</sup>, quanta hic pontifex  
 » passus est incommoda ut generi Andegavensi regnum servaret ? Adopta-  
 » verat Johanna II<sup>a</sup> Ludovicum Andegavensem sibi filium ; id ratum Mar-  
 » tinus habuit. Cum mutasset Johanna propositum et Alfonso ex Arra-  
 » gonia vocavisset, non mutavit Martinus aut animum aut sententiam,  
 » sed amicus Ludovico, Alfonso semper infestus fuit. Invaserat Brachias  
 » Perusinus Aquilam, haud contempnendam Abrutiorum urbem, eamque  
 » cinctam obsidione premebat, neque dubium videbatur quin ea potitus  
 » universum ad se regnum traheret : tanta ejus inter belli duces auctoritas  
 » erat. Martinus vero collecto milite et magnis copiis magnae guerrae pa-  
 » ratis inter cujus auctores Franciscus Sfortiae et filius ejus, qui nunc  
 » Mediolanenses dominatur, tunc admodum adolescens, egregiam navavit  
 » operam. Victus est in praelio Brachias captusque, paulo post ex vulnere

» mortuus, et obsessa civitas liberata et regnum Andegavensi familiae  
 » romanae ecclesiae sumptibus reservatum. Cumque Alfonsus modo una,  
 » modo altera via regnum invaderet et recentibus dietim classibus urgeret,  
 » Martinum semper adversum habuit; nec eo vivo potiri suo valuit desi-  
 » derio, illius ducibus impeditus et ab eo extra communionem ecclesiae  
 » factus; et quamvis graves hii essent Martino sumptus, non tamen destitit  
 » quin omnia experiretur per quae regnum Alfonso negatum ad Francos  
 » integrum deveniret. Non aliter Samuel regno David quam Martinus An-  
 » degavensi favit. Successit Martino Eugenius IV<sup>us</sup> et idem iter sequutus,  
 » summa vi regnum Alfonso prohibuit. Missus est adversus eum Johannes,  
 » cardinalis Vitellius, et Johannes, cardinalis Tharentinus. Saepe collatis  
 » signis regis et pontificis copiae inter se dimicarunt, et quamvis Renatus  
 » regno excesserit, visusque fuerit victoriam Alfonso cedere, Eugenius tamen  
 » illi non cessit, sed omnem belli modum in se suscepit. Incredibile foret  
 » si auri pondus retulerimus quod romana ecclesia pro servando Francis  
 » regno profudit. Nam solus Eugenius longe supra L<sup>m</sup> auri numerum hii  
 » in expeditionibus absumpsit. Tacemus rapinas, incendia, caedes et innu-  
 » merabilia dampna quae subditi ecclesiae pertulerunt, et Anconitanae  
 » marchiae perditionem et vulnera, urbiumque rebellionem, quae omnia  
 » passus est Eugenius priusquam Alfonso blandiretur, Renato adversare-  
 » tur quem nunquam reliquit; sed neque rex ipse Karolus, qui tempestate  
 » nostra Franciae praesidet, ab apostolica sede relictus est. Bis ante memo-  
 » ria nostra Nicholas, cardinalis Sanctae-Crucis, in Galliam missus est  
 » ut quieti ejus regni consuleret contra Henricum regem Anglorum super-  
 » stitem adhuc, sed captivum. primo ex Martini decreto, secundo Eugenii.  
 » Norunt omnes cujus doctrina, cujus sanctione, cujus auctoritate hic  
 » vir fuerit ex familia cujus duo Romani praesules assumpti sunt: Nicho-  
 » laus V<sup>us</sup> et Nos, Pius II<sup>us</sup>. Ambo enim ipsius discipuli et contubernales  
 » fuimus; ambo in minoribus agentes et in Attrebatensi magno conventu  
 » ei servivimus; ambo illius scola ad summum apostolatam inscrutabili  
 » Dei judicio vocati fuimus, sed Nicholas major natu, et meritis majori  
 » loco apud eundem fuit. Is eo conventu legatus apostolicus, quamvis capi-  
 » tales inimicitiae inter Karolum regem Franciae et Philippum ducem  
 » Burgundiae vigerent ob mortem ejusdem patris Philippi illatam et odia  
 » hinc inde importabilia exstarent, alteri tamen alterum reconciliavit et

» pacem illam Attrebatensem conficiens ex qua regnum Karolo firmatum  
» est et solidatum, atque afflictæ et laceratæ Franciæ quies data. Sæpe  
» in hunc modum romana sedes Francos consolata est, neque umquam  
» regnum in calamitatem aliquam prolapsum est quin vigili cura nostri  
» prædecessores ejus salutem studuerint. Longum esset commemorare quæ  
» Franci ex sede nostra beneficia acceperunt. Illud exploratum manifes-  
» tumque est nulli umquam genti prædecessores nostros, majores hono-  
» res, majores favores præstitisse quam Francis. Quibus ex rebus non cur  
» prima sedes ingratiitudinis accusetur, sed dicitis tacite non bona opera  
» esse quæ lapidantur, atque idecirco dispicitis regnum Franciæ laudibus  
» et meritis ad ea transmissum quæ contra Lyliatos sive per nos, sive per  
» nostros prædecessores facta esse dicuntur. Tertium hoc vestræ orationis  
» membrum fuit: an nunc satisfaciendum esset? Gravior hic locus ceteris  
» est in quo palam advertimus regem vestrum de rebus gestis non bene  
» instructum esse, nec nobis ipsis omnia cognita sunt; multa enim quasi  
» vera dixistis, quæ sunt a vero remota. Non impingimus modestiæ vestræ  
» mendacium, neque vos quovismodo accusamus: ex alieno relatu locuti  
» estis, vestra ipsa verba cum grano salis, ut aiunt, pronunciata sunt, audita  
» et vobis commissa exposuistis. Illos poena dignos censemus qui vel regi  
» vel vobis ficta pro veris suggestere; mala illis mens et malus animus ut  
» nocerent nobis; os incensum posuere; fulmina et flammas ore conceptas  
» tenere non potuerunt; alienati sunt peccatores a vulva, ab utero erra-  
» verunt; loquuti sunt falsa, sed mentita est iniquitas sibi, et sagittæ par-  
» volorum factæ sunt plagæ eorum. Magna vis veritatis quæ contra omnes  
» hominum insidias, omnes artes per seipsam facile emersit. Recte Pytha-  
» goras post Deum veritatem colendam affirmavit, quæ sola homines Deo  
» proximos facit. Nichil veritate fortius, ut in Esdra legitur, et in Evangelio  
» Salvator noster sæpe veritatem sese appellat. Consentiamus igitur veri-  
» tati, eique caput inclinemus, neque recedamus ab ea. Audiamus quid  
» objiciatur. Accusatur Eugenius prædecessor noster quod Alfonso Hispano  
» et hosti, Renati regnum commisit Siciliæ, Francorumque sanguine  
» spreto, et injuria hæc contumelia regi Franciæ facta contenditur. Vi-  
» lipensa et contempta est nobilissima domus, tota eminentior Europa,  
» tota generosior orbe, de romana ecclesia optime merita. Indignum faci-  
» nus: Arragonenses prælati sunt Francis. Quid his respondebimus? Non

» desunt arma, quibus adversantium tela repellantur. Non negamus reg-  
 » num Siciliae Arragonensibus commissum esse; sed hortamur Francos  
 » facta sua meminerint, et de ipsis rationem reddant, ac alios judicantes,  
 » ut jubet Pythagoras, stateram ne transilient. Nemo sibi ipsi ignoscat.  
 » Saepe Deum odisse deprehenditur qui sese nimium diligit, et grandior  
 » in se pietas in Deum vero est impietas. Acrem sui se judicem exhibeat,  
 » necesse est, qui alios censet. Intelligamus igitur dilucide presseque tum  
 » Renati, tum Eugenii opera, eaque hoc loco referamus: exinde mundus  
 » judicet, ymmo vero Deus apud quem non est personarum acceptio. Quis  
 » alter alteri fuerit injurius? Adversatus est diu Alfonso, ut dictum est,  
 » Eugenius, et potius extrema omnia passus quam illi regnum committeret:  
 » justum et tenacem jurium non civium ardor prava jubentium, non vul-  
 » tus instantis tyranni mentem quatit solidam. Et quamvis rex vester, alieno  
 » auscultatus consilio, novam quamdam legem et inauditam atque prius  
 » incognitam quam vocatis pragmaticam servari, ac sic romanam Eccle-  
 » siam in suis juribus antiquis et divinis observatis turbari permisisset,  
 » non tamen perduci potuit ut regnum Siciliae, quod est Ecclesiae, petu-  
 » lanter adimeret. Sed obsessum in Neapoli Renatum quibus potuit auxi-  
 » liis consolatus est, frumentique magnam vim misit quo clausum populum  
 » et fame pereuntem in fide contineret. Cumque paulo post armis Alfonsi  
 » cedens ipse Renatus venisset ad Eugenium Florentiae agentem, ab eo  
 » benigne susceptus est; investituram ut aiunt regni tum primum conse-  
 » cutus est; ibi multa Eugenio promissa sunt a Renato rege quae mi-  
 » nime observata sunt. Ex quibuscunque in hac parte reserare libet quae  
 » suis in litteris continentur, aurea bulla munitis quae apud nos custodi-  
 » tur: primum enim auri v<sup>m</sup> se brevi numeraturum promisit quae postea  
 » nunquam desoluta sunt: promisit, et cum pinguiores fortunae fierent,  
 » numerum de xxx<sup>m</sup>, neque haec numerata fuerunt. Promisit ecclesiam  
 » Arelatensem procuratori Eugenii tradere: non est tradita. Promisit  
 » cardinali Andegavensi ecclesiae suae possessionem concedere: non est  
 » concessa. Promisit se curaturum summo studio ut pragmatica sanctio  
 » deleteretur: non est deleta. Non accusamus Renatum fractae fidei aut  
 » promissi non servati. Fortasse sibi est excusatio cur haec non fecerit, et  
 » alia sunt quae non erant in sua potestate; ipse tamen Eugenio nunquam  
 » satis excusatus est. Cum igitur hinc rex Franciae romanam Ecclesiam

» adversus consuetudinem progenitorum impediri sineret, et Renatus neque  
 » auxilia mitteret, nec promissa servata apparerent, illinc Alfonsus rex  
 » patrimonium beati Petri magnis exercitibus urgeret, premeret, laniet, et  
 » et Franciscus Sfortiae, nunc vicecomes Mediolanensis dominus, agrum  
 » Pycenum invasisset, et Basilienses sub nomine generalis concilii contra  
 » Eugenium novas excitarent turbas, cepit consilium dem Eugenius quod  
 » cardinales et viri prudentes sumendum pro tempore suaserunt. Nunc  
 » disputemus, nunc de jure inter partes hic est agendum et in judicio dedu-  
 » cendum. Pacem Eugenius ab Alfonso non utilem tantum, verum etiam  
 » necessariam accepit, eique non solum regnum promisit sed ultro etiam  
 » nonnulla de patrimonio Ecclesiae tradidit opida, inter quae Teracina fuit  
 » quod olim Anxur appellatum est. Sic consuetudo belli est pax quando  
 » victoris libidine emitur. Hiis de causis Eugenius Siculi regni tytulum  
 » Alfonso largitus est, cum jam Renatus nec minimam glebam terrae in  
 » regno possideret et tanquam spem omnem vendicandi posthac regni  
 » prorsus amisisset, arcem novam quae Neapoli adjacet hosti vendidisset  
 » et nonnullis fidelitatis juramenta remisisset; nec Alfonsus ingratus Eu-  
 » genio fuit, qui Picentes in obedientiam Ecclesiae reduxit. Idem Euge-  
 » nius Ferdinandum Alfonsi filium, extra matrimonium natum, ad regni  
 » Neapolitani sive Siciliae successorem idoneum, auctoritate apostolica  
 » reddidit, cui praeter geniturae maculam nil obstabat, litteris et moribus  
 » egregie instituto; neque novum est hujuscemodi viros ad fastigia regni  
 » provehi, nam quamvis sancta lex est quae vetito natos coitu dignitati-  
 » bus arcet, sic enim incontinentia non parum cohercet, id tamen in  
 » vitium patris non filii est, et clarissimos reges tam ex illicito quam ex  
 » alio minus digno concubitu natos constat. Romulus ex Rhea sacerdote  
 » natus et Servius ex ancilla Romae regnaverunt. Apud Graecos Hercules  
 » clarus habetur quamvis Alemena ex adulterio cum genuerit, et Alexan-  
 » drum Macedonem orbis dominum Olimpias ex alio quam ex Philippo  
 » concepisse traditur; et Numidarum ex ancilla Massinissae Jugurtha  
 » regnum tenuit. Inter Hebraeos, Jacob ex ancillis magnos sustulit patriar-  
 » chas et Phares ex Thamar inde natus est, ex cujus progenie Christi  
 » nativitas secundum carnem traxit originem. Et Jepte meretricis filius  
 » Israël judicavit. Salomon ex ea quae fuit Uriae, procreatus est, cum qua,  
 » lege nostra, matrimonium contrahere non licuisset. Et ne pluribus uta-

» mur exemplis, satis est Constantinus magnus qui, quamvis ex Helena  
 » stabularia, sicut ait Ambrosius, genitus esset, Romani tamen imperii  
 » monarchiam conscendit et magnifice gubernavit. Et Karolus item ma-  
 » gnus Karolum filium extra matrimonium genitum non ignobiliter regno  
 » praefecit : nec plura in Eugenii apologiam. Nunc ad Nicholaum trans-  
 » eundum est, qui nationi recte amicissimus fuit et tamen regnum Al-  
 » fonso confirmavit ac Ferdinandi legitimationem gratam ratamque ha-  
 » bens extendit ampliavitque. Quid his si salvatur Eugenius, et Nicholaus  
 » salvus est; ille principium dedit hiis quae postea sequuta sunt. Sed pro-  
 » cedamus ulterius. Per tempora Nicholai flagrabat omnis Ytalia bello.  
 » Hinc Alfonso Veneti socia arma conjunxerant; inde Francisco Sfortiae,  
 » Mediolano potito, Florentini ex foedere juncti communibus viribus  
 » bellum administrabant. Ardebant omnia, ubique caedes, ubique rapinae;  
 » neque prophana, neque sacra tuta. Elati Constantinopolitana victoria  
 » Turchi etiam impune per Assitem et Albaniam debachati, extremum  
 » Hungaris excidium minabantur. Operae pretium Nicholao visum est in  
 » tantis periculis de pace Ytaliae agere, et arma quibus urgebantur cives,  
 » in hostes convertere. Directus est apud Neapolim conventus et eo cardi-  
 » nalis Firmanus ex decreto Nicholai. Legati ex tota etiam Ytalia se con-  
 » tulere, inter quos pax tandem conclusa est et foedus percussum, cujus  
 » conservatorem romanum praesulem designavere in eo foedere ab omni-  
 » bus recepto. Inter alia cautum est ut quaecunque ab Alfonso rege ordi-  
 » nata sunt, eadem omnia cum Ferdinando filio tractata et recepta esse  
 » intelligantur, quem futurum regni successorem id foedus appellat. Quod  
 » apostolicae sedis legatus amplexus est et omnis Ytalia recepit, Nicholaus  
 » vero postea ratum habuit et confirmavit. Similiter et Calixtus successor  
 » ejus egit. Et nos post coronationem nostram, ex consilio fratrum nostro-  
 » rum praedecessores sectati, ne tam salutaris pacis vinculum solveretur,  
 » foedus ipsum comprobavimus : sed de rebus nostris paulo post agemus.  
 » Nunc expositis Nicholai et Eugenii operibus, qui quantum calumpniari  
 » reprimique possint plane agnoscitis, ad Calixtum transeamus quem  
 » magnificis verbis ac laudibus prosequuti estis, neque ab re : fuerat enim  
 » doctrina singulari praeditus et suo tempore civilis sapientiae facile prin-  
 » ceps et maximarum rerum experientia callens, ut qui multorum mores  
 » vidit et urbes. Dicitis hunc, quamvis ejus nationis esset cujus Alfonso



» illique multa debere, non tamen justitiam ejus causa violare voluisse,  
» sed filium ejus regno privasse. Nichil horum negamus: verum incivile  
» est non totum referre. Supplebimus nos quod orationi vestrae deficit.  
» Calixtus enim mox ut pontificatum adiit, id foedus, cujus supra mentio-  
» nem fecimus, ratum gratumque habuit, eoque usus est cum Jacobus  
» Piceninus Senensi bello quateret, adversus quem, vi foederis, et Venetos  
» et reliquos Ytaliae potentatus excitavit, neque Alphonso investituram  
» negasset, nisi marchiam Anconitatum et plura alia regna adjeci peti-  
» visset. Alfonso autem vita functo, qua ratione incertum est, Ferdinandum  
» quem ex foedere successorem Alfonsi in regno Siciliae acceptaverat, a  
» regno removit. Illud certum est quod regnum Siciliae non ad Francorum  
» prosapiam sed ad romanam Ecclesiam devolutum esse declaravit. Tes-  
» tantur hoc ejus litterae et recens malum extat memoria. Nichil dicimus  
» quod non in promptu probare possumus. Si vixisset diutius providus et  
» magnanimus pontifex, vidissent omnes quo suus ferebatur et aspirabat  
» animus, quoniam nemo regnum hoc generi gallico aut quaerere aut ser-  
» vare arbitratus est. Non est igitur quod magnopere ad Renati causam  
» facta Calixti assimuletis, quamvis Ferdinando regnum adimere conatus  
» sit. Ceterum, eo in aliam vitam translato, nos eo quamvis indigni, tanto  
» ponderi prorsus insufficientes, ut Altissimo placuit, suffecti sumus. Ad  
» res nostras modo veniendum est quas multi lacerant carpuntque. Ho-  
» mines sumus et fragiles; labimur, fallimur, decipimur, inviti tamen  
» erramus, et tum recognoscimus errorem; maluimus tamen modo illum  
» potius rubore revocare, quam cum subditorum scandalo dampnoque  
» retinere. Verum in hoc negotio regni Siciliae, nichil a nobis factum est  
» quod reprehensione dignum existimemus, quamvis illud Ferdinando  
» concessimus. Sed accusamur quod illegittimo, quod indigno, quod in-  
» habili examina regni, dignitatem et coronam elargiti sumus, atque incli-  
» tam Francorum domum sprevimus et abjecimus. Nec oratores Karoli et  
» Renati regum audire dignati sumus: haec summa est accusationis, haec  
» omnes vestrae orationis nervi tenduntur. Parum est quod Eugenius, quod  
» Nicholas, quod Calixtus fecit, Pius est qui plus ceteris ausus videtur;  
» Pius est qui Francos, qui nationem Gallicam, qui aequitatem justitiam-  
» que contempnit; in Pium omnia tela cadunt. Tolerabilia sunt quae nostri  
» praedecessores fecerunt: quod nos facimus, fieri non potest; nos injusti,

» nos ingrati, nos impii sumus quamvis Pii nomine vocitemur; sed non  
» deest nobis animus quo purgemur. Dominus auxiliator noster, non time-  
» bimus. Quid faciant nobis homines supra vires suas? non nobis impingi  
» falso crimina sinet quae refellere non valemus. Comprehendimus ex  
» dictis vestris neque vobis, neque regi vestro omnem veritatem esse de-  
» tectam, sed dicta esse quae contra nos videntur, tacita vero quae pro  
» nobis adduci poterant. Nam quid majus est an sequi, an praecedere? Nos  
» apertum a praedecessoribus iter sequuti sumus et monstratam viam te-  
» nuimus. Nichil plus egimus quam nostros praedecessores egisse reperi-  
» mus. Dicat aliquis per viam publicam ne ambules, quod Pictagoricum  
» fuisse praeceptum Jeronimus affirmat; sed hoc exponitur ne multorum  
» sequaris errores. Nos nichil oberrasse aut Eugenium aut Nicholaum  
» arbitramur, quos fuisse praesules rectissimi iudicii et integerrimae vitae  
» constat; sed aperiamus amplius innocentiam nostram, factaque nostra  
» non solum exemplis et auctoritate, sed etiam ratione defendamus, et quo  
» in statu esset Ecclesia quando summi praesulis cathedram ascendimus,  
» ostendamus. Audite, non longa res est, sed breviter explicabitur. Inva-  
» serat Jacobus Piceninus agrum Ecclesiae, non ignobilis nostri temporis  
» copiarum ductor, Assisiiorem arcem per proditionem praefecti arcis ob-  
» tinuerat et urbem exinde in potestatem acceperat. Nuceriam quoque inva-  
» serat et oppido Gualdi potitus, arcem summa vi oppugnabat. Timebant  
» vicini Fulginate, nec minus Spoletani quorum arcis praefectus ad Pic-  
» ninum inclinare videbatur. Munita quaeque loca Ecclesiae in manibus  
» castellanorum detinebantur, quos etsi fideles constantesque putaremus,  
» nexus tamen et amor nationis timorem incutiebat ne cum Ferdinando  
» sentirent qui regno Siciliae, nemine adversante, potiebatur. Fuerat apud  
» Capuam conventus principum regni. Omnes illi jurejurando fidem ut  
» regi suo praestiterant; nec una quidem vox audita fuerat quae Renatum  
» desiderare videretur; quieta omnia in regno erant; petebatur a nobis ut  
» Ferdinandum investiremus; instabant Veneti jure foederis; instabat et  
» dux Mediolani; instabant Florentini; aiebant omnes non posse illi reg-  
» num negari quod patris ultima voluntate et omnium populorum assensu  
» recepisset. Piceninus qui jam tria opida Ecclesiae occupasset, nisi Fer-  
» dinando cui militabat regnum committeremus, maximum subditis nos-  
» tris malum illaturus videbatur. Pacem Romani, pacem Umbri, pacem

» Picentes, pacem omnes per circuitum petebant. Omnis mora gravis,  
 » omnis contradictio periculosa judicabatur. Nichil nobis antiquius vide-  
 » batur, nichil animo nostro fixius habebat quam conventum Christiano-  
 » rum facere in quo de retundenda Turchorum insolentia et christiano  
 » sanguine defendendo tractaremus. Imminebat Ecclesiae gravissimum et  
 » periculosissimum bellum, si Ferdinandi postulationi adversaremur, nec  
 » nobis vires erant quibus resisteremus, nec Massiliensis episcopus a Re-  
 » nato missus aliud attulerat quam verba dubia et incerta. Promissionis  
 » spes in Renato longinqua et auxilium dubium; in Ferdinando propin-  
 » quus hostis et apertissimum dampnum. Nec rex Francia apud nos lega-  
 » tum habuit, ut vobis esse persuasum videmus, quamvis decanus Carno-  
 » tensis tunc Romae ageret, qui ad Calixtum missus. Turchorum non regni  
 » Siciliae causam tractaturus venerat, quo Calixto mortuo nichil habebat  
 » quod nobiscum ageret, nec verba ponderis habebat, extincta legatione,  
 » quamvis impulsus ab aliis aliquando nos in hac parte compellaverit.  
 » Quid faceremus? Arma-ne pro regno ejus moveri oportuit, qui nichil  
 » juvare videretur, otiosam vitam domi gerens? Imparibus-ne hosti viribus  
 » occurrendum, illidendumque muro caput, castra et arces Ecclesiae per-  
 » dere, patrimonium beati Petri dilapidare, subditos omnes rapinae et neci  
 » obicere, defensionem fidei negligere debuimus? Profecto non ita nobis  
 » et fratribus nostris visum est; sed cum aliter non possemus, Ferdinando  
 » morem gerere potius quam romanam Ecclesiam tot periculis exponere,  
 » quam religionis, quam fidei defensionem negligere. Conceduntur enim  
 » multa necessitati, et inter duo mala minus eligitur. Quid igitur fecimus?  
 » Nichil amplius sane quam nostri praedecessores fecerant, quamvis illi  
 » Alfonso, nos Ferdinando regnum commisimus. At eui Ferdinando? Nempe  
 » filio regis et si non legitime nato, tamen auctoritate apostolica legiti-  
 » mato, heredi a patre rege destinato et instituto, et a regnicolis recepto,  
 » nobisque vi percussi foederis ab universa Ytalia commendato, regni  
 » etiam possessori sive ut vos vultis occupatori? Nichil juri vestro detra-  
 » himus, nec tamen tot favoribus munito aliter regnum commisimus  
 » quam si nostrum esset, id est ad nos devolutum existeret, aut si illi jure  
 » hereditario deberetur. Et quis hoc dampnare potest, si pater ejus rex  
 » fuerit, eumque legitimatum heredem instituerit? Injuria erat paternum  
 » ei regnum negare, si nostrum devolutione fuit. Licebat nobis cui vole-

» bamus, dare. Si ad Francos, regemve Renatum aut alium pertinuit, nichil  
 » ei dedimus, neque dare volumus. Reservavimus enim nostris in litteris  
 » aliorum jura, quod nostri antecessores non fecerunt. Quid igitur ca-  
 » lumpniamur? Quid reprehendimur? Quis non intelligit pio regi vestro  
 » et vobis dictas nugas esse, quibus persuasum est nos Francorum inclitam  
 » domum regno privasse, qui neminem privavimus, nemini jus abstuli-  
 » mus, nemini derogamus. At si devolutum erat, dicat fortasse aliquis :  
 » praeferendi erant Franci? Praetulissemus si tam prope fuissent quam  
 » Ferdinandus, et non nobis tantum prodesset discrimen atque necessitas.  
 » At grave est coronatum esse Ferdinandum : certe si jure investitus est,  
 » juste quoque coronatus est; si jure caret, nichil ei corona confert. At  
 » populorum favorem ei conciliat : cum jussimus eum coronari, non erat  
 » opus; omnes enim populi proceresque favebant. Conventum insuper erat  
 » coronam illi dandam cum peteret, quemadmodum antecessores nostri,  
 » Eugenius et Nicholaus cum Alfonso patre convenerant : non potuimus  
 » petenti negare et promissis obviam ire. Nam si privati ex pacto tenentur  
 » principes, non est ambiguum nichil foedius quam princeps fidei fractor.  
 » Nota est nobis modestia et integritas regis vestri. Nunquam ille ex nobis  
 » peteret ut promissa rescinderemus, quorum tanta vis est ut Deus etiam  
 » ex hiis compelli possit : *Memento, Domine, verbi tui servo tuo in quo*  
 » *mihî spem dedisti.* Dicitis forte coronam nos non debuisse promittere.  
 » Verum est, si non licuit investire; at si licuit illud, et hoc licuit. Sed de  
 » justo licitoque certamen contendentibus in se partibus relinquimus. Nos  
 » de facto nostro commemoramur, non reperiemur inermes, et jam satis  
 » nostra ex parte ostensa est rectitudo. — Nunc illud attingamus quod de  
 » Aquilanis et aliis plerisque objectum est, quos sese nobis dedere volentes  
 » rejecimus ut asseruistis, ne Ferdinando incommodaremus. Laus nostra  
 » haec est, qui Ferdinando fidem servavimus, neque parti vestrae injuriati  
 » sumus, cum nobis illi, non Renato, sese subicere vellent. Nos certe nichil  
 » aliud facere decuit, sive ante investituram, sive post, ne regnum divi-  
 » deremus quod tunc erat unitum. Rursus et illud reprehenditis quod  
 » equites regnum petentes, qui militare Ferdinando vellent, transire per-  
 » misimus, qui ei adversarentur hiis iter clausimus. Neque haec negamus,  
 » sed decuit haec nos facere, ita et hoc quoque ad fidem nostram specta-  
 » bat, ut eum salvum esse vellemus qui ex nobis regnum accepisset. Neque

» hoc Francis molestum esse debuit, nam neque ex nobis transitum petiit  
» qui Renati causam esset acturus, cujus nominis in regno mirum silen-  
» tium erat. Princeps Tharenti primus omnium adversari coepit, non quod  
» regem cum esse negaret, sed quod insidias sibi ab eo paratas diceret;  
» nam quotiens ad nos scripsit, Ferdinandum regem appellavit, nec  
» aliud a nobis petiit quam securitatem, ne sub illo rege periret: promit-  
» tebamus id sibi. Ceterum sumi arma contra dominum et auxilia minis-  
» trare non debuimus, neque ministrantibus locum dare, sed misimus  
» legatum qui, rebus inspectis regni, regem principi reuniret: quod et  
» factum est, intervenientibus etiam Venetorum oratoribus, quamvis pos-  
» tea, nova exorta discordia, simulatam fuisse concordiam ostenderunt. ut  
» quaecunq; diuturnitate carent. Nostri officii erat pacem in regno ponere,  
» ut sive Renati, sive Ferdinandi sit, integrum potius sit quam laceratum.  
» Sed imputatis nobis quod Jacobo Picenino in regnum transire volenti,  
» quamvis Renati stipendia faciant, iter praeclusimus. Nichil certi nobis de  
» hiis stipendiis constat, licet vulgo ita feratur, cujus rumores saepe inanes  
» falsosque vidimus. Illud certum nobis est, iter nunquam a nobis Jaco-  
» bum petiisse. Sed arguitur negotium ex copiis quas misimus in Etruriam  
» ex agro Bononiensi ac ex aliis gentibus quas misimus Salvis, Marchiae  
» et Apennini claustra tueri. Id nos tutelae nostrae causa fecimus, veriti  
» ne Picennini transitus, cujus non parvae copiae feruntur, agrum Eccle-  
» siae laederet aut mutationem aliquam in oppidis nostris ut antea faceret,  
» in quibus plurimi sunt inquieti homines et rerum novarum cupidi. Nec  
» quispiam arguendus est si res suas diligenter custodiat, in qua parte  
» periculosius est minus sperare quam timere, atque hoc nostro singulis  
» objectionibus respondisse sufficiat. Quod si non omnibus verba nostra  
» fidem faciant, satis est nobis quod nemo adversus ea quae loquuti sumus  
» absque mendacio loqui potest, sive facta nostra, sive verba inspiciantur,  
» sed minime pari modestia erga nos Renatus est usus. Testis est ipse mo-  
» destissimus Francorum rex, qui Renati oratores adversus nos multa lo-  
» quutos audivit. Testes sunt quamplurimi Germaniae principes ad quos  
» Renati litterae pervenerunt, nos partiales atque injustos appellantes qui  
» domum Franciae regno Siciliae privavimus. Testes sunt subditi ejus et in  
» Provincia et in Lotharingia, quibus imperatum est ne nostra mandata  
» susciperent. Testis est cardinalis Sixti, grandaevus et fide dignus senex

» qui, ad nos scribens, idcirco litteris suae legationis per Provinciam, jussu  
» Renati, non esse partum affirmat quin in earum calce annus annotatus  
» esset. Dolenter haec et inviti referimus, non ut regem Renatum sugillemus.  
» sed ut nostram patientiam ostendamus. Nam quantum ad regem attinet, nos  
» eum et pium et mansuetum existimavimus et accusari potius ab eo quam  
» eum accusare volumus, et injuriam pati quam facere. Audimus Paulum  
» dicentem : *Non vos ulciscentes, carissimi, sed date locum irae; scriptum*  
» *est enim : mihi vindictam et ego retribuam.* Sed neque vindictam posci-  
» mus; Deum potius rogamus et precamur obnixè regi huic benignus sit et  
» clemens, quum per obedientiam publice praestitam romanae sedi, matri  
» et alumnae suae, reconciliatus est. Fuerat bonus et mitis princeps, ut  
» videmus, de veritate non vere instructus, et, quod humanum est, credens  
» se laessitum injuriis non potuit non laessere; sed cito ignis stipulae  
» conticescit, et exundans flamma desinentibus nutrimentis paulatim trun-  
» catur. Caveat tamen rex ipse ne sedem apostolicam laessendo eas incidat  
» in poenas, quibus vasalli contra dominos committentes plectuntur. Illud  
» autem nobis grave christianae fidei ac rei publicae periculosum valde et  
» noxium est, quod stante hoc conventu Mantuano et nobis pro tutela fidei  
» laborantibus, classis Januae armata est, in regnum missa et novus ignis  
» accensus, omnisque Ytaliae turbata quies. Non erant haec tempora quae  
» novas inter christianos lites cuperent. Cum Turchis nunc depugnandum  
» erat pro fide, pro religione certandum; divinus honor tuendus est quem  
» Turchi conculcare nituntur, quo loco satis admirari non possumus de  
» prudentia et in commune bonum caritate regis, qui cum annos circiter  
» duodeviginti tacuisset, nunc demum arma sumere et regnum vendi-  
» care adorsus est, iniquo et importuno tempore, idque clam nobis ad  
» quos directum regni hujus dominium spectat et de omni controversia  
» in eo judicium. Quibus ex rebus aperte cognoscitis, peritissimi oratores,  
» nos non esse qui Karolo Renatove, clarissimis regibus, vel domui Fran-  
» ciae simul injuriati simus, sed potius et romanae sedi contumeliam irro-  
» gatam quam pro Deo salvatore nostro parvifacimus, scientes tamen quia  
» flagellamur cum vituperamur, cum scandalum patimur, tunc Deo curae  
» sumus, dicente scriptura : *Vae mundo a scandalis*, et quem Deus diligit  
» atque castigat. Sed jam tempus est ut ad petitiones vestras descendamus,  
» quae hujusmodi sententiae sunt ut rescindantur quaecunque Ferdinandi

» gratia facta sunt, regnum Renato concedamus, homagium ab eo reci-  
 » piamus, legatum mittamus qui Renati partes ad plenum consoletur,  
 » Ferdinandi terreat, huic favores accumularet, illi auferat, Picenino de-  
 » nique iter aperiamus in regnum. Postulata haec cum audimus, intelli-  
 » gimus homines in sua nimis affectos esse, id quoque vobis accidere.  
 » Nam cum paulo ante questi essetis quod, inaudito Renato rege, incognita  
 » causa, Ferdinando regnum commissemus, nunc tamen, inaudito Fer-  
 » dinando, quae sunt concessa rescindi postulatis. Cur hoc vestrae arro-  
 » gatis parti, quod alteri non debuisse concedi affirmatis, ut par pari  
 » referatur? Dicat aliquis: verum haec imparia sunt. Nos Renato nichil  
 » abstulimus, ut ante monstravimus. Vos quotquot concessum est Ferdi-  
 » nando retractari et revocari petitis. At ubi de jure alieno abrogando agitur.  
 » audienda est altera pars, et consulte matureque procedendum, ne sine  
 » causa quaesitum jus, si quod est, auferatur. Cumque non ipsi sumus  
 » qui primo in Arragonensem jus regni transmisimus, et adversarius vester  
 » magnam regni partem oblineat, suadet ratio, exposcit aequitas, consue-  
 » tudo jubet, requirit antiquitas audiri prius partes quam juris cujuspian  
 » detractio fiat. Quod si juris iter placet, deponenda sunt arma et legibus  
 » disputandum. Nos aequi iudicis partes tenemus. Nam quid nostram inte-  
 » rest, uter vestrum regnum possideat? Quippe si, discussa causa, contige-  
 » rit Renati regnum esse aut ei deberi, non solum quae petitis sed majora  
 » horum faciemus. De itinere comiti Jacobo aperiendo, nisi ab eo petatur  
 » et nisi Renato militare fateatur, non videmus quid respondere possumus,  
 » nec satis nobis est quod securitatem promittit. Nam contra tenentes arma,  
 » sola post Deum securitas est in armis. Noscimus nostri temporis milites,  
 » et quantum eis credere oporteat non ignoramus. Tutum est apud eos  
 » illud detestabile verbum: *Si violandum jus, regnandi causa violandum,*  
 » *venalesque manus; ibi fas, ubi plurima merces. Nulla fides pietasque viris*  
 » *qui castra sequuntur.* Nos et armis et orationibus pias res Ecclesiae ser-  
 » vare studebimus; si decipiemur, si violabimur, ipse Dominus vindex  
 » erit, qui ait Petro: *Modice fidei, quare dubitasti?* Et praesentia et futura  
 » in manu Dei sunt; ipse nos secundum suam voluntatem dirigat et ad  
 » eam vestrorum etiam regum corda mentesque trahat, nichil suavius  
 » inveniri possit. Etenim potius cur non dimissis armis aut per communes  
 » amicos, aut legibus, aut jure haec lis regni dirimitur? Si bellum eligitur,

» hoc est quod milites optant, equites peditesque, hoc illi immortale cupiunt esse, hinc aluntur, hinc pinguescunt, hinc et ad principatus et regna conspirant : satius fuerit regnum amittere quam eos alere canes qui omnes regni opes et ipsos denique reges devorent. Exposcit praeterea tempus hoc ut christiani inter se depositis odiis, concordibus animis atque studiis, ad tutelam fidei se astringant, et tela quae viscera nostra fodiant, Turchorum pectora feriant. Juvate nos oratores, et ingenia vestra intendite, aperite media, excogitate vias quibus non solum haec lites regni, sed aliae quoque christianorum controversiae sopiantur. Audiemus consilia vestra; iudicii vestris plurimum tribuemus. Nolite nobis, nolite Christo deesse. Christi hoc negotium est, ex latere nostro nichil deerit. Quotquot in nobis aut consilii aut diligentis studii, vobis et reipublicae in hac parte communicabimus. Nostro iudicio, nostro pacto ferendum est ut haec regni discussio latius differatur: aut pace aut induciis componenda est. Si ferro dimittitur, actum est de regno, et verendum ne hoc incendium per omnem Ytaliam latius evagetur. Injuriosi eramus et inimici patriae, si pro nostra virili potestate pacare Ytaliam non curaremus. Dissidentes in Germania principes per legatos conciliavimus, et nunc viscera nostra patiemur evelli, Ytaliam lacerari, regnum Ecclesiae incendi, diripi, desolari? Non fient haec nobis volentibus. In Turchos, qui vere christianus est, in Turchos armari debet et christiano parcere sanguini. Non debet Renato durum durumque videri si pro communi salute paululum arma continere rogatur, qui per tot annos nullo rogante contuit. Cogitemus tamen quo pacto hoc regnum quietum reddatur, et non sinamus hanc portam aperiri Tureho. Nichil ille magis cupit quam vires ytalicas inter se concurrere, ut tandem ab hiis vocetur qui debiliores fuerint, sicut in Graecia factum est. Dissidentibus enim inter se Constantinopolitanis imperatoribus, vocati in auxilium Turchi ab hiis qui erant inferiores, utramque denique partem oppresserunt. Agite, praestabiles oratores, incumbite huic parti, consulite in medium quae pacis sunt; nam hoc potissimum est quod sapientissimum regem vestrum vobis mandasse in litteris ejus vidimus. Intellexit enim prudentissima serenitas sua ad domandam Turchorum ferociam, christianorum pacem atque concordiam necessariam esse, ejusque rei curam in hoc conventu vestrae circumspeditioni commisit. Expectamus quae media querendae pacis as-



» seratis; maximi ac potentissimi regis vices geritis; multum in vobis  
» situm est. Imperator Fredericus eo animo est ut pax per omnem chris-  
» tianitatem reformetur: idem propositum nostrum. Si concurrerit rex  
» vester, concurrent et quamplures alii, et cessabunt tandem civilia et in-  
» testina bella; vertentur christianorum tela in hostes fidei; sentient Turchi  
» quid valeat christianus miles, et quantus in hostem assurgat christianis-  
» simus rex vester, consensu populorum, gentium nationumque citatur;  
» magni honoris nomen gerit; servanda est et ad posteros haec transmit-  
» tenda dignitas, virtute majorum quaesita. Rex sicut imparia ita et egre-  
» gia cognomina hiis artibus retinebit quibus ab initio pacti sunt Franci.  
» Cum ab initio pro defensione et augmento catholicae fidei, pro tutela et  
» gloria romanae sedis nulla timere pericula, nullos declinare labores,  
» nullos refugere sumptus, sed delicias, voluptates, regna, imperia et  
» ipsam denique vitam pro communi salute contempserit, et nunc in Eu-  
» ropa, nunc in Asia, adversus inimicos crucis cum depugnarent, chris-  
» tianissimi jure merito vocati sunt. Hiis nunc itineribus incedendum est  
» ut hereditas tanti nominis conservetur. Oraturi venistis ad hunc con-  
» ventum qui de communi christianorum salute sollicitus est. Rex ma-  
» ximus et potentissimus vos misit, in quem oculi omnium respiciunt,  
» cujus progenitores saepe rem christianam tutati sunt. Audiamus quam  
» rebus afflicti consolationem affertis. Non ambigimus quin vobis multa  
» commissa sint. Consulite in medium quae pacis inter christianos, quae  
» belli contra Turchos sunt, et spem quam de vestro adventu concepimus,  
» implete. Sapientes viri estis, et periculum in quo sumus agnoscitis. Christi  
» an Mahumeti lex plus valeat in certamen venit. Jam ferus ille terribilis  
» coluber evangelium Salvatoris nostri ex Asia deturbavit. Aegyptios, Alfros,  
» Mauros et Hispaniae partem suae subegit vesaniae. Et diebus nostris,  
» Bizantium, urbem regiam et orientalis quondam imperii caput, armis  
» evicit, et usque ad Danubium ac Samum signa protulit. Jam Hungaris  
» imminet, jamjam Germaniae et Ytaliae servitatem minatur, nec cessabit  
» victoriam sequi nisi resistemus. Animo taedet referre quanta patiantur  
» infelices christiani qui proximi sunt rugienti et saevissimo leoni. In ser-  
» vitutem pueri rapiuntur; matronae et puellae libidinem foedissimae gen-  
» tis explere coguntur, virorum alii truces et cruceos, alii pales subiunt.  
» Quidam, Yzaiae exemplo, secti per medium animas tradunt; quibusdam

» etiam, in morem Bartholomaei, cutis adimitur. Nullum tormentorum  
 » genus, quod non ferunt nostri. Non aetati, non sexui parcitur; sanguis  
 » omnium qui pereunt, ex nostris manibus requiretur. Jam Rasciani.  
 » aetate nostra, deseruerunt a fide; jam Bosnenses defecerunt; Bulgaria  
 » et Graecia tota Turcorum est, nisi Peloponensium portio quaedam:  
 » Albani exhausti sunt; Hungari fessi; Walachi exterriti; nisi opem ferimus,  
 » aut fugere, aut sese dedere et cum perfido Mahumete Christum blasphe-  
 » mare cogentur. Et nos interim, miseri, inter nos contendimus: absque  
 » hac lite fatiscant christiana jurgia. Resurgat pax, si non perpetua, saltem  
 » temporalis, donec Turchorum pestis ab Europa arceatur, quod facile fiet  
 » si magnus rex vester et pius suas manus, suas interposuerit operas, et  
 » vos ipsi suo nomine assurgatis, totis viribus consulendo, dirigendo,  
 » nichil omittendo usque, pace inter christianos composita, terrestris et  
 » maritimus exercitus ducatur in Turchos, adversus quos raro sine Fran-  
 » corum sanguine feliciter pugnatum est. Ceterum quia pragmaticae sanc-  
 » tionis superius incidit mentio, cujus secreta magis pulsavimus quam  
 » aperuimus, urget nos conscientia, ymmo verius caritas qua genti vestrae  
 » devincti sumus, priusquam dicendi finem facimus, de hac re pauca librare,  
 » ne taciturnitas nostra indulgentia reputetur et quidem sanabile vulnus  
 » immortale fiat et nos a consortio vestro oporteat abstinere, quum sicut  
 » in veteri lege sancitum est: *Super omnem animam quae mortua est,*  
 » *non ingredietur pontifex.* Quod, teste Jeronimo, perinde accipiendum  
 » est ac si dicat: ubicunque est peccatum et in peccato mors, illuc pontifex  
 » non accedet. Cupimus sanctam esse Francorum gentem atque omni ca-  
 » rere macula, dicere cum apostolo: *Despondi enim vos uni viro, virgi-*  
 » *nem castam exhibere Christo.* At hoc fieri non potest, nisi haec macula  
 » sanctionis seu ruga deponatur quae, quo modo introducta sit, ipsi  
 » nostis; certe non auctoritate generalis synodi, nec romanorum decreto  
 » pontificum accepta est, quamvis de causis ecclesiasticis tractans abs-  
 » que placito romanae sedis stare non possit. Ferunt aliqui ideirco ini-  
 » tium ei datum quia nimis onerarent regnum Franciae romani pontifi-  
 » ces, nimias exigendo vacantias. Mirum si haec ratio Karolum regem  
 » movet, quem esse dicunt praedecessoris sui Karoli Magni imitorem,  
 » cujus haec verba leguntur: — In memoriam beati Petri apostoli, ho-  
 » noremus, inquit, sanctam romanam Ecclesiam et sedem apostolicam, ut

» quae nobis sacerdotalis est mater dignitatis, esse debeat ecclesiasticae  
 » magistra rationis, quare servanda est cum mansuetudine humilitas, et  
 » licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur jugum, tamen fecimus  
 » ut pia devotione toleremus. Non est credibile Karolum qui modo vivit  
 » et regnat, suo sensu hanc pragmaticam introduxisse: deceptum putamus  
 » et pia menti non vera suggesta. Nam quo pacto pius princeps ea ser-  
 » vare sinisset, quorum praetextu summa sedis apostolicae auctoritas legitur  
 » enervata viribus, libertas unitasque perimitur? Durum verbum, durius  
 » factum; audiatis patienter, hortamur; vulnera quae putrescunt, non olei  
 » lenitate sed vini potius austeritate sanantur. Non ponderamus causarum  
 » auditionem, beneficiorum collationem, non alia multa quae curare pu-  
 » tamur: illud nos angit quod animarum perditionem ruinamque cernimus  
 » et nobilissimam regni gloriam labefactari. Nam quo pacto tolerandum  
 » est clericorum iudices laycos esse factos, pastorum causas cognoscere?  
 » siccine regale genus et sacerdotium sumus? Non explicavimus honoris  
 » causam qua diminuta est in Gallia sacerdotalis auctoritas; episcopi me-  
 » lius norunt qui, pro nutu potestatis secularis, spiritualem nunc gladium  
 » exercent, nunc recludunt; romanus vero pontifex, cujus parochia orbis  
 » est, cujus provincia Oceano clauditur, per regnum Franciae tantum  
 » jurisdictionis habet quantum placet parlamento. Non sacrilegum, non  
 » patricidam, non haereticum puniri permittitur quamvis ab Ecclesia, nisi  
 » parlamenti consensus assit cujus tantam esse auctoritatem nonnulli exis-  
 » timant, ut censuris etiam nostris aditum praecludere possit. Sic iudex  
 » iudicum, romanus pontifex, iudicio est parlamenti subjectus. Si hoc ad-  
 » mittimus, monstruosam rem facimus Ecclesiam, et ydram multorum ca-  
 » pitum introducimus atque veritatem prorsus extinguimus. Periculosa res  
 » haec, fratres venerabiles, quae hierarchiam omnem confundit; nam, cur  
 » regibus, cur aliis praesulibus sui subjecti pareant, cum ipsi superiori  
 » non pareant? Quam quisque legem in aliam statuerit, eam sibi servan-  
 » dam putet? Verendum est ne prope assit quod ad Galathas videtur signi-  
 » ficare Apostolus, quod *post discessionem revelabitur homo peccati*. Adven-  
 » tum quippe Antichristi sollicitant qui discessionem a romana Ecclesia  
 » quaerunt, qualem pro se ferre videntur, quae sub obtentu pragmaticae  
 » fieri videantur; sed credimus haec, ut ante diximus, regi vestro incognita  
 » esse, cujus natura benigna est et inimica mali. Docendus est et instruendus

» dus ne pestem hanc in suo regno debachari amplius et animas interficere  
 » sinat. Vos, episcopi, lucernae ardentes, coram eo candelabra lucentia in  
 » domo Domini sic lucete, ut lux vestra tenebras omnes ac caligines prag-  
 » maticae sanctionis ex nobili christianissima Francorum gente depellat,  
 » solumque lumen solis, id est veritatis splendor et claritatis elucescat.  
 » Quod si rex vester opera vestra fecerit, et vos, prophetae, mercedem re-  
 » cipietis a Domino, et ipse par suis progenitoribus et major, per omnes  
 » orbis ecclesias, in romana potissimum, jure merito et erit et vocabitur  
 » christianissimus. »

---

Nota quod post obitum Johannis de Lesignen regis Cypri, successit alter Henricus de Lesignen, quem alii dicunt fuisse fratrem Yzabellae ducissae Burgundiae, filium Johannis de Cuymbre, regis Portugaliae, qui solam reliquit filiam, quam duxit uxorem comes Gebennensis, filius ducis Saboudiae, circa annos Domini M CCCC XXXIII. Sed hic multa passus, a Sarracenis fugatus fuit et expulsus a regno, quod bastardus quidam usurpavit cum filia Ferdinandi regis Ceciliae. Denique, cum a Venetianis urgeretur, vocavit in auxilium admiraldum soldani Babiloniae et Egypti, qui stipe conductus accessit; cum nollet regnum absque tributo bastardo dimittere, praefatus admiraldus ab eo peremptus est. Deinde Venetiani pacem cum eo percutientes eundem regem similiter interemerunt, et cum soldano Turehorum foedus ineuntes, ab eo sibi regnum sub tributo tenere coeperunt, anno Domini M° CCCC° LXXVIII°.

Peloponesus, imperio Graecorum subditus, amissus est; Lemni, Ymbri, major quoque pars Trachiae juxta Constantinopolim perdita; item Coreyra quam Corphum appellant, Cephalonia, Zaebintos, Yzacha, Leuebos, Euboya, Cyclades insulae, Cretha, Rodus, Cypra, Chios, Lesbos et in mari Aegeo insulae. In Europa, Epyrus, Illiricum, Achaia, Phocis, Boetia, Attica, Macedonia; sed in Azia principatus barbarorum, sicut in inferiori Misia ac superiori adhuc obediunt imperio Graecorum. Est et Syrorum non parvus numerus, reges non pauci ydiomate divisi, regnum Yberum et Celanorum, et praeter haec Ostrogothorum et Albanorum, Croatorum et Gothorum, neenon Moldovalachia et quae major Valachia, regnum Triballorum, et juxta Yperboreos montes, Russorum maxima respublica et magnae Russyae rex; in ea multi reges; in inferiori, paucis demptis, imperio Constantinopolitano parent. Sed haec omnia regna novissime a Turehis sunt occupata.

Ipsa die Transfigurationis Domini, scilicet die Sixti, Calixtus papa obiit non sine stu-

pendo miraculo sanctitatis. Nam zelo fidei prius ordinaverat missarum indulgentias et pro sonitu campanae similiter ad honorem Dei, pro victoria fidelium, quam forte precibus suis et aliorum orationibus, Deus ex alto concessit.

Pius II<sup>m</sup> electus fuit xiii kalendarum septembris, qui Corsiniani ortus, Picolhominus Aeneas, patre Silvio cive Senensi, qui dejectus a republica apud Corsinianum ex conjugē sua Victoria, quae sompniabat puerum eum mitra se enixam, eum genuit, sicut obitu Calixti papae ita tempore Pii accidit. Dum signo crucis multi insigniti contra Turchos pergerent ut uno simul impetu, ac si tempestas valida sequenti serenitate sedaretur, sic omnes evanuerunt perpauca in zelo Dei procedentibus.

Mortuo Ladislao rege Hungariae, Mathias regnum accepit qui postea duxit filiam Ferdinandi regis Ceciliae uxorem, et devicit Georgium occupatorem regni Bohemiae, ut super duo regna regnaret; sed imperator Fredericus III, dux Austriae, se opposuit, dicens regnum Bohemiae in suas manus devolutum esse, unde Praga magna tandem illum suscepit. De qua Aeneas, qui dictus est Pius II<sup>m</sup>, gloriose commemorat solam esse civitatem cui nec modo Roma vel aliae possent civitates comparari.

In Bruxella cum domino delphino Franciae, dominus de Montaubain, bastardus Armigniaci, Johannes Lescun et dominus Johannes de Noeltelget dederunt consilium ut peteret locum firmum a duce sibi pro mora sua assignari, timentes a rege qui indignabatur eisdem, capi per deputatos, et a post inter nobiles curiae boni ducis Philippi nunquam concordia servabatur. Mox a vulgo dicebatur non ad bonum esse introductum delphinum, et experientia probavit effectum. Nam idem delphinus fuit quietus nunquam, semper secreto sciebat ex Francia patris voluntatem et ideo Tornacum tetendit, ubi magnifice receptus, juravit illis de collegio episcopali quod jura civitatis servaret, si contingeret tandem eum sedere super thronum patris.

Nota de narratione super ingressu fratris Adriani prout confessio scripturae suae declarat. Ex quo tamen Dunis in habitu submisisset se regularibus ejusdem loci constitutionibus et observantiis, prout in fine deducitur hujus epistolae, realiter et cum effectu quod formidabat expertus est, abdicationem mundi cum concupiscentiis suis in claustro reseccari cotidie deberi.

Pius II papa, Ratisponae pro nobilibus Almaniae concordandis concilium statuit. Postea Mantuae generale concilium convocavit pro principibus totius christianitatis, ut adessent, in quo cruciam ipse proposuit ore proprio. Siquidem et ipse magnus orator extiterat et quia spem amiserat de principibus ex Almania pro tutiori praesidio fidelium in Ytalia, post obitum regis Alfonsi, confirmavit illegittimum ejus filium Ferdinandum super regno Neapolitano, quod Ecclesiae romanae competit, detruso Renato rege, prout patebit in epistola. Similiter et Mathaeum super regno Hungariae confirmavit. Unde maxima suboriebatur discordia atque nobilium divisio per illa regna, de quibus suis in locis.

Eodem hoc anno Gandavi dux Philippus receptus fuit, quem villa sumptuose per

aliquot dies retinuit, aperiens populi gravamen propter denarios in pace Gaverensi compromissos ad VII annos. Nichilominus addidit repetere praefatus dux totidem annos, et ei cives annuerunt timentes de subiectione perpetua, quod cum idem dux continuaret ad mortem, ejus filius Karolus repetiit et cum difficultate ad mortem retinuit. Postea successori suo Maximiliano negaverunt, qui duxit filiam Karoli ducis uxorem.

Per ducem Philippum plurimae legationes ad regem fiebant ad mitigandum regis animum quo turbabatur in eum, quod idem dux de novo sine consensu suo ligam contraxerat cum inimicis coronae, unde significavit se rebellionem a suis nolle sustinere. Quapropter magna turbatio exorta est. Unde Leodienses venerunt et querelam de duce fecerunt, pro quibus rex male contentus dixit eum multa servare loca in grave prejuditium coronae quae repetere debuit, non obstante contractu Attrebatensi. Ex amicis igitur ipsius ducis aliqui iter assumpserunt ad interrogandum de rei veritate qui, cum venissent ad loquendum cum rege Francorum super materia dicta, rex se nullam indignationem adversus nepotem suum ducem Philippum certificavit habere, insuper quod non cogitasset ei velle nocere, dato quod cum adversariis coronae non in prejudicium ipsius ad foedera recurrisset. Sed addidit adesse tempus ut delphinus filius ejus rediret ad curiam suam, quum indigebat assistentia ipsius. Revertentibus igitur illis ad ducem Philippum Brugis, multum accepta fuere verba hujuscemodi.

Obiit hoc anno rex Ceciliae et Neapolis Alfonsus, cui successit filius ejus illegittimus Ferdinandus. Hic, ut fertur, frater erat Johannis regis Hispaniae et Navarrae, sed naturalis tertius frater magistri Alicantii. Item post mortem Ladislai regis Hungariae et Bohemiae, sub capitaneis cesserunt eadem regna, et factus est Mathias rex Hungariae, qui tandem conjugem cepit uxorem filiam Ferdinandi. Nam ipse rex Ferdinandus prolem utriusque sexus plurimam suscepit, quam ditavit et magnifice provexit, de quibus in aliis locis declaratur; nam unum de filiis misit ad curiam Burgundiae, pro filia ducis Karoli, de quibus in sequentibus. — De laude hujus Alfonsi, Guarinus Veronensis poeta: « Quis adeo pectoris obtusi est rerumque ignarus, cui regis Alfonsi majestas, » splendor aut gloria inaudita sit? Quis in excogitando ingenium, in apparando diligentiam, in efficiendo perseverantiam, in exercitu ductando sapientiam, in belligerando » fortitudinem, in victoria mansuetudinem, in omnibus magnificentiam ac liberalitatem » non admiretur? Tantarum virtutum testis est Hispania, natale solum, regum magistra, » testis est Africa ubi Cartago, Romani quondam imperii aemula, se tributariam ejus » esse gavisa est. » — Mortuo comite Tagliacotii, praefecto urbis a Calixto facto, comes Aversanus et Neopolion Ursinus pro hereditate sua certare coeperunt, ex quorum altereatione populus romanus multa perpessus est. — Patriarcha Anthiocenus, vir sanctitate et miraculorum gloria plenus, in Urbe moritur, anno aetatis suae centesimo. Hic a diebus adolescentiae tantam abstinentiam aggressus est, ut reliquum tempus in eo cibo quo vitalis spiritus minime probaretur, se sustineret, et prae victus tenuitate corpus cum cum

ceteris membris poene reliquerat ut neque stare vel incedere vixque manus movere posset.

Johannes dux Clivensis, comes de Marka, cum domino Guillelmo Tornacensi episcopo et abbate simul Sancti Bertini, directus est ad curiam regis Francorum ex parte boni ducis Philippi, quatenus intentionem regis reportaret, et fertur quod responderit rex: si filius obedire patri vellet, non opus erat tutiora loca repetere, quasi liberum non esse paterno sub tecto reputans illum et de multis aliis reportatis. Postea praefatus dux Johannes iter versus Mantuam, ex parte dicti ducis, suscepit, pergens ad sororem suam salutandam Aurelianis, et ad parvulum nepotem suum, Aurelianensem scilicet juvenem ducem Karolum. Quo quidem revertente de concilio Mantuano, ubi omnes affuerant deputati principes christiani, cruciata in Turchos proposita, repperit filium sororis suae Adulphum, patrem suum Arnoldum ducem Ghelriae captivum servare et pro eo patriam occupare: quare continuo contra praedictum juvenem arma tulit, in quo non praevaluit; sed aliquibus villis adhaerentibus patri, aliquibus filio, fere x annis guerrae protractae sunt; et tandem ut patebit post, idem filius captivus retentus fuit a Karolo filio Philippi ducis Burgundiae, qui post mortem ducis Arnoldi ducatum ad se traxit et Neumagium armis compeseuit, quod semper filio favorizabat. Tandem se reddidit Maximiliano de Austria, filio tertii Frederici imperatoris, qui filiam dicti Karoli duxit.

Arturo duci Britanniae defuncto, successit Franciscus ejus fratruelis qui de filia comitis Fusniacensis genuit filios et filias plures, ejus primogenita nupta fuit Edwardo principi Gualliae, filio Edwardi moderni regis Angliae, anno Domini M° CCCC° LXXXI°.

Filius Ricardi comitis de Montfort duxerat uxorem filiam Francisci ducis Britanniae quae, non relicta prole, obiit.

Domina delphina puerum cui nomen Joachim, enixa est in castro Genepiarum non longe a Bruxella, quem puerum de sacro fonte levavit Karolus comes Cadrolatanus ut in amicitiam delphini firmaretur, sed non ex corde dilectio, sed ostensio processit; praefatus vero filius delphini naturali succubuit mortis aegritudine, sepultusque fuit apud Sanctam Gudulam magnifice, prout decuit.

1459.

Anno Domini M° CCCC° LIX°, Turchi totam Graeciam et maximam partem regni Hungarorum devastarunt. Princeps etiam Tharentinus contra Ferdinandum regem novum Neapolitanum sive Siciliae et Arragoniae fortiter agere coepit et bellis cum gravissimis laccessivit. Quo comperto, Turchi paulatim coeperunt appropinquare et invadere partem illam; sed pace com-

posita, juravit Ferdinandus rex fidem defendere christianam, quod male servavit. Porro summus pontifex Pius II<sup>us</sup>, immuni Turchorum severitate permotus, obviandum ipsis fortiter pluribus sollicitavit mediis, nunc conventus, nunc concilia faciens in quibus cum se parum proficere conspiceret, temptavit semetipsum objicere, maxima belli parans machinamenta; sed quomodo quaesierit assistentiam a principibus christianis, patet ex epistolis quas diversis delegavit, quae quidem hystoricae sunt, et idcirco scribere curavi.

*Oratio prolata per Pium II<sup>um</sup> proprio ore Mantuae in concilio coram principibus ibi convocatis, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LIX<sup>o</sup>.*

« Cum bellum hodie adversus impiam Turchorum gentem, pro Dei  
 » honore ac salute reipublicae christianae suasuri sumus, bene est, vene-  
 » rables in Christo fratres ac filii dilectissimi, priusquam vos verbis  
 » aggrediamur, Divinitatem ipsam cujus primo auxilium expetendum est,  
 » paucis in hunc modum verbis affari : Protector noster aspice, Deus, et  
 » respice in faciem Christi tui; miserere plebis tuae et ne des hereditatem  
 » tuam in perditionem quam prope modum instare videmus. Surrexerunt  
 » enim homines iniqui et impii qui te non noverunt, venerunt gentes in  
 » hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum; posuerunt Jeru-  
 » salem in pomorum custodiam. Vineam tuam exterminavit aper de sylva  
 » et singularis ferus depastus est eam. Nos quamvis in hoc loco, tuo ut arbi-  
 » tramur consilio, ad tuendam religionem tuam convenimus, nichil tamen  
 » possumus nisi ades; nichil sine te valet humana fragilitas; tua est po-  
 » testas, tuum est imperium, tua est virtus omnis, qui fundasti coelum  
 » et terram, mare et omnia quae in eis sunt. Idem est tibi velle quod  
 » posse. Nichil est quod tuae valeat resistere voluntati; adjuva nos in te  
 » uno sperantes animo; fac nobiscum signum in bonum et mitte auxilium  
 » de loco sancto tuo; da nobis cor ut faciamus voluntatem tuam et in  
 » praeceptis tuis ambulemus. Scimus quia non dees, Domine Deus, open-  
 » tuam suppliciter implorantibus, sed nos ipsi desumus nobis; frigent  
 » pectora nostra, caloremingere,ingere flammam, ure corda nostra et  
 » renes nostros ut tuo tantum igne succensi, quae sunt placita tibi sem-  
 » per meditemur et faciamus. Vos autem magnanimi et generosi proce-



» res qui adestis, ne claudite, precamur, aures; ne divertite mentem;  
» aperite Deo interiora vestra, qui mox audire volentibus in animas vestras  
» illabetur ut vos sibi templum et habitaculum faciat. Audite nos sua vice  
» loquentes. Verba nostra verba Dei sunt, qui filii sui, Domini nostri  
» Jhesu Christi, quamvis indigni vices in terris gerimus: ipse nos fari  
» jubet; ipse verba in ore nostro posuit; ipse nos bellum in Turchos sua-  
» dere imperat. Nec vos sacerdotes nostro compellemus sermone, quos  
» constat armis ineptos esse, sed vos illustres duces, vos marchiones, vos  
» comites, vos regum ac principum oratores, vos fortes et exercitatos in  
» bellis viros, verba nostra commonefaciant et vos requirant quibus datum  
» est arma tenere, non ut inter vos dimicetis sed ut ecclesiam et religionem  
» christianam a barbarorum et infidelium incurribus defendatis. *Potestas*  
» *enim*, ut inquit Paulus, *gladium portat ad vindictam malorum, laudem*  
» *vero bonorum*. Videtis itaque in quo statu, in quo discrimine sumus et  
» quantum a Turchis urgemur, premimur et infestamur. Nec ignoratis nisi  
» impetum eorum retunditis, haud dubium quin evangelica lex et omnis  
» nostra religio pessumdetur. Audite igitur, viri fortes, atque attentas adhi-  
» bete aures suasuro bellum quod vobis hodie incumbit. Tria enim, ut nostra  
» fert opinio, principaliter explicanda sunt et persuadenda. Primum est ut  
» causas justas atque urgentes ostendamus propter quas pugnare oporteat;  
» secundum ut facultates adesse doceamus belli gerendi et certam quodam-  
» modo victoriae spem faciamus; tertium ut magna sequuturos praemia  
» victores patefaciamus. In hiis nobis hodie elaborandum est atque in hiis  
» tota nostra consumetur oratio. De causis belli gerendi primum dicere  
» oportet, quae duae sunt praecipuae: prima est ut susceptas injurias ulcis-  
» centes, res amissas recuperemus; altera ut futura quae prope imminere  
» cervicibus nostris videmus, pericula evitemus. Ostendamus igitur quae-  
» nam sunt illa quae amisimus et quas vobis injurias ac Deo nostro Turchi  
» intulerunt, et certe injustam guerram motam facile cognoscetis, si quae  
» fuit olim christiana religio et quae nunc sit omnino aestimabilis. Cognos-  
» cite hoc, rogamus, et quantum gloriari possitis, animadvertite sacrosanc-  
» tum evangelium quod ablatis ydolorum spurcitiis, Salvator noster mundo  
» inseruit. Non unum dumtaxat terrae angulum, non unam provinciam,  
» sed universum fere orbem implevit, quemadmodum regius propheta de  
» beatis apostolis futurum praeviderat, dicens: *In omnem terram exivit*

» *sonus eorum*, etc. Per hos enim evangelium mundo innotuit, quos ex pis-  
 » catoribus Salvator ipse praedicatores effecerat, dicens eis : *Venite ad me,*  
 » *faciam vos fieri piscatores hominum.* Nec vana fuit promissio : piscati  
 » sunt enim apostoli, non sibi ipsis sed Christo Domino universum orbem ;  
 » omnes reges, omnes populi in eorum retia inciderunt. Impletum est illud  
 » Danielis vaticinium dicentis : *Omnes gentes, omnes tribus, omnes linguae*  
 » *servient ei.* Verius Christo quam Augusto Virgilianum id attribui potest :  
 » *Super et Garamantes et Indos profert imperium ; jacet extra sydera*  
 » *tellus, extra anni solisque vias, ubi coelifer Athlas axem humero torquet*  
 » *stellis ardentibus aptum.* Nam circa tempora Constantini Magni, natum  
 » ex Maria puerum Indi simul et Hispani colebant, nec septentrio, nec me-  
 » ridies Christum ignorabat. Vox romani praesulis, tanquam Jesu Christi  
 » vicarii, maria penetrabat et terras ; pax alta per omnes et tranquilla quies  
 » christianos ibat ; jacebat *pardus cum agno et leo cum vitulo accubabat,*  
 » *gens sancta, gens electa, populus acquisitionis,* christiani habebantur,  
 » tributa ex gentibus et populis accipientes, erantque positi in capite om-  
 » nium. Haec fuit olim majorum vestrorum, o christiani, gloria ; hoc impe-  
 » rium, haec auctoritas. Nunc quo vos Turchi et Sarracheni redegerunt,  
 » paucis animadvertite verbis, docebimus. Indi et Armeni, quamvis chris-  
 » tiani, tamen multis erroribus versantur, ignorantes quam nosse debuerant  
 » Christi legem, ignorantur etiam a Domino. Quid reliquum est Aziae et  
 » Africae ? Christi nomen atque legem nunc impacato persequuntur odio.  
 » Coepit haec calamitas sub Eraclio Caesare. Nam cum aperta esset omnibus  
 » via salutis per Christum, Dei filium, qui annis antea circiter sexcentis  
 » mortem nostram moriendo destruxerat, invidens humano generi dyabo-  
 » lus ac nimium dolens Christum ubique regnare, pseudo-prophetam exci-  
 » tavit in Arabia, Machometem nomine, sceleratum hominem qui se Dei  
 » nuncium ementitus, contrariam Evangelii legem condidit, de qua paulo  
 » post suo loco dicemus. Degenerarat jam apud Graecos imperium et ro-  
 » mana virtus sub aliud translata coelum elanguerat, quae res christianas  
 » opes paulatim evertit. Manserunt tamen in Azia plures christiani usque  
 » ad tempora Pippini Francorum regis, qui anno abhinc circiter sexcente-  
 » simo migravit, et Karolus Magnus nomine, filius ejus, successit, qui apud  
 » Germanos et Gallos regnavit. Tunc vero digressi a Scythia Turchi, Ca-  
 » padochiam, Ponthum, Bithiniam, Troyadem, Ciciliam et omnem mino-

» rem Aziam occupaverunt, ac nostra negligentia potentes facti non solum  
 » veros christianos ex Azia pepulerunt, sed, transmissis navibus Hellesponto,  
 » Machedoniam, Trachiam, Atticam, Boethiam, Phocidem, Achayam, Achar-  
 » naniam, Epyrum, Poeniam et utramque Misiam armis invasere et in Ægeo  
 » ac Ionio mari Cyclades et alias quamplures insulas sibi subjicientes, hoc  
 » christianis ad Orientis terminos posuere. Ad Septentrionem gelidamque  
 » Arcton, Litvani, Polonis contermini, magna ex parte ritu vivunt genti-  
 » lium, et ultimi Norwegii populi cum semiferis hominibus bellum gerunt.  
 » Veteres etiam Hungari ad ortum Thanays jacentes, et Tartari cum quibus  
 » pugnant Livoni, Christum prorsus ignorant. Hi sunt termini vestri, o  
 » christiani; sic circumdati estis; sic in angulum coartati, potentissimi  
 » quondam domini et orbis possessores. En quantum imperium amisistis,  
 » quot nobiles urbes, inter quas etiam Judaeam neglexistis, terram sanc-  
 » tam, terram nobilem, terram lacte et melle fluentem, terram in qua  
 » primi fidei nostrae flores apparuere. Heu pudor, heu dolor! fons et origo  
 » nostrae salutis, Syon ad hostes defecit. Templum illud Salomonis fama  
 » clarum, in quo Dominus totiens praedicavit, Bethleem in qua natus est,  
 » Jordanem in quo baptisatus est, Thabor in quo transfiguratus, Calva-  
 » riam in qua crucifixus, nunc ipsius crucis possident inimici. Sepulchrum  
 » Domini gloriosum, lectumque illius purpureum, crocos spirantem et  
 » suavissimis fragrantem odoribus, in quo propter nos et vitam nostram  
 » obdormivit in Domino, nisi velint hostes, invisere non potestis. At Sar-  
 » raceni Mechem habent in qua, si vera est fama, falsi prophetae cadaver  
 » in archa ferrea conditum vi magnetis pendet in aere. Nos vero infelices  
 » ac miserissimi christiani sepulchro Dei nostri et urbe clarissima Jeroso-  
 » lima privati sumus. Tacemus Alexandriam, Thebas, Memphim et omnem  
 » Egyptum; tacemus Antiochiam, in qua primum est auditum christiani  
 » nomen; tacemus Ephesim et alias sedes apostolicas in Azia perditas;  
 » tacemus septem ecclesias ad quas scripsit Johannes evangelista apoca-  
 » lipsim. Jerosolimam, novi ac veteris testamenti matrem, in hostium esse  
 » potestate satis flere et dolere non possumus, pro qua recuperanda nullus  
 » labor est evitandus, nullumque bellum declinandum. Nam si pro repe-  
 » tendis rebus justam belli causam veteres putavere, quis umquam justius  
 » induit arma quam vos, christiani, quibus tot regna, tot provinciae sunt  
 » erepta, tantum ablatum imperium? Judaei enim, cum foederis archam

» amisissent, pro recuperatione illius nullum belli periculum vitavere.  
 » Graeci ob raptam Helenam bellum decennale gessere. Carthaginenses  
 » propter fines paululum ampliandos eruentissima bella cum Cyrenensibus  
 » commisere, pro quibus etiam Phileni fratres interiire. Romani saepe  
 » sociorum causa, sumptis armis in pugnam exiere. Revolvite omnes his-  
 » torias, nunquam ullum bellum tot causas justas habuit, quot vobis  
 » adversus Turchos occurrunt. Sed quid ad nos, dicat aliquis; veteres  
 » toleraverunt haec dampna, hanc infamiam; cur nos meliores illis, majo-  
 » rum injurias tanta gloriae cupiditate nostro sanguine vindicemus? Esto  
 » patres vestri negligentes fuerint, honoremque suum parvifecerint; an  
 » propterea vestrum negligetis et duplici notari turpitudine, hereditaria  
 » scilicet et vestra, vos patiemini? An potius, deteresa primogenitorum  
 » infamia, gloriosum nomen acquirere conabimini? Sed negligamus haec  
 » si libet sic, antiquam ignominiam, vetusta dampna referre; nec vos urgeat,  
 » quod pugit avos. Transeat omnis Azia, omnisque Affrica, Europam inspici-  
 » ciamus et nostri temporis reddamus rationem. An parum nostra aetate,  
 » nostra culpa, perditam Constantinopolim, orientalis caput imperii ac  
 » totius Graeciae columen, non patres nostri, sed nos ipsi amisimus, qui  
 » dum torpentes in otio, domi sedemus, usque Danubium et Samum Tur-  
 » chorum arma penetravere. Capta est culpa nostra nobilissima urbs regni  
 » quam Pausanias primus condidit, Constantinus Magnus instauravit et in  
 » aemulationem antiquae Romae amplificavit et magnificavit. In ea gentis  
 » nuper imperator et Constantinus nomine, interemptus est; ingens chris-  
 » tianorum trucidata turba; templa magni Dei nostri polluta, inter quae  
 » nobile opus Justiniani, Sanctae Sophiae vocatum tetro Machometi nõ-  
 » mine foedatum est; matris Domini Beatae Mariae virginis et aliorum  
 » sanctorum ymagines deletae sunt; altaria diruta; reliquiae martyrum  
 » porcis objectae; sacerdotes occisi; matronae et puellae ad libidinem  
 » raptae; nobiles urbis intervina et epulas jugulati; Salvatoris nostri symu-  
 » lachrum in cruce pendentis per derisionem atque contemptum, praece-  
 » dentibus qui dicerent: Hic est christianorum Deus; — in castra delatum,  
 » luto, sputo atque omni foeditate petatum. Nova haec sunt, et sub oculis  
 » nostris miranda haec gesta fuere, et tamen excitari non possumus. Cum  
 » vitulis marinis, cum Druso dormimus, letargum patimur qui tot con-  
 » tumeliis agitati, e sompno surgere non valemus. Heu furias! heu artes

» demonum! Pugnare potius inter se christiani volunt quam Turchos ad-  
» riri; civilia magis bella cupiunt quam externa et saepe parvis de causis,  
» cruentissima committunt praelia. — Pulsat modo villicus, modo servus,  
» nec magnos in arma traxit reges. Adversus Turchos qui Deum nostrum  
» blasphemant, ecclesias nostras diruunt et christianum nomen perdere  
» satagunt, nemo audet arma sumere. Omnes in arcum pravum dati sumus;  
» declinavimus omnes, simul inutiles facti sumus : non est qui faciat bo-  
» num, non est usque ad unum. Sed cogitabitis melius, viri prudentes, for-  
» tem induentes animum, recuperare quae sunt amissa et acceptas injurias  
» vindicare conabimini. At tantum de priori causa belli gerendi dictum sit;  
» nunc alteram attingamus, hoc est ut futura et prope imminetia peri-  
» cula cervicibus nostris evitemus. Possent fortasse aliquomodo tolerari  
» praeterita, si malorum finis esset et non majora impenderent discrimina.  
» Sed quo pacto sperare quietem ab ea gente possumus, quae sanguinem  
» nostrum sitit? Juvenis est adversarius noster, aetate florida, robusto cor-  
» pore, animo vasto et tumido cursu: victorias quas sibi, nostra negligentia,  
» peperit, gloriatur adeptas. Deceptus est si quis adolescentem quieturum  
» esse, auro habundantem, armis assuetum, dominandi cupiditate inflatum  
» existimat. Ponite hanc spem : nunquam ille arma deponet, nisi aut victus  
» aut omnium victor fuerit; proxima enim victoria illi gradus erit alterius,  
» donec subactis occidentalibus regibus, deleto Christi evangelio, legem  
» ubique inferat Mahumethicam; neque arbitremini longam moram, prius-  
» quam nobis aderit. Nam vicinae illae gentes tot bellis attritae, nisi opem  
» feratis, amplius arma capere non adebunt. Soli fideles perseverant Hun-  
» gari, non tamen diu stabunt nisi adjuti, et hii quidem muri loco vobis  
» ad Orientem remanserunt; quo diruto, neque Theuthones, neque Bo-  
» hemi, neque Poloni satis tuti erunt. Non asperi montes, non alta flumina  
» iter impediunt. Nichil erit, victa Hungaria, Turchis invium, nichil insu-  
» perabile orbis imperium quaerentibus. Per Carnos et Forumjulii ter-  
» restribus copiis facile in Ytaliam patebit transitus : navalis exercitus  
» ex Vallachia, quam Turchi possident, unius noctis navigatione Brun-  
» dusium petet et superiori et inferiori parte aperta est Turchis Ytalia.  
» Utinam mendaces et falsi prophetae simus in hac parte; sed credite nos  
» folium recitare Sibillae dicentis : *Venient, venient Turchi, nisi obviam*  
» *iverimus, et auferent a nobis locum et gentem.* Non timent fortasse haec

» Hispani aut Galli sive Theutones qui Renum accolunt, neque Anglici  
 » Oceano circumfusi. At prudentes rei gubernatores bellum foris quam  
 » domi malunt et remotissimam militiam laudant. Pernitiosa et funesta  
 » sunt quae gerimus in nostris laribus bella. Nulla Romanis orbis domi-  
 » toribus suscepta calamitas durior quam in Ytalia fuit; nec Hanniba-  
 » lem felicius quam in Affrica vicerunt. Credite nobis, proceres, credite  
 » nobis; non est cur amplius dissimuletis, nec est cur amplius differatis  
 » arma sumere. Si agros vestros, si focos, si liberos, si uxores, si liberta-  
 » tem, si fidem ipsam in qua baptizati estis retinere cupitis, bellum, credite  
 » nobis, bellum geratis, oportet. Neque nos bellum injustum suademus,  
 » qui ejus locum tenemus de quo scriptum est: *Justitia et judicium prae-*  
 » *paratio sedis ejus.* — Nec plura de primo ac principali membro. Audistis  
 » praestantissimi viri et nobilissimi, quas ob causas in Turchos pugnare  
 » oportet; nam et susceptae injuriae id exposcunt, et christianorum in-  
 » dempnitati consulendum erit. Nunc quod erit secundum nostrae orationis  
 » membrum, id est an possitis hoc bellum gerere et an victoria speranda  
 » sit, animadvertite. Cum christianis nobis sermo est qui divitem Ytali-  
 » nobilem Galliam, fortem Hyspaniam, bellicosam et populosam Germa-  
 » niam incolunt: hiis arma, hiis equi, hiis homines, hiis pecuniae habunde  
 » suppetunt; hiis vires longe majores quam Turchis assunt. Audivimus  
 » tamen nonnullos esse qui Turchos supra modum extollunt, nec supera-  
 » biles putant tot praeliorum victores. Nos magnas esse Turchorum opes  
 » fatemur, sed multo minores quam fama ferantur, neque nostris quovis-  
 » modo comparandas. Illi enim, etsi omnes conatus adhibeant, supra tamen  
 » ducenta hominum milia non educent. Sed quos homines? Imbelles sane  
 » ac inermes ex Azianis atque Graecis mixtos. Nostis quanti faciant ex Vir-  
 » giliano hoc: *O vere Phrygiae, neque enim Phryges, ite per alta Dindima,*  
 » *ubi assuetis biforem dat tibia cantum. Tympana vos buxusque vocant Be-*  
 » *rechintia matris Idaeae. Sinite arma viris et cedite ferro.* Graeci, quondam  
 » illustres animae, haudquaquam vigorem antiquum retinent; degenera-  
 » verunt ferme omnes qui Turchis parent, neque in armis, neque in litteris  
 » pristinum referunt spiritum; ceciderunt omnia cum imperio; non stant  
 » simul fortia pectora et servitus. Qui fortes viri in castris Turchorum  
 » militant, ex christianis sunt ad summam XL<sup>m</sup>, nigrae animae ac infelices  
 » quae, ubi vos armatos viderint, furiis agitatae suorum scelerum et ulto-

» rem Deum ante oculos cernentes, ferrum stringere non audebunt. Re-  
» liqua turba in praelio nulli est usui, nisi ut caede sua fatiget hostes.  
» Percurrite gesta majorum. Aziana bella muliebria putaverunt. Alexan-  
» der, magni Alexandri propinquus, cum bellum gereret in Ytalia : *Frater*  
» *meus*, inquit, *in Azia cum foeminis pugnat; mihi autem cum viris cer-*  
» *tandum est.* Julius Caesar, cum de Ponti gentibus triumpharet in Azia,  
» jussit currui suo haec verba inscribi : *Veni, vidi, vici*, ac si solo aspectu  
» superandos diceret Azianos. Godefridus et alii potentes qui secum in  
» Azia militarunt, parva saepe manu innumerabiles hostium copias dele-  
» vere atque ipsos Turchos tanquam pecudes maclavere. Sed arbitramini  
» fortasse hodie meliores esse Turchos, victa Graecia, quam olim. At quales  
» sint, pugna Thaurinensis ostendit, anno ab hinc tertio gesta. Thau-  
» rinum vocavere prisei oppidum ad confluentes Savum et Danubium  
» situm; hoc aevo nostro, alii Albam, alii Belgradum vocant propter situm  
» non magni momenti castellum; id cunctis viribus suis expugnare Turchi  
» adnixi sunt, pugnatumque est die noctuque cum summa contentione.  
» Erant christiani milites qui opidum tuebantur, pauci cruce signati, non  
» nobiles aut divites, non bellis assueti aut armis tecti, sed rudes et in-  
» compositi, agrestes. Hii tamen Turchos vicere, non tam ferrum quam  
» fidem hostibus opponentes. A hiis tumidus ille Turchorum imperator,  
» insuperabilis antea creditus ac terror gentium appellatus, in acie victus,  
» ab obsidione dejectus, castris exutus, turpem arripere fugam compulsus  
» est. Quid de Johannis Hunniadi victoriis referemus? Quid de Georgii  
» Albani triumphis commemoremus, cujus aspectum Turchorum acies  
» nunquam ferre potuere? Unus nobis satis exemplo sufficit Johannes Vin-  
» timilius qui cum quadringentis militibus in Epyrum profectus, suppetias  
» nepoti ferens, supra x<sup>m</sup> hostium stravit, fudit et delevit. Hii sunt hostes  
» vestri, o christiani; cum hiis vobis hominibus pugnandum est, qui neque  
» ferire, nec feriri, nisi in terga noverunt. Quamquam etsi fortissimi essent  
» et bellacissimi hostes, in Deo tamen sperandum est, qui causae suae ne-  
» quaquam deesset, sicut scriptum est : *In Deo faciemus virtutem, et ipse ad*  
» *nichilum deducet inimicos nostros.* Orabat Moyses in monte, et populus  
» vincebat in acie. Sol suum retinuit cursum, ne victoris Josuae retineret  
» cursum. Madianitarum plenissima et munitissima castra cum trecentis  
» tantummodo viris dissipavit Gedeon. Ammonitarum numerosum exerci-

» tum cum paucis militibus superavit Jepte. Superbissimos Philisteos solus  
 » humiliavit Sampson. Nec in manu foeminae, cum Deus voluit, victoria  
 » defuit; potentes in armis Chanancos exterminavit Debora, Zyzaram inter-  
 » fecit Jahel, Judith Holofernum obtruncavit. Multa sunt hujuscemodi in  
 » veteri lege. Nec nova etiam magnificis caret exemplis. Constantino magno  
 » pugnam timenti, signum crucis e coelo monstratum est, et vox divinitus  
 » audita quae diceret: *In hoc, Constantine, vince*. De Theodosio piissimo  
 » imperatore illi sunt versus: *O nimium dilecte Deo, cui militat aether, Et*  
 » *conjurati veniunt ad classica venti!* In Britannia, quae nunc Anglia nun-  
 » cupatur, ut auctor est Beda venerabilis, Barbarorum ingentes copias  
 » pauci admodum christiani inermes alta voce canentes *Alleluja*, deleve-  
 » runt. Non est abbreviata manus Domini, quamvis a nobis elongata est  
 » misericordia sua, sed propitiabilis erit Dominus noster et mitis ad ignos-  
 » cendum; si redierimus ad eum et ipse ad nos redibit; facile per obedien-  
 » tiam placabimus quem per contumaciam irritavimus, qui ut primum  
 » nos viderit humiliato corde pro sua gloria pugnaturos, mox odium in  
 » nos conceptum vertet in hostes et victoriam nobis mittet: hanc deam  
 » esse veteres putaverunt quam Jupiter mitteret in terris, illam vero, tan-  
 » quam regi deorum obtemperantem, ad eos ire quos jusserit et in eorum  
 » parte consideret. At hoc verum est, sicut Augustinus ait, non de illo  
 » Jove quem deorum regem pro sua opinione finxerunt, sed de illo vero  
 » rege seculorum qui mittat non victoriam, quae nulla est substantia, sed  
 » angelum suum ut faciat vincere quem voluerit, sicut in castris Assyrio-  
 » rum accidit Ezechiam regem obsidentium, in quibus angelus Domini  
 » centum et LXXXV millia hominum una nocte interfecit. Haec victoria, id  
 » est hic angelus, omnibus procul dubio de coelo mittitur qui pro causa  
 » Dei magno animo pugnant. Verum quia cum eo hoste quidem nobis  
 » pugnandum est, pauca de Sarracenorum lege referre, quam Turchi se-  
 » quuntur, ut eo confidentius bellum ineatis quo foediores hostes ac magis  
 » impios cognoveritis, volumus. Sceleratissima est Machometaea lex, quae  
 » non solum Christi divinitatem respuit, sed innumerabilibus scatet erro-  
 » ribus. Nam ut praetereamus deliramenta et ineptias illas, quibus angelos  
 » corporeos de flamma ignis creatos, interituros affirmat et, Origeni con-  
 » sentiens, daemones salvandos aliquando tradit, coelum dicit de fumo  
 » factum et lunam ab initio aequae splenduisse cum sole, sed volitantis



» angeli Gabrielis ala tactam, fulgorem amisisse. Quis illud tolerare queat,  
» quod mundum, cum Democrito sentiens, fortunae casuque submittit  
» et divinam Providentiam aufert? Quid quod sacrosanctam respuit Tri-  
» nitatem et impossibile ait Deum habere filium? Et quamvis Christum,  
» ex Virgine natum, consentit, justum et sanctum hominem qui cunctas  
» curavit aegritudines, Deum tamen esse, cum Ario, negat; nec pro nobis  
» obiisse censet; sed sublatum a Deo in fine seculi moriturum et tunc  
» denique surrecturum, Judaeos autem alium sibi similem suspendisse at-  
» que interfecisse delirat. Nec Sancti Spiritus dignitati gloriaeque consentit,  
» quem creaturam esse, cum Nestorio Macedonioque, mentitur. Et omne  
» fidei meritum auferens, in sua quemque secta hominem salvari perhibet  
» alioquin recte viventem, nisi a sua lege abierit. Et quia non constant  
» mendacia inter se, alio loco simul neminem salvari asserit extra legem  
» a se traditam in qua, beato Paulo contradicens, circumcisionem servari  
» praecipit, vini tantum consuetudinem prohibens, ceteras voluptates in-  
» dulget, stupra et adulteria cum captivis et emptis admittit mulieribus,  
» uxores etiam plurimas et cum hiis divorcia passim concedit; nec concu-  
» bitus adversos naturae prohibet; postremo carnalis homo et bestialis  
» futurae vitae beatitudinem, sola carnis voluptate, metitur. En sapientem  
» hominem qui se prophetam Dei audet nominare; temerator antiquae  
» legis, novae corruptor, prostitutor animarum, verus Orci procurator et  
» primus Sathanæ satelles, cujus auditores inferni mancipia sunt, quales  
» esse Turchos non dubitamus, adversus quos armis contendere sacrifi-  
» cium fuerit et acceptissimum Deo spectaculum. Ceterum quia divinitatem  
» Christi ut diximus, impia Sarracenorum et Turchorum secta prorsus  
» excludit, non ab re fuerat hoc loco majestatem ejus et gloriam in memo-  
» riam asserre cunctisque palam facere Christum quem colimus et cujus  
» causa bellum suademus. Quae fuerant juvenili nostro in corde, utinam  
» haec nunc vires adessent, et non subiretis sine nobis ad bellum, neque  
» periculosum bellum suademus; verum esse Deum sibi que thura deberi  
» divinosque honores probabimus. Aggrediamur igitur hunc articulum:  
» semper enim conandum est ut veritas magis ac magis elucescat. Agemus  
» autem pingui Minerva, non more philosophorum, quorum vix illumi-  
» tissimae possunt intelligi mentes, sed, ut quisquis cum proximo cumque  
» vicino suo, ita et nos hodie vobiscum loquemur. Cupimus enim etiam

» a piscatoribus intelligi, qui fidem a piscatoribus accepimus. In primis  
 » autem illud assumimus, quod omnes ferme concedunt, Deum scilicet  
 » unum esse, a quo omnia condita sunt et gubernantur universa. Docent  
 » enim viri sapientes mundi machinam et tantum rerum ordinem quan-  
 » tum in mundo cernimus, stare non posse nisi unus esset rector omnibus  
 » imperans, quem Deum vocant, quo nichil majus, nichil melius inveniri  
 » aut excogitari queat: hunc nos Christum esse luce clarius ostendemus ex  
 » miraculosis ejus operibus. Nam ipse interrogatus a Judaeis an Christus  
 » esset: *Loquor vobis, inquit, et non creditis: opera quae ego facio in no-*  
 » *mine patris mei, testimonium perhibent de me.* Facessant dyalecticorum  
 » syllogismi et oratorum inductiones; ipsa opera Christi divinitatem os-  
 » tendunt, religionisque fidem confirmant facta, non verba. Ponatur illud  
 » ante oculos nostrae mentis: homo qui vocatus ad nuptias, aquam con-  
 » vertat in vinum, quocunque iter faciat, aegrotos solo verbo sanitati resti-  
 » tuat, mutorum linguas reseret, claudis gradiendi facultatem concedat,  
 » caecis lumen, surdis auditum praebeat, paraliticorum membra consolidet,  
 » respersos elephantinae maculis repurget ac non solum viros imbecilles  
 » adjiciat, sed ipsos quoque mortuos et in sepulchro quatruiduanos, tanquam  
 » sompno solutos, ad vitam revocet, secreta et cogitationes hominum intel-  
 » ligat, futura praenuntiet, daemonia ejiciet, super aquam siccis pedibus  
 » ambulet, ventis imperet et mari, postremo volens juxta sermonem suum,  
 » captus a Judaeis, crucifigatur, interficiatur, sepeliatur et tertia die resur-  
 » gat, corpusque suum palpandum discipulis offerat, edat et bibat cum  
 » illis, tandem post XL<sup>ta</sup> dies, illis videntibus, in coelum ascendat. Quid  
 » hic post tot signa dicemus? An non fuit interrogatus a discipulis Johan-  
 » nis: *Si tu es, an alium expectamus?* qui statim suos interrogatores ad  
 » miracula remisit, quia certissima divinitatis argumentatio est miraculo-  
 » rum ostensio? Sed dicet aliquis Moysem, Helyam, Helizeum, ceterosque  
 » Christi prophetas et discipulos signa et portenta fecisse ac naturae cur-  
 » sum retinuisse? Dicimus hoc praeter naturam, non supra naturam fecisse,  
 » quod est solius Dei. Idcirco Nichodemus et alii: *Scimus, inquit, ma-*  
 » *gister, quia a Deo venisti, et nemo potest haec signa facere quae tu facis,*  
 » *nisi cum eo fuerit Deus.* Si igitur cum illo Deus, et verax homo, neque  
 » enim Deus mendacibus jungitur, qui de seipso dicit in Evangelio:  
 » *Ego sum via, veritas et vita; et: Qui videt me, videt et Patrem;* et rur-

» sus : *Ego et Pater unum sumus* ; et alio loco : *Pater, clarifica me claritate*  
 » *quam habui apud te, priusquam mundus fieret.* — Quibus verbis se Deum  
 » esse Christus manifestissime testatus est. Quod si quis evangelio non  
 » credit, non videmus cur Moysi credat et aliis antiquis legis scriptoribus.  
 » Sanctum enim Evangelium multa patrum concilia approbaverunt prius-  
 » quam Ecclesiae traderetur legendum. Ad cujus robur etiam martyres  
 » accedunt qui pro testimonio Domini sua corpora tradiderunt et lave-  
 » runt stolas suas in sanguine agni ; inter quos etiam virgunculae magno  
 » miraculo, non expavere supplicia. Accedunt et sanctissimi doctores qui,  
 » cum essent perspicacissimi, nequaquam evangelio credidissent, nisi ve-  
 » ram ejus historiam cognovissent, sicut apud Graecos : Dyonisius Arco-  
 » pagita . Johannes Chrysostomus , Gregorius Naziancenus , Cyrillus ,  
 » Athanasius , magnus Basilius et alii quamplures. Apud Latinos videlicet  
 » quatuor fama illustres : Gregorius , Jeronimus , Ambrosius , Augustinus.  
 » Et ultra : Cyprianus Carthaginensis , Ysidorius Hispalensis , Hylarius  
 » Pictavensis , Eusebius Vercellensis ; et proximi aevo nostro : Thomas de  
 » Aquino , Albertus Magnus , natione Suevus , et alii pene innumerabiles.  
 » qui fidem Christi de divinitate , non more philosophorum qui sibi ipsis  
 » adversantur , sed omnes uno ore loquuntur : Sine Deo putanda non est  
 » unitas. Confert etiam multum Romanorum auctoritas , qui cum essent  
 » sapientissimi et potentissimi orbis domini , collum evangelio minime sub-  
 » misissent , nisi aut rationibus victi aut miraculis tracti. Quis praeterea  
 » viros fortes eodemque prudentes , Hispanos , Gallos et Germanos , evan-  
 » gelium suscepisse crediderit nisi magnis rationibus persuasos ? Sane cum  
 » lex gentium mollis esset , Christianorum durior , hanc nemo haud dubium  
 » subire voluisset nisi auctorem ejus Deum esse didicisset : sed illud om-  
 » nem ambiguitatem excludit , omnem titubationem avertit , omnem cre-  
 » dendi moram expellit , quod multis seculis , priusquam carnem indueret  
 » Christus . nativitatis ejus ex Virgine processio , sanctimonia vitae , mira-  
 » culorum patratio , legis praedicatio , tormentorum perpessio , captivitas ,  
 » crucifixio et mors . in coelum resurrectio et ascensio , reliquaque quae de  
 » ipso Christo legimus . in prophetiis scripta reperiebantur sicut postea  
 » gesta sunt . Legite Yazayam , Jeremiam , Danielem , David , Salomonem et  
 » alios prophetas : quaecumque de Christo jam facta commemorant evange-  
 » listae , eadem prophetiae dono . divino afflati spiritu , futura praedixere ,

» Deum suum et hominem in Christo recognoscentes. Nec Sibillarum con-  
 » tempnenda est auctoritas, quae longo tempore ante nativitatem domi-  
 » nicam vaticinatae, ut Firmianus et Augustinus affirmant, praeclara de  
 » Christi divinitate cecinerunt. Hiis conjungitur honestissima lex ejus,  
 » omni ex parte venerabilis ac modesta; nam quid aliud Christus docet  
 » quam coelestem mortalem agere vitam in terra? Jubet enim nos Deum  
 » colere, festos dies sanctificare, proximos nostros ut nos ipsos diligere,  
 » pauperum misereri, viduas, pupillos ac infirmos et imbecilles protegere,  
 » in carcere clausos et infirmos visitare, mortuos sepelire, castis necdum  
 » manibus sed etiam oculis esse, adulteria, stupra, fornicationes, jurgia,  
 » lites, ebrietates et similia fugere, primos in coenis accubitus, omnes  
 » mundi pompas omnesque blanditias evitare, reges et parentes honorare,  
 » magistratibus et sacerdotibus obedire, postremo thesauros ipsos ipsam-  
 » que felicitatem non in terra sed in coelo quaerere. Haec lex Christi est;  
 » hoc praeceptum, hoc testimonium ejus. Conjungite nunc omnia simul.  
 » — Christus ex Virgine natus, castissimam vitam ducit, signa et mira-  
 » cula facit, naturae imperat, legem perfectissimam edit, orbisque con-  
 » sensu Deum se esse dicit et hominem; prophetae, martyres et doctores  
 » sibi astipulantur. Quid haec inferunt simul juncta? Nisi verum esse  
 » testimonium Christi de seipso et ipsum verum ac indubitatum Deum  
 » esse? Machometem vero Arabicum, falsum, mendacem, perditum et om-  
 » nino respuendum qui haec omnia negavit? Verus igitur Christus, Deus  
 » verus et homo, Christus Jhesus qui cum Patre et Spiritu Sancto in tri-  
 » nitate personarum colendus, misertus humani generis, primi parentis  
 » culpa jampridem dampnati, ut nos redimeret ex arce coelesti et altis-  
 » simo Dei throno, splendor paternae gloriae, figura substantiae Dei, mo-  
 » derator orbis, judex futuri seculi, ad nos descendit. Neque rapinam ar-  
 » bitratus est se esse aequalem Deo, sed formam servi accipiens exinanivit  
 » semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis;  
 » neque ista sine suppliciis et tormentis, sed dorsum suum, inquit Ysaïas,  
 » posuit ad flagella; speciosus forma prae filiis hominum, speciem ac de-  
 » corem suum amisit, ductus tanquam ovis ad victimam et inter latrones  
 » deputatus; diviserunt sibi vestimenta sua supra quae miserunt sortem.  
 » In siti sua potatus est aceto, et spineam coronam super caput ejus impo-  
 » suerunt. Non fuit dolor sicut dolor ejus : a planta enim pedis usque ad

» verticem capitis non fuit in eo sanitas; nec tamen ejulatus emisit, sed  
 » sicut agnus coram tondente obmutuit. O homo! o christiane! o quicumque  
 » fidelis vis videri, ista Christum tulisse cur non existimas? Justus erat,  
 » nec inventus est dolus in ore ejus: cur tot suppliciiis innocens subditur?  
 » Pro te bonus Pastor posuit animam suam, et mortem tuam sua morte re-  
 » demit. Quas illi gratias pro tot beneficiis reddis? Quid facis? Quid cogitas  
 » ut gratus inveniaris? — Turchi nomen suum blasphemant; altaria sua  
 » diruunt; legem suam et hereditatem conantur perdere; et tu domi jaces  
 » in otio! — O reges, o duces, o potentes! surgite jam tandem, et Christi,  
 » Dei vestri, religionem defendite, quando nec opes, nec vires vobis  
 » minores sunt quam Turchis. Pugnaturi enim pro testamento Domini,  
 » certissimi estis vobis divinum auxilium minime defuturum. Nec plura  
 » de secundo principali membro. Tertium et ultimum modo si placet  
 » brevissimis absolvemus verbis: hoc est quae premia consequuturi sint  
 » adversus hostes fidei pugnaturi. Audite, adhibete aures, fortissimi mili-  
 » tes. Magna et inestimabilia sunt bona quae hujus honestissimi belli vic-  
 » tores adipiscemini. In primis enim quae in hoc bello acquiretis, arma,  
 » equos, vestes, aurum, argentum, servos, ancillas, agros, urbes, provin-  
 » cias, regna, juste et licite pro nostra distributione, possidebitis, et ultra  
 » haec clarissimum nomen et famam aeternam cum viris illustribus inse-  
 » quemini. Sunt haec quidem more gentium appetenda, nec majora quae-  
 » sivere Romani, Graeci, Barbari, ceterique bella gerentes. At vobis, o pro-  
 » ceres, praemia longe majora promittuntur; nam regni coelestis possessio  
 » et Christi cohereditas vobis offertur, et haec quidem non solum vincenti-  
 » bus sed etiam fortiter occumbentibus. Nam quod praedecessores nostros  
 » Urbanos, Eugenios, Innocentios, Alexandros atque alios fecisse constat.  
 » id nos etiam faciemus: omnes enim christianos cruce signabimus in hanc  
 » sanctam expeditionem ituros et pugnaturos pro lege Domini, plenissimam  
 » omnium peccatorum suorum veniam largiemur, et apostolicis clavibus  
 » coelestis paradisi portas aperiemus. *Omnibus, inquit Orator, qui patriam*  
 » *juverint, auxerint et defenderint, certum est esse in coelo diffinitum locum*  
 » *in quo beati aere fruantur sempiterno: verius et certius hoc illis pro-*  
 » *mittitur qui religionem christianam et fidem orthodoxam tuebuntur.*  
 » ac adversus impios hostes, Turchos illos, invictis animis bellum gerent.  
 » Festinemus igitur ad hoc bellum in quo morientes veram inveniemus

» vitam. Nam qua modo vivimus vita, nequaquam ipsa vita est, sed potius  
 » mors, quæ fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet: sicut  
 » lilia et flores cito deficimus. Levissima res est quæ hominem extinguit,  
 » bestiolæ minimæ nobis adversantur et parvuli serpentes morsu nobis  
 » insidiantur et sæpe uno araneæ perimus ictu: Fabius senator in haustu  
 » lactis uno pilo strangulatus est. Nichil fragilius humana vita quæ tum  
 » incerta est, tum brevissima. Ævum nostrum ut quam longissimum sit,  
 » teste David, in ipsis septuaginta aut octuaginta finitur annis; quod am-  
 » plius est labor et dolor, at esto nestorios vivas annos, et Mathusalem im-  
 » pleas ætatem, quod posco, cursu peracto breve est. Stultitia est spem  
 » ponere in hiis quæ prætereunt. O homo, moriendum est, quisquis es,  
 » et hæc relinquenda sunt quæ finiunt morte. Mortales appellamur. Nemo  
 » nostrum novit an sit horam victurus, et tamen hæc terrena diligimus  
 » quæ mox relicturi sumus. Quin potius æterna pro transitoriis et e con-  
 » trario transitoria pro perpetuis commutamus, et hoc Turcorum bellum  
 » aggrediamur per quod possumus immortales fieri et ad illam coelestem  
 » civitatem Jherusalem pervenire, quam ille summus rerum opifex mira  
 » pulchritudine et artificio inenarrabili molitus, in qua Deum ipsum facie  
 » ad faciem videbimus et ipsius bonitate fruemur; in qua sanctos etiam  
 » intuebimur angelos et omnium sanctorum spirituum ordines, nos quasi  
 » concives et quasi contubernales cum illis habebimur; in qua nichil nobis  
 » latebit eorum quæ ubique fiunt. Liberatus enim hæc terrena compage,  
 » animus rerum omnium scientiam, non ut sentit Plato, recuperabit, sed  
 » ut Aristoteli et nostris placet doctoribus, illic consequemur, nichil time-  
 » bimus, nec planetæ, nec cometæ nobis formidabiles erunt, quas reges  
 » perhorrescunt. Sedebimus, ut propheta testatur, in pulchritudine pacis,  
 » in tabernaculis fiducia, in requie opulenta. Inveniemus Sabbatum sine  
 » vespere, id est, requiem sine fine. Renovabitur, ut aquilæ, juvenus  
 » nostra, quæ nullo senio nullaque temporis longitudine corrumpetur. Sa-  
 » tiabimur apparente gloria Salvatoris, quem sine fine videbimus, sine fati-  
 » gatione laudabimus. O igitur nobile bellum! Felix o præmium! O expec-  
 » tabilem pugnam ex qua, sive vincimus, sive vincimur, reges evadimus et  
 » cum Deo nostro triumphantes lucidas paradisi sedes quaerimus, pro qui-  
 » bus consequendis Stephanus prothomartir lapidibus caesus est, Petrus  
 » et Andreas suspensi, Paulus securi percussus, Laurentius flammis exus-

» tus. Verum non haec ex vobis, viri fortes, supplicia requiruntur : praetio  
» minori vobis coelum promittitur. Pugnate tantum fortibus animis pro  
» lege Domini, et omnia consequemini de quibus scribit Apostolus quod  
» nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae pro-  
» misit Deus diligentibus se. — O stulti et tardi ad credendum hiis quae  
» sacrae promittunt litterae, digito Dei revelatae atque conscriptae! O si  
» nunc adessent Godefridus et Balduinus, Eustatius, Hugo magnus, Bo-  
» hemundus, Tancredus et alii viri fortes qui quondam Jherosolimam, per  
» medias Turchorum acies penetrantes, armis recuperarunt: non sinerent  
» profecto tot nos facere verba, sed assurgentes, ut olim coram Urbano II<sup>o</sup>,  
» praedecessore nostro: *Deus vult! Deus vult!* alacriter clamarent. Vos  
» taciti finem orationis nostrae expectatis, nec hortamentis nostris moveri  
» videmini; et fortasse sunt aliqui inter vos qui dicunt: Multa hic pontifex  
» loquitur ut nos mittat in aciem et corpora nostra hostilibus objiciat  
» gladiis; sacerdotum hic mos est. Alligant aliis onera gravissima, quae  
» ipsi digito ne uno movere nolunt aut attingere. Nolite ita putare, filii.  
» Nemo patrum vestrorum memoria in hac sede sedit, qui pro fide Christi  
» majora fecerit quam nos, juvantibus nobis fratribus nostris, facturi  
» sumus. Venimus huc et videtis nos non parum debiles neque sine peri-  
» culo nostri corporis, sine dampno terrarum ecclesiae, plurisque fecimus  
» fidei defensionem quam beati Petri patrimonium, quam valetudinem aut  
» quietem nostram. Accreverunt expensae mirum in modum; redditus autem  
» apprime diminuti sunt, neque ista gloria habendi ferimur. Taedet pudet-  
» que nos plura facere non posse. O si quae dudum fuerant vires corporis  
» nostri nunc adessent, sine nobis certe non subiretis: ipsi autem signo  
» procederemus ecclesiae, ipsi crucem Domini portarem, ipsi vexillum  
» crucis perfidis hostibus objiceremus, vestros nostrosque beatos arbitrare-  
» mur quibus datum esset pro Jhesu mori. Et nunc si censetis, non recusa-  
» bimus aegrotum corpus fessamque animam in hanc felicem expeditionem  
» Christo devovere per castra, per aciem, per medios hostes. Si suadetis  
» lectica vehi, gloriosum putabimus; nec magnifica verba glorioso nec  
» ignavo prosequemur animo. Consulite quid magis rei christianae con-  
» ducat: nichil adversabimur. De corpore nostro, de persona, de pecunia  
» vestrum iudicium amplectimur, vires metimini apostolicas, aestimate  
» quid temporalia, quid spiritualia simul conferant, et quod vobis videtur

» nostris humeris onus imponite; nichil recusabimus. Duos autem the-  
 » sauros Ecclesia habet : unum spiritualem et alterum materialem; utrum-  
 » que liberaliter erogabimus, et illum qui nunquam exauriri et hunc qui  
 » nunquam impleri potest, impartiemur; et tamen nichil aliud ex vobis  
 » petimus nisi ut bellum contra Turchos gerendum decernatis. De pecuniis  
 » conquirendis, de ducibus eligendis, de classibus instruendis, de sede  
 » belli, de tempore expeditionis, cum viderimus vos anhelare, postea dis-  
 » seremus. Neque difficilis consultatio erit, quoniam nec arma, nec equi,  
 » nec naves, nec pecuniae, nec fortissimi milites, nec peritissimi duces  
 » christianis deficere queant. Assit tamen communis voluntas hujus hones-  
 » tissimi belli gerendi, quam in mentibus vestris ille, rogamus, concedat.  
 » qui in Trinitate vivit et regnat Deus. Amen. »

Hac in primis conventionem celebrata cum vicinis regibus et principibus  
 plagae orientalis, idem pontifex, quasi securus de ferendo praesidio,  
 secundo misit generaliter ad occidentales principes ut praesidia ferrent in  
 Turchos, ita scribens :

« Universis has litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictio-  
 » nem. — Vocavit nos pius et misericors Dominus ad sacram beati Petri  
 » sedem, vicesque dilectissimi filii sui, Domini nostri Jhesu Christi, debi-  
 » libus humeris nostris commisit in terris, et alto fluctuantem pelago fidelis  
 » populi regere naviculam jussit. Gravis haec nobis sarcina est, nec nos-  
 » trae vires sunt qui tanti regiminis ferre molem sufficiant; procellosum  
 » valde est mare atque infestum per quod nobis navigandum est; nutat et  
 » fatiscit carina qua vehimur; trepidant enim atque deficiunt remiges:  
 » venti adversi sunt, et in horrida tempestate jactamur. Nunquam ea fuit  
 » ecclesiae pressura quam modo cernimus; nunquam adeo coartatos catho-  
 » licae fidei limites superior vidit aetas. Surrexit enim barbarus hostis qui  
 » sacra nostra invasit, fretus impotentia Graecorumque dissentione, qui  
 » et Hellespontum transmisit ac omnes fere graecanicas urbes Acticae,  
 » Boetiae, Phocidos, Achaiae, Macedoniae ac Trachiae. Restabat sola urbs  
 » regia Constantinopolis, sedes imperatoria Graecis, unicum sapientiae do-  
 » micilium, ubi tot magnificentissima templa, tot sacraria, tot palatia prin-  
 » cipum, tot nobilissimae civium aedes olim fuere ut exteri eo venientes,  
 » urbis splendorem admirantes, non tam mortalium quam coelestium eam  
 » esse patriam dixerunt: hanc quoque diebus nostris, dum Latini inter se



» divisi Graecos deserunt, Turchorum crudelissima invasit natio, expu-  
» gnavit, spoliavit, foedavit, deque ea triumphavit quae toti Orienti leges  
» dedit. Poloponesus quoque, hac urbe victa, armis capta est, et christianus  
» populus in servitutem ductus. Acarnania nunc vastatur, et Epyrus firma,  
» quae quondam superior Misia dicta est, paucis exceptis, oppidis in po-  
» testatem venit hostium. Bosnenses sive Illirii, Dadani et Peones tributa  
» Turchis pendunt. Neque hoc modo quiescit Turchorum rabies : ejusce  
» gentis dominus, tetra potius bellua quam rex appellandus, virosissimus  
» draco potius quam imperator dicendus, sanguinem humanum sitiens,  
» ingentibus copiis inde Hungaros urget, hinc Epyrotos Albanosque vexat,  
» et tumens opinione sui sacrosanctum Evangelium omnemque Christi  
» legem se erasurum jactitat; Christianis vero, ubicunque fuerint, vincula,  
» verbera, caedes et horribiles minatur cruciatus. Non dormit hostis hu-  
» mani generis, sed circuit quaerens quem devoret : Turchi premunt; in-  
» sultant Sarraceni; Christiani principes, quibus Turchi nulla ratione pares  
» esse possunt, inter se discordes, suas potius injurias quam Christi con-  
» tumelias ulcisci contendunt, et privatas utilitates publicis praeferunt.  
» Alii marcentes otio, deliciis indulgent, alii cumulandis inhiant opibus,  
» neque sacerdotes neque populares suum satis officium faciunt. Cultus  
» divinus ubique diminutus est; neque superiores virgam justitiae rectam  
» tenent; nec inferiores obedientiae sua colla submitunt; confusa omnia et  
» turbata sunt. Passim blasphematur divina pietas et in mansuetudine sua  
» contempnitur Deus; nullus est timor; nulla reverentia legum. Hinc nobis  
» iratum coeleste numen prosperari adversus nos Turchorum arma per-  
» mittit, et qui reliquis gentibus imperare solebant, christianos infidelibus  
» barbaris tributarios vectigalesque fecit. Ad haec nos tempora vocati sumus  
» ut in hiis malis obveniremus. In romano solio collocavit nos Deus; dif-  
» ficilis sane provincia nobis commissa est; scimus imbecillitatem nostram,  
» et sub tantae dignitatis pondere mirum in modum trepidamus; non  
» tamen deficimus animo, nec de coelesti misericordia desperamus. Sed  
» quanto inferior est nostra virtus dignitate credita, tanto magis ex alto  
» auxilium praestolamur, et si inscrutabilia sunt Dei judicia atque investi-  
» gabiles viae ejus, nec potest humana fragilitas ad illius archana pertin-  
» gere, illud tamen exploratissimum est, veritatem nostram quae Chri-  
» stus est, non posse mentiri. Extant ejus oracula et in Evangelio sancta

» promissa quibus futurum se Dominus usque ad consummationem seculi  
 » cum suo grege testatus est. Conclidimus in ejus potentia, quae recta va-  
 » dentibus non deerit : coelum et terra peribunt ; verba autem ejus et pro-  
 » missa non deficient ; nec a lege sua peribit unus apex. Fluctuat saepe nu-  
 » mero navis apostolica sed non demergitur ; concutitur sed non frangitur :  
 » oppugnatur sed non expugnatur. Temptari sinit Deus electos suos, vinci  
 » non. Ob eam rem quamvis turbidum statum Ecclesiae invenerimus,  
 » naufragosumque nimis circa fidele navigium mare, non tamen fiducia  
 » deest quin, eo juvante qui de thesauris suis producit ventos illisque im-  
 » perat atque mari, salutis portum pertingere valeamus. Non possumus  
 » certa de futuris vobis polliceri, quae divina majestas caeca caligine occu-  
 » luit ; id nobis fas est promittere et palam praedicare quod non derelinquet  
 » Deus sperantes in se. Non est abbreviata manus Domini, quamvis nostra  
 » peccata creverunt quae oculos ejus a nobis averterunt : propter peccata  
 » nostra evenere nobis haec mala, scelera nostra nos odio fecere, iniqui-  
 » tates nostrae pessumdavere nos, tradita est flagellis humana superbia :  
 » sed more suo Deus nobiscum agit : quos enim diligit, corrigit atque cas-  
 » tibat. Paterna sunt haec verbera, emendationem magis quam poenam exi-  
 » gentia. Quod si revertamur ad clementiam ejus, dolentes super iniquita-  
 » tibus nostris, poenitentiam faciamus, mutabit ipse Deus sententiam suam,  
 » et furorem quo in nos erat accensus, vertet in amorem. Pronus est enim  
 » ad veniam Dominus, neque nos aequa lance cum Turchis expendit. Nos  
 » filii adoptionis, illi emancipati ; nos suae civitatis cives, illi hostes ; nos  
 » intra ecclesiam, illi extra ; nos sacramenta sua recepimus, illi contemp-  
 » nunt. — Nichil nobis obstat, nisi quod in divina lege negligentes, humana  
 » vincimur fragilitate et ad peccandum saepe proni, timorem Dei postpo-  
 » nimus. Neque ut obligati sumus, divina praecepta servamus. Quod si  
 » convertamur et corde simplici Dei misericordiam imploremus, non est  
 » dubium quin secunda omnia nobis fiant et reconciliatus nobis Dominus  
 » super hostes nostros furorem suum extendat. Si ergo nunc oculos nostros  
 » dirigamus in coelum ; si renunciantes nequitiæ, clypeum fidei sumentes  
 » adversus hostes vivificæ crucis, cum bona fiducia militavimus, exaltabit  
 » Dominus vexillum suum, facietque nobiscum signum in bonum, et vic-  
 » toriam dabit in manu nostra, nec ultra permittet Turchos christianis  
 » imperare. Nos enim hae saepe ducti et animati spe, quae praedecessores

» nostri pro defensione fidei catholicae adversus Turchos, ceterosque  
 » barbaros christiani nominis hostes inchoavere, totis conatibus prosequi  
 » decrevimus et, adjuvante Altissimo, perficere et complere confidimus.  
 » Nam etsi fuit illis prudentia major, consilium perspicacius, experientia  
 » diuturnior, desiderio tamen ac favore tantae rei nulli cedimus. Deus  
 » qui tribuit voluntatem bene agendi, potestatem prosequendi pro sua  
 » benignitate non deneget. Bellum adversus Turchos terra marique prae-  
 » decessores nostri indixere; hoc nunc gerere nostrum est, neque detrac-  
 » tamus laborem, neque sumptus fugere animus est. Nichil erit in potes-  
 » tate nostra quod in hanc expeditionem tam sanctam, tam utilem, tam  
 » necessariam profundere recusemus. Nec nobis expensae graves erunt,  
 » nec taediosi labores; verum rem magnam sumus aggressuri, et causa  
 » communis est quam prosequimur. Agitur enim de tutela christianae  
 » fidei, in qua omnes renati sumus et sine qua salvari non possumus. Ne-  
 » cessarium nobis visum est quod communibus opibus et viribus est agen-  
 » dum, id communi consilio tractandum. Volventes igitur animo et sedula  
 » meditatione pensantes quonam pacto christianae vires ad decernendum  
 » tam utile bellum in unum convenire possint, nullam expeditiorem viam  
 » reperimus quam si christianos principes et potentatus in unum aliquem  
 » locum convocemus, in quo cum ipsis aut eorum oratoribus, pleno man-  
 » dato suffultis, per nos ipsos conveniamus ac de tali expeditione tracte-  
 » mus, et sic tandem aliquid christiano nomine dignum concludamus.  
 » Cogitantes autem de conventionis loco, duo nobis occurrunt, vix trium  
 » dierum itinere inter se distantia quae, pensatis rerum ac temporum  
 » conditionibus, satis oportuna esse videntur. Mantua scilicet, sita juxta  
 » fluvium haud procul a lacu Venato, et Uticum in agro Foro juliensi.  
 » Mantua vicina montibus quae Galliam, Hispaniam et Germaniam ab  
 » Ytalia disternant eum situm habet ut facile transalpini principes et  
 » Ytaliae potentatus eo conferre se possint. Ampla insuper est urbs et  
 » rerum habundans quae ad usum humanum sunt necessariae. Uticum  
 » insigne est opidum ac magni populi capax, fertilitate circumjacentis  
 » agri et maris vicinitate ad conventus celebrandos aptissimum, rei etiam  
 » quae tractanda est, commodissimum. Nam qui ex Italia contra Turchos  
 » profecturi sunt itinere terrestri, hiis Forumjulli primum occurrit. Galli-  
 » carum quoque et Hispaniarum gentes ac Rhenani Teuthones, iter in

» eam expeditionem haud inconvenienter habuerint. Huc accedent quoque  
» Hungari, de quorum salute plurimum est agendum : sunt enim prae-  
» cipui qui nostra tempestate Turchorum vexantur armis et murum se-  
» pro nostra religione constituunt; ab hoc opido non procul absunt, faci-  
» leque conventum ibidem christianorum celebrando, suas necessitates  
» exponere poterunt et inde consolationem oportunius commodiusque  
» percipere. Nec karissimo in Christo filio Frederico semper Augusto diffi-  
» cilis in eum locum transitus fuerit si, quemadmodum de sua in com-  
» mune bonum optima voluntate confidimus, eo transferre sese voluerit,  
» cum paterna ejus dominia Foro-Julieni territorio sint contigua. Volentes  
» ergo cum divina ope, sicut ex debito pastoralis officii sumus obnoxii.  
» christianae plebis saluti consulere ac pro tutela nostrae religionis undi-  
» que praesidia contrahere, de consilio et assensu venerabilium fratrum  
» nostrorum, sacrosanctae romanae Ecclesiae cardinalium, in altero ex  
» locis predictis, ad proximas kalendas junii, pro capienda in hac re com-  
» munitatis defensionis deliberatione inter nos et cunctos Christi fideles qui  
» principatu aliquo notabili potiuntur, conveniendi diem constituimus et  
» harum serie constitutam esse decrevimus. Universos igitur et singulos  
» karissimos et dilectos in Christo filios nostros imperatorem praefatum,  
» regem Karolum christianissimum Franciae, ceterosque reges ac principes,  
» tam ecclesiasticos quam laicos et seculares, duces, marchiones, comites,  
» comitatus quoque qui suis vivunt legibus et ad defensionem fidei aliquid  
» praesidii afferre possunt, per viscera misericordiae Dei nostri Ihesu-  
» Christi obnixè rogamus, hortamur, requirimus ac movemus ut ad  
» praefixam diem in altero dictorum locorum, per se ipsos si aliquo modo  
» queant, sin autem per legatos suos, viros graves et auctoritate insignes ac  
» plena potestate munitos, prorsus adesse curent et festinent, nec domi re-  
» maneant nisi necessitas inevitabilis urgeat, sed nostrum potius sequantur  
» exemplum. Nos enim, ne quid ex latere nostro desit ad res bene gerendas,  
» quamvis necessaria sit nostra praesentia in urbe Romana, nec possimus  
» sine magno incommodo nostro ac terrarum subjectarum Ecclesiae dampno  
» in alienas migrare provincias, quia tamen pluris facimus catholicae fidei  
» defensionem quam ecclesiastici patrimonii tutelam et spiritualia praepo-  
» nimus temporalibus, relinquere ad tempus almam Romam, nostramque  
» sedem et carissimam sponsam decrevimus; atque in die praesignato aut

» Mantuae aut Utico, concedente Altissimo, constituemur. Nec recusabi-  
 » mus alia quaevis onera subire nostris humeris supportabilia quae ad  
 » prosecutionem tam sancti operis et hiis quae ad statutam diem convene-  
 » rint expedientia aut quomodolibet oportuna. Neque enim nos sumus qui  
 » pro rebus catholicae fidei benegerendis, pro tutanda religione, pro ma-  
 » gnificando Christi nomen, aut sumptus formidemus aut labores. Faxit  
 » tantum, divina pietate, pro desiderio nostro ne praestetur impedimen-  
 » tum, quando ea mens nostra est id stabile propositum et certum tenere,  
 » incommoda quaevis et pericula parvifacientes ut necessitati orthodoxae  
 » fidei cum Dei honore et christiani populi salute quieteque consulamus.»

Publicatis hiis litteris per legatum summi pontificis, Parisius coram Uni-  
 versitate gratis acceptae sunt. Verum rex Francorum Karolus, senio con-  
 fectus, nec se iturum, neque missurum ad concilium Mantuae observan-  
 dum cum ceteris principibus pollicitus est, allegans inconvenientia gravia  
 quae visa sunt pro parte imminere. Nam treugae cum antiquis coronae  
 hostibus contractae, dudum cum rege Angliae Henrico VII<sup>o</sup>, qui superiori  
 anno captivus factus est a duce d'Iorch, qui se pro rege gerere volebat in  
 Anglia, statim rumpendae fuerant. Sed et senior filius ejusdem regis Fran-  
 ciae, Ludovicus nomine, semper penes Philippum ducem Burgundiae  
 residens in Brabantia, juxta Bruxellas, in castro Genepia, paternam expec-  
 tans invadere hereditatem, patre rege defuncto, praefato Philippo duce  
 mediante, invito secundo filio regis, Karolo nomine, cui pater jam prae-  
 tenderat, ipso vivente, coronam resignare, senioremq; filium perpetuo  
 privare regno determinaverat, cum ipse rebellis exstiterat, ipseque pluries,  
 infestus patri, flagitium perpetraverat patris in amicam vel amicos. Hiis et  
 aliis de causis allegatis, legatus ipse recessit; transfretans in Angliam,  
 repperit regni illius statum turbidum et in partes laceratum propter duos  
 reges jam se gerentes gravissima in contentione simultatis et commotionis  
 miserandae, caede mutuo partibus disceptantibus. Uxor enim Henrici regis  
 capti, cum filio suo, quem adversa pars illegittimum esse suspicabatur,  
 guerras gessit, quae multis nobilibus obnoxia tandem regno vi cessit cum  
 Edouardo filio suo. — Legatus vero veniens ad Philippum, ducem Burgun-  
 diae, liberaliter et magnifice multum receptus ac praeventus donis versus  
 Romam profectus est, responso non vacuus.

---

Mathias, rex Hungariae subrogatus noviter effectus defuncto Ladislao. Hic primo miles simplex, cum pater ejus superiori anno obtinisset victoriam contra Turchos, superiorem Hungariam per Danubium ingredi statuentes, ex quibus tribus diebus pugnando cum x<sup>m</sup> interfecit lxxx<sup>m</sup>, in tantum gavisus de triumpho quod prae gaudio mox eunctis suis membris titillantibus mortuus est; et tunc supremus capitaneus super Hungaros fuit constitutus filius ejus Mathias, rege Ladislao juvene, cum avunculo suo Frederico imperatore moram trahente, qui vocatus tandem ad regnum suum Bohemiae, in quo similiter capitaneum posuerat, a quo, porrecto veneno, extinctus est, et invasit similiter illud regnum capitaneus nomine Genehericus, contra quem Mathias continuo movit guerras et illud obtinuit, duxitque filiam Ferdinandi regis Ceciliae tandem anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXV.

Anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LIX<sup>o</sup>, concilium Mantuae proclamatur. — Eodem anno beatus Anthoninus, ordinis Praedicatorum archipraesul, Florentiae migravit altera maii in vigilia Ascensionis, et inter complura miracula primitivae ecclesiae se monstravit antistitem. — Eodem tempore Jacobus Interbue, Cartusiensis doctor, claret in Erfordia, qui multa conscripsit utilia, de quibus suis locis habetur memoria digna.

De Pio II<sup>o</sup>. — Magna laus Pii papae II<sup>i</sup>, qui confirmata ecclesiae ditione se totum convertit pro republica christianorum tuenda, et creato novo praefecto de Columpnensibus, pacem inter Ferdinandum, regem Ceciliae et Neapolis, ac Sigismundum Malatestam composuit; Mantuae conventum celebravit, in quo nichil quidem ad movendum christianos ad justum bellum cum Turchis agendum praetermisit. Nichilominus, externo relicto bello, Europa pene tota se ad intestina praelia convertit. Surrexere Germani partim inter se, partim cum Pannoniis agentes. Surgunt Franci contra Hispanos et Anglicos qui duplici factione regnum suum labefecere. Burgundii disparibus auspiciis sese hiis tandem ingessere. Saepius ad Pium II<sup>m</sup>, Ususeassus, princeps Armeniae, scripsit se de Turchis victoriam saepius reportasse precibus ejus, unde divini beneficii magis quam humani dixit aliquando memorem futurum.

Post obitum episcopi Tornacensis electus fuit in cancellarium curiae ducis Burgundiae Guillelmus, episcopus Tullensis et abbas Sancti-Bertini, qui propter egregiam personae suae recommendationem, ordinatus fuit episcopus Tornacensis, unde simul abbatiam cum episcopali dignitate gubernavit in magnificentia stupendae probitatis, siquidem opera sua derelicta luculenter demonstrant.

Eodem hoc anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LIX<sup>o</sup>, dum ad probationem cujusdam bombardi se junxisset Scythorum rex, ictu lapilli tactus moriebatur. Cui successit filius ejus, qui filiam Karoli regis Dennemarchiae cepit uxorem, de qua prolem suscepit, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXI<sup>o</sup>; verum cum sorore propria pollutus indolem libidine sua foedavit. — Eodem anno, dux de Warvich totum regnum Angliae turbavit, donec pars Henrici regis deficeret. Postea

vero, quibusdam intervenientibus discordiis, ab Edwardo deficiens, Henrico regi captivo regnum fecit habere per annum.

Contra novum regem Neapolis Ferdinandum, princeps Tharentinus rebellavit. — Hoc anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LIX<sup>o</sup>, Mantuae concilium generale statuitur pro recuperatione Constantinopolis et imperii Graecorum. — His diebus, Alphonsus, rex Portugaliae, plures villas et terras tributarias fecit in regno de Grenada et Sarracenorum, unde quasdam etiam insulas in mari repertas adiecit suae ditioni, de quibus mineralia reducebantur et sukarac. Salomantiae portus testis est.

Johannes de Burgundia, pridem comes d'Estampes, comes factus Nivernensis post obitum Ludovici (alias Karoli) fratris sui, cepit comitem de Widamme Ambianis et eum apud Vilvordt collocavit, ubi dux Philippus fortalitium noviter extruxerat. Sed cum esset de domo Burgundiae, praefatus comes insidiari coepit potius ut dispergeretur quam ut servaretur, unde secreto conjunctus fuit Ludovico regi Francorum, de quo suis locis multa scribuntur; nam unicam ejus filiam duxerat Johannes, dux Clivensis, et per eam ad ducatum Brabantiae tendebat et alia dominia, cum plures ei pepererat filios. Ludovicus delphinus Brugis multa milia denariorum sibi mutuo dari petiit a quodam Johanne Harlesfy, quem balteo militari post suam coronationem insignivit et seneschallum Normaniae praefecit.

Papa Pius duobus maximis bellis Ecclesiae praepeditur et misit Fredericum Urbinatem duce[m] copiarum suarum cum Alexandro Sfortia in Marsos contra Jacobum Picenninum mercede conductum a Renato; sed ejus rabies apud Senegalliam a praefatis Ecclesiae ducebus repressa fuit. Aliud autem bellum gessit Nicholaus Pistoriensis, cardinalis Sanctae-Ceciliae, cum Ferdinando filio Alfonsi regis apud Troyam, Apuliae oppidum, quo princeps Tharentinus et qui gallica sequebantur arma, perterriti sunt ut subito, paucis demptis, aut in ejus amicitiam reversi fuerint aut regno pulsus. Quibus bellis peractis, Pius papa repetiit Senas, ubi Philippum ducem Burgundiae, qui semet venturum voverat cum classe pariter et milite, agnovit descivisse. — Pius papa nichil omisit quantum pertinet ad totius Europae principes quin animos excitaret omnium ad debellandos Turchos, unde laus illi magna fuit, eo quod saepius eisdem de rebus loquens, semper visus sit diversa dicere. Tanta sermonis ejus fuit elegantia ut in lacrimas provocaret. Sed Europa, relicto externo bello contra Turchos, arma sua convertit in intestinum. Nam Germani partim in seipsos, partim in Pannonios se excitare, Barchinonenses se contra regem Arragoniae, quibus Hispani succursuri fuerant, erigere ceperunt. Ytalia caput Europae commovebatur, cum Johannes, Renati filius, Ferdinandum, Alfonsi filium, regno Neapolitano Ceciliaeque pellere conaretur, nisi deerant qui a Ferdinando ad Renatum illud traducere videbantur. Verum Ferdinandus jam firmatus primogenitum suum Fredericum adolescentem Mediolanum misit, ut filiam fratris Francisci Sfortiae duceret, atque sic confirmaretur in regno: quod factum est. Tunc Jacobus Picenninus, cum filio captus

a Ferdinando, retrusus est in carcerem cum filio, quo periit. Hic enim sufficiens erat ad evertendum imperium Ferdinandi, qui mox tributum quod pendebat Ecclesiae, diminui sibi petiit, Pio II<sup>o</sup> mortuo, a Paulo II<sup>o</sup>, successore suo, cujus Pauli anno secundo, Franciscus Sfortia moritur Insubriae ac Liguriae dux qui biennio Januae dominatum, priusquam moriretur, habebat, civibus sese illi deditibus, agitatae diutino bello. Hii Gallorum dominium rejicientes ad vi<sup>m</sup> gallici nominis ante oculos Renati regis interfecere, qui recuperandae urbis gratia tunc aderat, cum triremibus. Actum quoque penitus de Renato postea fuit, Johanne filio suo ac filio ejusdem Johannis, Nicholao marebione Pontis, defunctis. Galeatius enim, Francisci Sfortiae filius, ducta sorore ducis Sabaudiae ejus et altera soror regina Franciae fuit, Mediolanensis fit dux. — Pius papa, cum vir esset singularis prudentiae, non sibi se natum sed aliis ad res agendas confitebatur. Hinc augere pontificis majestatem conatus, non reges, non duces, non populos, non tyrannos in se aut ecclesiasticum quemquam delinquentes persequi prius destitit quam eos ad sanitatem rediisse cognoverit. — Ludovico enim Francorum regi adversatus est, quod libertatem Ecclesiae minuere conaretur, cum ab eo pragmaticam, Ecclesiae romanae perniciosissimam pestem, extorsit. Borsio, duci Mutinensi ac Ferrariae minatus est, quod romanae Ecclesiae censuarius Sigismundo Malatestae hosti Ecclesiae rebusque gallicis favere videretur. Sigismundum vero ducem Austriae censuris gravibus persequutus est, eo quod Nicholaum Cusanum cardinalem ad Vincula Petri carcere detinuisset. Dieterum, archiepiscopum Maguntinum de Wisenburgo, quod male de romana sentiret Ecclesia, deiecit et alterum suffecit. Franciscum Componium episcopatu Interamneni privavit, quod, cum magna clade ac pernicie hominum, Britannicam vendicaret sibi legationem. Tarachinum, Beneventum, Soram, Arpinum ac magnam partem Hernicorum, quae nunc Campania vocatur, in deditionem Ecclesiae redegit. Quid plura? Nil pontifex sanctus regibus, ducibus aut populis timore et avaritia concessit unquam; sed severissime quosdam arguit quod ea peterent quae sine detrimento aut ignominia Ecclesiae fieri non poterant. Tantum timoris praesertim dominis ytalicis injecit, ut officio et fide nil antiquius ducerent quam ut amicos officiosissime fovere, publicos hostes constanter persequi. Fredericum enim imperatorem, Mathiam regem Ungarorum, Vaiovadae militis filium, Ferdinandum regem Neapolitanum, Franciscum Sfortiam, Ludovicum Gonzagam, Philippum quoque ducem Burgundiae vehementer dilexit. — Pius papa XII cardinales addidit in vita sua veteribus, videlicet: Reatinum, Spoletanum, Teanensem, Alexandrum Saxoferratensem, Bartholomaeum Roverellam, Jacobum Lucensem, Franciscum, Laodomiae sororis suae filium, Franciscum Gonzagam, Ludovici Gonzagae principis filium; item Salsburgensem, Ludovicum Labretium, Johannem Atrebatensem et Urgelensem, etc. Porro fovere ingenia suorum temporum non est visus, quod tria gravissima bella ab eo suscepta aerarium pontificum exhaustum, et aere saepius alieno premebatur eo quod aulicis numeribus socios belli juvare contenderit, qui tamen eos



reprehendere consueverat, eo quod acceptas elades vererentur aperte denunciare sibi; maximis enim lacessitus injuriis fuit, pro tutelari Eeclesiae et religionis observantia, sed propter templum et aedes Corsiniani exstructas alieno prorsum aere, dicunt quod Pientiam locum illum, a nomine suo, vocari voluit et ornatissimum sepulchrum Senis aedificavit, quo pater et mater ejus conditi sunt, hoc disticho notati :

Silvius hñe jaceo, conjunx Victoria mecum est.  
Filius hoc clausit marmore papa Pius.

1460.

*Epistola Johannis apostatae, soldani Babiloniae, missa Pio papae, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LX<sup>o</sup>.*

« Johannes soldanus, nuper christianus, affinis deorum, Babilonorum  
» imperator, continuus Alexandrinus Macedo, dominus dominantium Af-  
» fricae, rex regum Arabiae, Persiae, Chaldaeae, Egypti, Ethiopiae, Bar-  
» bariae, Libiae, Cirenicae, Nubiae, Seclamoreae, Gettuliae, Visancenae,  
» Parthiae, Mesopotamiae, Mediae, Capadociae, Armeniae, Calandriae,  
» summus princeps Hircaniae, Arochosiae, Wegentiae, Sichiae, fluviorum  
» Paradisi validissimus possessor, christianorum inimicus et desolator,  
» custosque speluncae crucifixi, etc., Pio, magno sacerdoti Romanorum,  
» gratiam quam queritando palpitat et salutem quam nos visitando pro-  
» meretur. — Orthodoxae fidei fundamentum, si christianorum sapientia,  
» robur discretorum, prudentium fortitudo, simul haec omnia in cellula  
» capitis tui forent reclusa, thesauri atque locorum discretionem sigillo  
» intimo in cincinno verticis colligata : tua, quaeso, requiescat memoria,  
» strepat insipientia, vacillet stultitia quae nunc tuam ebetescit vertiginem,  
» sic quod more stultorum fatuizas qui pater diceris et filiis tuis tam inau-  
» dita mala machinaris. Karolus, rex Francorum, et alii reguli baculo  
» arundineo te et tibi consimiles componentes, veluti stuppa evanescent  
» et sicuti fumus a repentino vento, viribus exercitus nostri unico flatu  
» consumentur. Tu habes galeas, nos hischiros; tu classes, nos dragemun-  
» das; tu naves, nos hiticos. Et quid multa parvis annumerabo? Quidquid  
» moliendo cogitare poteris, totum ante praevidimus, et matura delibera-  
» tione, portus etiam ad quos applicare niteris, minantes. Nichil timemus

» nisi quod decepti plurimas occupationes amittamus. Qualis pater, qui filios  
 » suos non morte naturali sed subito perimere non formidat! An putas quod  
 » pharetris carcamus, qui filios tuos huc contra nos venire compellis ut  
 » sagittas nostras in se recondant? Vivaces animas in fores mortales trans-  
 » mutare festinas, cum tamen spiritus amissus secundo redire contempnet,  
 » et quod prius dilexerat, penitus abhorrescit. Sive an mediteris speculum  
 » Virgiliti, nuper Romanis gaudium, nunc suo in primitivo statu residere  
 » Jherusalem quae dudum speciosissima, nonne nunc funditus est des-  
 » tructa? Acharon potentissima a quo sublata? Tripolis opulentissima a  
 » quo deleta? Constantinopolis nobilissima per quem victa? Nonne per nos  
 » et nostros? Trecentae et quinquaginta quatuor urbes opulentissimae, quas  
 » famuli crucis nuper rexerant, nostro nunc dominio subjiuntur. Tu qui-  
 » dem alios ire compellis et personaliter non accedis; tu filios tuos ire pro-  
 » cellosissimum in mare facis, ubi Sirtis et Silla furiant et, manu quidem  
 » tua, signa demonstras, sufficientia subdole vada promittendo, sed pedi-  
 » bus ad haec quae conaris peragere vis inscios, et minime te introire. Stas  
 » in sicco et delectabili, ac stultos perire pauperes in voragine facis. In-  
 » duito ergo Phoebaci aureo colore coeli et perlustratione clarissimae dici,  
 » tu vero seducis simplices et non antecedis; tu pater nomine et non re  
 » nuncuparis. Sufficit tibi cum filiis tuis non inquietare, sed singulis annis,  
 » more Graecorum, circumducere minando. Verumptamen, si in terra nostra  
 » manere desideras, ecce Jherusalem gloriosissimam, Acharon, Tripolim,  
 » Constantinopolim, urbesque plurimas potentissimas quas filiis tuis damus  
 » et concedimus reparari, ita ut nobis et nostris perpetue sint censuales.  
 » Ad cavernam Martis, templum divinum, conductum universis communi-  
 » camus propter ipsorum munera denariorumque quantitatem. Surge,  
 » invoca Deum tuum ut tantam stultitiam temperet, capitique tuo restituat  
 » puri intellectus sanitatem. Si autem huc venire proponis, non accipias  
 » tot annorum spatia in protrahendo. Cum autem auro, argento, specie-  
 » bus, electisque gemmis pretiosissimis habundemus, nichil aliud facientes  
 » quam sanguinem sitiendo christianorum, et quia filii tui martyres et  
 » confessores moriuntur, accelera ut per eos martyrum numerus com-  
 » pleatur, etiam ut juvenes renascantur qui paternum vindicare cruorem  
 » meditates ad nos tuis fraudulentis monitionibus properent, poenas con-  
 » similes suis fratribus aut graviores tolerabunt. Crucifixus tuus bajulans

» lignum crucis ad locum supplicii, sicut dicis, terram nativitatis suae a  
 » nobis minime salvare potuit, et tu hujusmodi ratione, sed ut poten-  
 » tissimi thesauros Domini scilicet nostri possideas, filios tuos nos debel-  
 » lare praecipis; sed nos quidem dormiendo te spectamus, necdum ves-  
 » trum aliquis audeat adventum nostrum excitare. Nos enim castra, castella,  
 » fortalitia, civitates, opida, munitiones munitissimas inhabitamus, et tu  
 » sine tecto, unius diei spatio, nostra quaeris quae nec propria potes reti-  
 » nere. Lege, subtilius disputa, discretius puta, quod annorum curricula  
 » nondum venerint juxta prophetias, quod regnum Judaeorum redire de-  
 » beat et gentium dissipari. Multitudo siquidem tua pugillo plena, numquid  
 » latitudine maris poterit obumbrari, aut velut gutta roris minima ultra  
 » aquarum multitudinem in lance posita, virtutem exercitus nostri prae-  
 » ponderabit? Consule, tibi que sanus intellige, nam prudens diceris;  
 » salva jam morti expositos. Non tradas innocuos, alioquin pauperum eris  
 » occisor, inopum dilaniator, simplicium seductor, tuaeque solius naturae  
 » conditor super te sanguinem praedictorum requiret, quorum, omnipo-  
 » tentia sua die in novissimo, coram omnium rerum Plasmatore, ratio-  
 » nem permanebis redditurus. — Datum in Acharon, civitate nostra  
 » opulentissima super Nilum Egypti sita, anno nativitatis nostrae LV<sup>o</sup>,  
 » Deorum nostrorum Machometi, Algorusco, Thirometi, Romarchito, oc-  
 » tingentesimo sexagesimo, regni autem nostri vicesimo primo. »

*Responsio super praefatis.*

« Pius, episcopus, servus servorum Dei, cultor Omnipotentis et alump-  
 » nus Jhesu-Christi, Soldano Babiloniorum salutem, si desideret, et ve-  
 » niam, si speret, ante tribunal, etc.<sup>1</sup> »

*Item alia epistola :*

« Morbesanus Horresti cum fratribus suis, Colabulabra imperatoris Ur-  
 » ganci collaterales, pugiles et in partibus Achayae domini, Pio magno  
 » sacerdoti Romanorum juxta merita salutem. Nuper nostris auribus inso-

<sup>1</sup> Cette lettre est imprimée dans Baronius. *Ann. eccl.*, t. XXIX, p. 256.

» nuit quod in partibus Ytaliae, ad preces et postulationem populi Vene-  
 » torum, in basilicis vestris publice facitis divulgari quod quicumque  
 » arma contra nos sumpserit, suorum in hoc seculo remissionem omnium  
 » accipiet peccatorum, eisque beatam vitam promittitis in futuro. Cujus  
 » rei veritatem occulta fide comperimus per adventum quorundam pedi-  
 » tum cruciferorum qui nuper Venetorum navigiis transfretarunt, propter  
 » quod admirare cogimur vehementer : quia, dato quod a summo tonante  
 » vobis esset concessa potestas absolvendi atque ligandi animas, tanto  
 » maturius in hiis procedere deberetis, neque christianos, et maxime Ita-  
 » licos, crucis caractere insignitos contra nos excitare, cum scimus quod  
 » patres nostri dixerunt quod populus Theucrorum nostrorum innocens  
 » erat et immunis mortis vestri crucifixi, et cum loca et terrae ubi sacra  
 » vestra sunt, per nos seu nostros minime possideantur; ymmo populum  
 » Judaeorum semper exosum habuimus, et quare, prout in historiis nostris  
 » habemus etronicis, ipsi Judaei proditorie et per invidiam eundem  
 » Christum vestrum et prophetam Jerosolimis tradiderunt praesidi Roma-  
 » norum Pilato et cum crucis patibulo mori fecerunt. At insuper admirari  
 » et dolere compellimur quod insurgant contra nos Italici, cum lacteus  
 » nos amor incitet ad dilectionem, eo quod ipsi et eorum magnalia a Tro-  
 » janorum sanguine processerunt. Quorum auctores fuisse scimus An-  
 » thenorem aut Æneam, de magni Priami sanguine procreatos, in quibus  
 » nati sumus ducturi imperium in partibus Europae, secundum promis-  
 » siones quas a diis nostris patres nostri audivisse noscuntur. Trojam  
 » magnam intendimus restaurare et Hectoris ulcisci sanguinem, Ylio-  
 » nisque ruinam, Graecorum nobis imperium subjugando ac nostrum  
 » Palladis statum, heredesque punire transgressorum. Insuper intendi-  
 » mus Cretham et alias maris insulas, quas Venetorum populus antedictus  
 » violenter extorsit, imperio nostro repromissas totaliter vindicare. Ideirco  
 » vestram prudentiam requirimus et rogamus quatinus peregrinantibus  
 » vestris, per terras Italiae missis ad instantiam dicti populi Venetorum,  
 » silentium imponatis, non provocantes contra nos amplius sub potestatis  
 » spe populum christianum, cum nullam guerram erga eundem populum  
 » pro credulitate et differentia habeamus, cum nichil referat si Christum  
 » non colimus, quem nos prophetam fuisse maximum reputamus, neque  
 » enim nos ex lege ipsius, prout audivimus, compellere debeatis ad credu-

» litatem. Si autem aliqua controversia acta est inter nos et populum  
 » Venetorum, hoc accidit quod indebite et nullo moti colore justitiae,  
 » non sub Caesaris nomine vel alicujus monarchiae quae ex lege antiqua  
 » temporali fuerit commissa, sed ex sua superbia et temeritate imperio cru-  
 » deli tyrannide subjugarunt : quae tolerare de cetero non possumus, nec  
 » debemus, cum futurum tempus nostrae repromissionis in proximo nunc  
 » instet. Per quae et alia potestis et debetis merito ab inceptis desistere ac  
 » silere, et specialiter cum audierimus ipsum populum Venetorum alie-  
 » num a vita et moribus Romanorum, quia nec secundum leges vivunt, nec  
 » secundum mores conversantur, sed se solos existimant cunctis circa se  
 » adjacentibus populis meliores, quorum vesaniam et superbiam, nostro-  
 » rum et Jovis auxilio, usque ad extremum deducemus. Alioquin si ab  
 » inceptis providentia vestra non desistat, ampliari curabimus vires nos-  
 » tras, sumpto Domini imperatoris Urganei et aliorum regum ac princi-  
 » pum orientalium suffragio, qui se simulant hodie dormire. Praesidia  
 » trahemus a finibus nostris, praeliaturi copiosis armorum navibus, per  
 » quas non solum contra vestros pedites cruciferos resistemus; verum, si  
 » contra nos Germaniam, Romaniam, Galliam provocaveritis, intendimus  
 » subtiliter obviare. Favente Neptuno, Hellespontum cum innumerabili  
 » classe nostra, navigio, velis inflatis et artificiose remigio ductis, inten-  
 » dimus pertransire, et septentrionalem plagam, praesertim Dalmathiam  
 » et Trachiam visitare.

» Datum in palatio nostro triumphali, anno Machometi M<sup>o</sup> D<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup>.<sup>1</sup> »

Hiis igitur minis provocati, Venetorum populus ad Philippum ducem Burgundiae scripserunt. iuvitando illum et praesidia sua repetendo, verbis subsequenter :

*Oratio M. Donati, oratoris veneti, ad Philippum ducem.*

» Inter multiplices hujus vitae nostrae varietates, serenissime prin-  
 » ceps, nichil ab immortali Deo nostro michi jocundius optabiliusque  
 » dari potuit quam, ut orator ego veniens ad tuam celsitudinem ab illustri  
 » Venetorum senatu, verbis possem meis laetitia ejus, singulorumque

<sup>1</sup> Une traduction française de cette lettre est donnée par Jean Chartier et par Matthieu d'Escouchy.

» omnium populorum sub illius ditione viventium alacritatem incredibilem  
» tibi qualis quantave est, ante oculos ponere, aut tuo gravissimo pectori  
» funditus inserere de sanctissimo et prioribus seculis nunquam audito  
» foedere inter beatissimum patrem nostrum Pium pontificem maximum  
» et tuam serenitatem ac Venetorum dominium, de quo nobis antea pri-  
» mum nosipsi gavisī, modo tuae illustrissimae congratulamur domi-  
» nationi. Videres enim, princeps invictissime, comes, omnium risus,  
» publicas exultationes cunctorum, unam eandemque faciem et eam qui-  
» dem lactissimam et plusquam credi posset omni ex parte in gaudio pro-  
» fusissimam, in qua re nullis indigemus testibus. Quis est enim tam  
» ferreus, tam incredulus et adeo expers humanitatis qui hoc facillime  
» non credat, qui hanc rem tanquam ante oculos positam non videat?  
» Legimus in historiis quanto gaudio affectus fuerit Romanorum populus,  
» quot quantosque ludos et spectacula hilari vultu conspexerit, quot  
» signa pene intollerabilis laetitiae dederit, cum urbs Roma bis habuerit  
» tres dominos, et eos quidem cives, romanum inter se partitos imperium,  
» quamvis illorum trium principum confoederatio non nisi in romanae  
» reipublicae detrimentum ac dedecus veniebat. Quid igitur putamus fac-  
» turum humanum genus cum in dies apertius intelliget tantum tamque  
» religiosum ac coeleste foedus, quod pie credendum est divinam incli-  
» nasse Trinitatem, ictum transactumque esse tantos inter principes; cui  
» sane simile aliud superior aetas non meminit, praesens miratur et stupet,  
» vix postera credere poterit. Senes quidem hii sunt ac propterea sapien-  
» tissimi, quos et justissimos et integerrimos, pro fide Christi mori para-  
» tissimos, ut omnis fidelium congregatio, summa benevolentia, pietate,  
» devotione ac veneratione prosequimur: ita existimare debemus eosdem  
» esse ab impiissimo Turchorum rege formidandos, qui nichil unquam  
» magis timuit quam ne fieret aliquando contra se talium conjuratio.  
» Quis enim aliquo tempore audivit, quis legit, quis cogitavit futurum  
» esse unquam trium tantorum tamque venerabilium et potentissimorum  
» principum foedus? Quod profecto si superiores reges Turchorum prae-  
» scivissent, suis successoribus continere manus a sanguine christiano  
» praecipissent. Nam ut omittam beatissimi patris nostri Pii virtutes in-  
» numerabiles, mores sanctissimos, fidem sinceram, justitiam, clemen-  
» tiam, pietatem, innocentiam et animum pro defendendo Christi nomine

» in corpore jam senescente ferocissimum, ut etiam praetermittam Veneto-  
 » rum senatus mentem promptissimam, animorum magnitudinem, poten-  
 » tiam, opes, curam ac diligentiam in parando exercitu (quae omnia, cum  
 » in perfidorum Turchorum ruinam veniant, non mirum est haud parvam  
 » eorum animis inesse trepidationem), venio ad te, princeps gloriosissime,  
 » cujus in christianum genus humanitatem, amorem, pietatem, religio-  
 » nem, integritatem, sanctimoniam, cujus fortitudinem, opes, potentiam  
 » et rerum per te gestarum gloriam, quis est qui nesciat, cum tot tantaeque  
 » virtutes in te sint, tanta majorum tuorum in te laus, tam excellens et  
 » illustris ac pervulgata benefactorum fama cunctis gentibus cognita sit,  
 » cum adeo latum per varias nationes et populos possideas imperium,  
 » cumque tibi assint opes et potentia qualis et quanta nulli christiano-  
 » rum principi contigit et assint tibi sine numero viri? At qui viri? Heroes  
 » et militum ductores magnitudine animi et rei militaris scientia praediti,  
 » qui, ut equites aliosque pedites silentio transeam, quorum tibi magna  
 » suppetit multitudo, et Turchos impurissimos et reliquos infideles spur-  
 » cissimos vincere et victos funditus delere pro minimo habent. Cum  
 » denique tu, qui es dux ducum et principum princeps, eo sis robore viro-  
 » rum et opum una cum animi magnitudine, et undique communitus tibi-  
 » que, pro majorum tuorum consuetudine, assint ea omnia quae maximos  
 » Romanorum exercituum imperatores illustrarunt : scientia rei mili-  
 » taris, virtus, auctoritas, felicitas, quid majus aut excellentius, quid  
 » christiano principe dignius, quid religiosius aut sanctius excogitare  
 » poteris quam ut una cum sanctissimo domino nostro, qui Christi vicem  
 » gerit in terris, et cum Venetorum duce, ambobus christianissimis, tu  
 » quoque, princeps christianissimus, sanctissimum foedus inires, ani-  
 » mumque tuum devotissimum et voluntatem integerrimam cum illorum  
 » animis voluntatibusque conjungeres, non ut ampliares imperium, non  
 » ut vicinas gentes superares, non ut ex devictis populis praedam ingen-  
 » tem convectares, ut Caio Caesari, ut Pompeyo, ut Crasso, ut Alexandro,  
 » Hanibali, Pyrrho et multis de nostris junioribus in animo fuit, sed ut  
 » crucis vexillum, ut Christi nostri dignitatem, ut ejusdem crucifixi ma-  
 » jestatem, sanctissimam et piissimam nitidissimamque fidem quae inter  
 » tot persecutiones, major, fortior ac potentior semper apparuit, tu, senex  
 » venerabilis, una cum duobus aliis senibus qui tibi consiliis et viribus

» continue aderunt, intactam, inviolatam invictamque servares et ab  
 » impia Turchorum gente defenderes, non immemor beneficiorum quae  
 » in te per omnem vitam clementissimus Deus contulit. In qua re adeo  
 » sancta, adeoque coelestium conventui placitura, ut perseveres non solum  
 » orat Venetorum senatus, qui me ad tuam serenitatem misit, sed etiam  
 » omnes qui Christi fidem colunt, obsecrant et obtestantur. Quae una res  
 » erit, ut omnium est iudicium, quae te rerum per te tuosque gestarum  
 » gloria illustrem et cunctis generis humani populis pro tua justitia, inte-  
 » gritate ac sanctimonia illustrissimum carissimumque faciet. Expectant  
 » enim omnes tuam profectionem, desiderant tuum omnes adventum, te  
 » unum videre siliunt in quo maximam spem ad victoriam consequen-  
 » dam posuerunt, tanquam si acceleres, si festines, si cito cupientibus  
 » assis, sperant, Deo adiutore et te duce, se de Turchorum imperio et  
 » eorum rege impio christianae fidei ruinam minante victoriam habituros. »

Ad eundem Philippum ducem scripsit Franciscus Sfortia, dux Mediola-  
 nensium, qui tamen infestus diu fuerat sedi romanae; sed cum jam deven-  
 nerat in senectutem decrepitam, submitit se offerensque se paratissimum  
 ad defendendam fidem orthodoxam. Unde in epistola quam summo Pon-  
 tifici misit, ita loquitur : « Fateor, inquit, beatissime Pater, maximam  
 » Turchorum fore potentiam, qui bellicis expeditionibus, uti facile memi-  
 » nisse possumus, multos jam aetatis nostrae annos cum maxima christia-  
 » norum strage versati sunt, arma habent ad eminus cominusque pu-  
 » gnandum pro eorum lege ac imperatore, non modo parere imperio sed  
 » mori quoque docti atque parati; habent praeterea ad invadendum et  
 » fugiendum equos agiles corporaque agilia; adde eorum castris XVI<sup>m</sup>, ut  
 » affirmant, quos zanaclarias vocant, robur firmamentumque militiae,  
 » phalangis instar armis assuetos diversarum nationum diversarumque  
 » gentium mercede conductos: huic sicuti tamen nec timendo, ita nec  
 » spernendo exercitui, super trecentis milibus militum pro adipiscenda vic-  
 » toria vires nostrae opponendae sunt, et si cum Philippo ceterisque no-  
 » minatis in litteris tuis, sat erit gentium ad monstrum hoc virulentum et  
 » foetidum conculcandum. — Datum Mediolani anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LX<sup>o</sup>. »



Hoc anno M° CCCC° LX°, frater Alfonsus de Spina, Hispanus, ordinis Minorum Fratrum sancti Francisci, fide clarus et scientia, scriptis suis Ecclesiam ornavit et inter cetera *Fortalitium fidei*, opus percommendabile descripsit. Floret etiam Henricus ex Pomerio, pater venerabilis in monasterio Septem-Fontium, in Brabantia, ordinis Regularium Cānonicorum, qui tractatum edidit *Supra orationem dominicam*, *Speculum caritatis*, *Scutum veritatis*, *Pomerium spirituale*, *Exercitium coelestis conversationis*, *Invitatorium ad proficiendum in scola crucis*, et alia multa. — Obiit Lovanii, magister Embertus de Campo, decanus Beatae-Mariae, villae ejusdem, qui fuit unus de primis universitatis in eadem villa magistratis, tam in artibus liberalibus quam theologicalibus, sub ferula cujus paulo ante, cum *Ethicas* absolveret festivis lecturis, ego, frater A. But, detinehar. Contemporanei vero sui, scilicet magister Henricus de Zomeris et magister Nicholaus de Trajecto, Romae steterunt, ad quam urbem eos sanctissimus noster Nicholaus quintus, ejus erant dilecti, vocaverat.

Ab hoc anno M° CCCC° LX°, professionem suam fecit Dunis eximiae litteraturae doctor et in sacra pagina professor, magister Aegidius de Roya, primum Cistertii filius, deinde pater et abbas Regalis Montis in Francia, ubi postquam lustro vi annorum praesiderat, sinistra vertente fortuna, resignavit et accepta pensione descendit in Flandriam atque sub dompno Johanne abbate, Dunis, in professione xviii annis vixit; et frater Adrianus etiam, de Saeftinghe oriundus, habitum regularem assumpsit, qui, sicut apparet, haec copulavit ad memoriam posteris devolvendam. Nam paulo post idem considerans monasterium Dunensem praecellere fama ac divitiis et honore viciniora omnia alia monasteria, tum quia pastoris ejus auctoritas admiranda, tum ob dicti magistri ac trium in eodem loco bachalaureorum in sacra theologia residentiam, quorum ad temporalia gubernanda summae mentis anhelabat; mibi autem animus datus est in spiritualibus aliqua metiri pro silentio. Quapropter de temporis varietate voluit idem animus meus de quibusdam satisfacere sibi, gesta moresque principum depingendo in generali; et quia non auctentice potuit id praesumere, more igitur monachi fastidientis lectionem cotidiana, nova describere curavit.

Apparuerunt enim circa festum omnium Sanctorum, hoc anno supra notato, tisones et aeris mirabiles impressiones, mutationem sine dubio rerum aut varias alterationes designantes, quia populus vix in fide stabilis, a praedicatione non convertebatur, dataeque igni aleae mulierumque pompositates publice coneremabantur, ymo penitus ad omnem se dedit novitatem malitia hominum hujusce modernitatis.

Hoc anno M° CCCC° LX°, Margareta, regina Angliae, uxor Henrici regis captivi detenti, cum favore quorundam, cepit ducem de Yoreh, ubi devotionem suam cum aliis, scilicet duce de Warvieh et comitibus de Salesbry ac Sufford, in quodam monasterio peragere cupiebat, et eadem regina decollari jussit praefatos et primogenitum dicti ducis de Yoreh, Edmundum nomine, cum domino de Riviers, cum titulo superposito :

*Hic est qui voluit esse rex Anglorum.* — Richardus autem dux de Warvich furtive evasit et mox se junxit secundo genito decollati ducis, scilicet domino Gillemer, alias Edwardo, comiti Merchiaie, et contra partes reginae fortiter agere coepit, quas devicit ut in particulari potest patere.

Soldanus Johannes, sub Weyesich, imperatore Turchorum, ad Pium II<sup>um</sup>, in aliis missivis sibi directis, ita scripsisse fertur, hiis versibus :

Fata monent stellaeque docent, aviumque volatus,  
Totius en subito malleus orbis ero.  
Roma diu titubans, magnis erroribus acta,  
Decidet et mundi desinet esse caput.

Cui responsum est hiis versibus per praefatum papam :

Fata silent, stellaeque tacent, nil praedicit avis.  
Solius est proprium seire futura Dei.  
Niteris incassum Petri submergere navem :  
Æstuat et nunquam frangitur illa ratis.

1461.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXI<sup>o</sup>, in Anglia, post varios conflictus per ducem de Yorch contra Henricum regem quem ceperat captivum, perpetratos, idem dux de Yorch captus est ab Andrea Trolot et ab eodem, manu sua, gladio jugulatus est, cujus caput in spectaculum cum corona superposita Eboraci coram cunctis expositum palo fuit cum primogenito suo equivoi nominis; sed secundo genitus filius ejusdem ducis de Yorch, Edwardus nomine, consociato sibi duce de Warwyc, cum innumera multitudine stipendiariorum eductorum ex Calesia et circumquaque collecta transfretans, Londoniam obsedit et compositione cepit, fugato duce Excestriae, captisque multis baronibus partem Henrici fiventibus, quos decollari fecit, et praefatum Edwardum regem creavit : quem Londonienses acceperunt et consequenter totalis Anglia, et pro rege suo benigne susceperunt, damnato Henrico, qui juxta Londoniam traditus erat custodiae; sed, consilio nobilium, factum est ut idem rex Henricus, salva vita, servaretur inclusus.

Eodem anno christianissimus et illustrissimus Francorum rex Karolus septimus obiit, qui fere XLII annis victoriosissime regnaverat, et, licet in recu-

peratione regni et coronae principio duro, non parum tribulatus ob mortem Johannis ducis Burgundiae fuerit, a suis tamen baronibus et nobilibus fideliter, multum et bene servitus extitit. Hic filios duos reliquit: Ludovicum et Karolum; filias vero III, quarum prima, Katharina nomine, matrimonio fuit conjuncta comiti Caladrensi, filio Philippi ducis Burgundiae; secundam duxit primogenitus ducis Zabaudiae; et tertiam Karolus de Bourbon; quartam (Magdalenam nomine) reservatam Lanceloto regi Hungariae, duxit comes Foscensis. — Ludovicus primogenitus, comperta patris morte, moram non distulit assistentiam implorare a Philippo duce Burgundiae, penes quem jam citra quinquennium percunctaverat, timens ne, juxta patris edictum, Franci fratrem suum coronarent in regem; et collegit Philippus omnes suos nobiles ad introducendum eum vi armorum, quod percipientes Francigenae statim miserunt ad illum scribentes: non opus fore descendere armata manu et illum introducere quem pacifice parati omnes erant in regem suscipere. — XXIII<sup>a</sup> igitur mensis augusti, Ludovicus novus rex, decimus hujus nominis, civitatem Remensem ingressus est cum Philippo duce Burgundiae, qui eundem, pulcherrima comitiva nobilium quorum nomina subsequuntur, ibidem consecrari fecit in regem Francorum.

Ordo nobilium qui perduxerunt praefatum regem Ludovicum Remis, de patria ducis Burgundiae:

Primo Philippus, dux Burgundiae, cum praestantioribus baronibus multis; dominus Karolus, filius ducis, comes Caladrensis, cum baronibus multis ac militibus; nepos ducis, Ludovicus, comes Nivernensis, et sub eo XXVII milites; frater comitis praefati, dominus d'Estampes, Johannes nomine, similiter cum totidem militibus; Ludovicus, comes Sancti-Pauli, cum XVIII militibus sub eo; dominus Adulphus de Clivis; dominus de Ravesteyn et Winendale cum Almanis; dux Anthonius, filius naturalis ducis Burgundiae, cum XXV militibus sub se; dominus de Croy et frater ejus, dominus de Chimay, Johannes de Croy; dominus de Renty, filius ejus, et dominus de Waverins; dominus Anthonius de Croy, ballivus Hannoniae; dominus de Lannoy; dominus de Auxy; dominus Jacobus Luxemborch; dominus de Habbourdin; dominus de Humbereourt; dominus Anthonius de Crevecuer, cum VIII militibus sub eo; dominus Philippus, frater ejus; dominus Philippus Pot et dominus Adrianus Voorhoute; dominus de Robays; dominus Sancti-Venandi et Lornays; dominus Glaudo de Tholonjon

et dominus Tristram, frater ejus; dominus Johannes Lucemburgiae; dominus de Moerkerke; dominus Jacobus Borboniae et dominus de la Roche; dominus Symon de Laleing; dominus Adrianus de Haveskerke; dominus de Hamers; dominus de Schorysche; dominus de Maldeghem; dominus de Beaujeu; dominus de Bergis supra Zomam; comes de Werthembourch; dominus de Grymberghe in Brabantia, et dominus de Gaesbeke; dominus Henricus de Neufcasteel et dominus de Beauchamp (*Bello campo*); dominus Adrianus de Borsalia et dominus de Bouscut; dominus vicecomes de Gandavo et dominus de Nivella; dominus de Haelwyn, Judocus, supremus ballivus Flandriae; dominus Theodericus de Haelwyn, frater ejus; dominus Christoforus Vileyn; dominus Philippus de Laleyn et dominus de Bettencourt; domini Philippus et Anthonius, fratres naturales de Brabantia; dominus de Contay; dominus de Moercourt et plures alii milites usque ad numerum mille et amplius, quorum nomina longum esset et taediosum declarare; sed et qui coronationi regis juxta numerum duodecim parium regni Franciae affuerunt, subsequuntur :

Primo, archiepiscopus et dux Remensis; episcopus Laudunensis et dux; episcopus Lingonensis et dux; episcopus de Chaalon sive Cabilonensis et comes; episcopus Noviomensis et comes; episcopus Belvacensis et comes, spirituales. Dominus dux Burgundiae, primus par et decanus; dominus dux Aquitaniae, in cujus loco sedebat dux Borboniae; dominus dux Normaniae, cujus locum tenuit comes Engolismensis; comes Flandriae, cujus locum supplevit comes Nivernensis; comes Campaniae, cujus locum servavit comes de Eu; comes Tholozae, cujus vicem ceperat comes de Vendosme.

Post hos praefatos, steterunt alii duces, barones et principes :

Primo, dux Aurelianensis; dux Britanniae; dux Clevensis, juxta quem comes Caladrensis, filius Philippi ducis; dominus comes d'Estampes, frater comitis Nivernensis; dominus comes de Genevia; comes de Penthivre; comes Sancti-Pauli; comes de Montpansier; comes de Dunoys; comes de Marle, filius comitis Sancti-Pauli et ceteri filii quatuor; comes de Harricourt; comes de Briane, filius comitis Sancti-Pauli; comes de Portiana; comes Montisfortis; comes de Roussy, filius comitis Sancti-Pauli; comes de Werchembourch; comes de Bouchain, filius domini de Vere, in Zeelandia; comes de Vienne; dominus de Craon; filius comitis de Saluce et dominus de Villiers; filius ducis Zabaudiae, Karolus; dominus Karolus Armigniaci et dominus Philippus

de Borbonia; mareschallus Franciae et similiter admiralis; mareschallus Burgundiae cum multitudine ceterorum nobilium ibidem congregatorum ex diversis principatibus, absque praelatis et curam animarum gerentibus, quorum numerus erat multus et vix assignabilis: tamen ut quorundam recenseantur nomina praesentium, ibidem fuit patriarcha Anthiochiae, legatus summi pontificis; cardinalis et episcopus Constantiae; archiepiscopus Lugdunensis; archiepiscopus Bituricensis; archiepiscopus Burdegalensis; episcopus Leodiensis, filius ducis Borboniae; episcopus Cameracensis, frater ducis Burgundiae naturalis; episcopus Treccensis; episcopus Carnotensis; item Tornacensis, Morinensis, Ambianensis, ceterique de regno Franciae quamplures. Et ultima ejusdem mensis augusti, idem novus rex Ludovicus cum omnibus praefatis intravit Parisius, ubi tanta magnificentia receptus qualem posset decuisse regem, factaque fuere statim, ut moris est regalis curiae, strenuorum militum, baronum et nobilium ibidem a diversis mundi climatibus congregatorum seriosissima torneamenta et hastiludia, in quibus quidem rex ipse manu propria multos creavit milites. Et postquam vero quindecim fere diebus, Philippus dux cum Karolo filio suo ceterisque nobilibus suis, Parisius novi regis ingressum honorifice decorasset et ad propria reverti disponere se videretur, sinistre rex informatus mandavit eundem, et cum eo de multis facta collatione, sic convenit ut villa Peronae cum ceteris, quae dudum certa summa fuerant impignoratae in regis Johannis captivi redemptione, restituerentur. Mox dux Philippus stupefactus ut sapiens et maturus, diem super hiis conveniendi statuit in Hesdinio, festinans multum ad propria. Nichilominus comparuerunt tam rex quam dux in praefato loco; sed filius ducis comparere noluit aliqua timens venenosa latere, quae pro parte probata sunt morte cujusdam Johannis Cousteyn, cubicularii patris ejus Philippi ducis, unde hunc Johannem in Rupelmonda fecit ipse Karolus, filius unicus ducis, praevia confessione decollari, propter quam rem dux filio suo graviter indignatus est, ita ut a facie patris versus Hollandiam properaret, donec, apud Gandavum convocatis tribus statibus, illum reconciliaverit patri suo dompnus Hymbertus, abbas Cistercii. Mox Karolus patri suo miranda secreta per Johannem Cousteyn confessa intimavit, accusans dominum Johannem de Crouwy, nec non comitem Nivernensem, nepotem suum, luculenter exponens novi regis Francorum contractum cum Leodiensibus factum super invasione

ducatus Brabantiae ceterorumque dominiorum ejus, prout hystoria declarabit in posterum.

Eodem anno Pius papa super revocatione pragmatice, regi noviter consecrato talem scripsit epistolam : *Copia litterae Pii papae II<sup>i</sup> Ludovico regi Francorum directae per Johannem Attrebatensem episcopum, post cardinalem Albiensem, delata Parisius, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXI<sup>o</sup>, quam frater Adrianus scriptor secum attulit Dunis eodem anno*<sup>1</sup>.

Apud Attrebatum Valdenses cremati sunt, et coepit regnare secta malorum hominum qui alios mori procuraverunt ex attactu vel olfactu pulveris conspersi super vestes aut flores et alio modo.

Hoc anno Ludovicus delphinus, patris obitu denunciato, non longe a Bruxella, mandavit in eodem loco, ubi tanta nova sibi narrabantur, capellam Beatae Mariae construi.

Sciendum quod rex Francorum Karolus, ipso die Mariae Magdalene, in castro de Meun obiit cum supervixisset circiter LVIII annis. — Obiit eodem anno Karolus dux Aurelianensis, relinquens uxorem suam gravidam, quae fuit filia ducis Clivensis quarta, inde nato filio, novus rex Ludovicus eum levavit de sacro fonte, dicens possibile illum sceptrum posse deferre. — Sciendum quod postquam dux Philippus cum suis nobilibus ad intronisationem novi regis a Remis metropoli Parisius ingressus esset, mox domini de parlamento regis animum induxerunt ad petenda omnia loca quae rex Karolus nuper defunctus duci Philippo pro summa xiiii<sup>o</sup>m resignaverat. Quapropter idem dux post exhibitam reverentiam exivit Parisius ac versus patriam suam descendit; filius vero suus iter versus Burgundiam assumpsit ad visitandum Sanctum-Glaudium. De hinc repetens Franciam, descendit ad regem Ludovicum pacifice salutare Turonis, a quo loco, dum quadam vice cum rege se dedisset venationibus, timore fortasse suae captivis, seipsum perdidit et nichilominus sese regi repraesentavit, allegans a consortio deviatum se perrexisse. Mox eodem tempore captivum Franci ducem novum de Sombrezed adduxerunt, qui fuit affinis sanguine comiti dicto. Quapropter a rege suam impetravit deliberationem, eo quod post mortem patris nuper illatam ab adversa parte regis Henrici captivi, per mare descendere conabatur in Flandriam ad nepotem suum, dictum comitem Cadrolotatum; sed obvius habebat Francos in mari, qui cum ceperunt illico. Quo deli-

<sup>1</sup> La lettre du pape à Louis XI et la réponse de celui-ci sont insérées dans les Oeuvres com-

plètes d'Æneas Sylvius (édition de Bâle), pp. 861 et 865.

berato, rex volens comiti Karolo de Burgundia complacere, tum patris obsequio, tum meritis filii, cujus paulo ante filiam Mariam nomine susceperat de lavachro sacri baptismatis, tradidit ei rex xxxv<sup>m</sup> super ducatum Normaniae, cujus generalem eum constituit gubernatorem. Timido tamen comes animo recessit a curia regis, et ducem de Zombred eum fratre suo fecit Brugis commorari, petens in curiam patris sui ducis Philippi referre magnificentiam regis. Sed repperit patrem lecto decumbere ex veneficio porrecto, a quo tamen cura medicorum per Dei gratiam convaluit, inde tamen obiit nobilis domina filia Petri regentis Portugaliae, neptis ducissae Burgundiae, conjunx domini Adolphi de Ravesteyn, relicto parvulo, nomine Philippo. Et adhuc plures, ut fertur, paratis maleficiis, periculo vitae reperiebantur; nam et nobilis etiam domina Johanna de Baro, comitissa Sancti-Pauli, obiit. Nec multo post Ludovicus, comes Sancti-Pauli, proscriptus a curia ducis, sic laboravit quod in gratiam regis receptus, cepit sororem reginae uxorem, et filius ejus, comes Brianae, cepit aliam sororem ejusdem reginae. Reversus tamen comes Sancti-Pauli pacem suam, mediante comite Cadrolotano, recuperavit, abjectis illis de Crouy; et sic invidia pullulante, nobilis curia Burgundiae tandem laceranda judicabatur.

Comes de Marle, filius comitis Sancti-Pauli, et ceteri filii quatuor ejusdem comitis, comites fuerunt omnes per hereditatem matris, dempto Karolo juniore, qui fuit electus in episcopum Laudunensem. Johannes enim primogenitus, comes de Marle, dominia de Duunkerke, Gravelinga, Brughoreh, Ghistella et alia feodalia cum illis dominiis obtinuit; Petrus vero, comes Brianae, Anthonius fuit comes Rossiaci et mareschallus Burgundiae. Horum avunculi Jacobus de Lucemburgo, comes de Lyngney, et Theobaldus, episcopus Cenomaniae, de quibus miranda leguntur.

Hiis diebus legationes ab omni fere climate orbis declinaverunt ad curiam ducis Philippi praecipue propter Turchorum defensionem tractandam. Unde patriarcha Anthiocenus descendit primo ad regem Franciae pro succursu; deinde venit ad ducem Burgundiae Philippum; sed excusando seipsum dux exposuit qualiter in propria devoverat debellare perfidos, quod utique votum persolvere curaret si Francorum rex noviter institutus pacem ubique contrahere vellet, de quo maxime vacillavit, et sic recessit patriarcha.

De rege Franciae Ludovico XI<sup>o</sup>. — Secundum astrologos temporis hujus, nisi novus rex Ludovicus sensualem suam correxerit inclinationem designatam per Solem, Jovem et Mercurium, inimicabitur omnibus de sanguine suo, et in eos, ut ausi sunt exprimere, voluntatem suam odio, prave ac fraudulenter exercebit; maxime autem, nisi verecundia retraxerit eum, diliget saturninos et martiales, et viles ac vituperabiles exaltabit. Nam intronisationis hora talia minabatur, et nisi consilio saniorum acquieverit, idem rex per dispositionem coeli, erit semper in angustiis et metu secundum figuram nativitatis ejus, et valde timenda sit, ut aiunt, conjunctio duarum infortunarum Saturni et

Martis, quae facta nuper est circa principium decembris, quia Saturnus afflictus et Mars in dicta intronisatione regiam domum inimico respexerat aspectu. Insuper quia praedieta conjunctio venit in medio revolutionis anni, secundum Haly, cap. 11<sup>o</sup> octavae partis, significat quod morietur in eodem climate, et quia locus dictae conjunctionis est naturalis signator regni Franciae, signat quod guerrarii habebunt sub eo magnum posse et dampnificabunt multos, eorum loca depopulando, destruendo ac depraedando. Unde etiam secundum Ptholomaeum, qui revolutiones annorum indicat per eclipses, quia dicta conjunctio accidit in ascendente eclipse lunae quae fuit post meridiem, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XXIII<sup>o</sup>, quando praefatus rex natus est, die xxii<sup>a</sup> junii ejusdem anni, significat quod per eum accidet dampnum omnibus hominibus, ac perdet omnem qui posset in bonis parentum suorum hereditare. Sed si credatur opinioni meae, reperietur quod praefatus rex non fuerit tali die natus, prout assignatur superius, sed sabbato, die quarta julii, hora sexta diluculo, minuta horae xxxv<sup>ta</sup>, eodem anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> viccesimo tertio, apud Rothomagum, secundum aliquos apud Amboys, et eodem anno proprie pater hujus regis Ludovici, dictus Karolus VII<sup>us</sup>, successit patri suo Karolo VI<sup>o</sup> in regnum, licet Henricus, juvenis Angliae rex, natus eodem tempore, sibi contradixerit, unde maxima guerra subsequuta est. Sed praevaluit idem Karolus prout ex hac copulatione legenti clare patet. Sive de moderno igitur rege Ludovico verificetur praenosticatio, sive non, patebit ex declaratione gestorum suorum per me fratrem Adrianum in sequentibus facta. Verum epistolas pontificis, quamquam de illis non agant particularem mentionem, tamen apposui propter veritatem, quae laudanda semper est. Simulavit enim Ludovicus rex de resignanda pragmatica, sed post obitum Pii II<sup>i</sup>, nec non et Pauli II<sup>i</sup>, et tempore Sixti IV<sup>i</sup>, reservavit sibi eam propter Florentinos quos idem pontifex jussit expugnari, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXVIII<sup>o</sup>.

Christoforus Maurus, Venetorum dux, a Pio II<sup>o</sup> magnam summam denariorum suscepit ut regem Ungariae Mathiam in bello contra Turbos adjuvaret.

Praesidentes de parlamento concluserunt si comitatus Arthesiae vel Flandriae devolverentur ad coronam irrevocabiliter permansuri, eo quod nullo pacto, nisi domus Burgundiae destrueretur, regno Franciae succedere possent. Quamobrem, quum in praedictum coronae multa loca resignata fuerunt eidem domui, tempore contractus Attrebatensis, consilium regi quidam dederunt, dicentes utile esse repetere loca talia, quod eum idem rex Ludovicus temptaret, immutatus est animus boni ducis Philippi litteris regis incitati. de qua materia, prout fertur, initium guerrae praenosticabatur; et de facto dux Philippus per curiales regis informabatur secreto qualiter omnibus mediis rex conabatur tradere captivum ducem vel filium ejus, comitem de Charoloys, ideoque significaverunt fideliter quod ex improvise sibi de captione caveret, quum pro persona sua res agebatur, et maxime custodiam adhiberet circa machinationes nepotis sui Johannis, comitis d'Estampes, fratris Ludovici comitis Nivernensis.



Nota hoc tempore de captione Cypri, ejus regni regina Romam descenderat ad summum pontificem. Deinde quaerens subsidia venit ad regem, qui vacuum eam dimisit et venit ad curiam ducis Philippi ejus consolatione percepta discessit. Haec autem regina eum suppellectili sua practiosissima eum descendere putaret, Venetos in mari contrarios illi repperit, qui bonis omnibus nudaverunt eam. Venit etiam ad eundem ducem soror sua ducissa Borbonii Agnes, mater conjugis comitissae de Charoloys ac ducissae Ghetriae, necnon et episcopi Leodiensium, quibus visitatis rediit ad filium suum primogenitum, ducem Borbonii, apud quem paucis supervixit diebus.

Summus pontifex Pius II<sup>us</sup> Romae confirmavit festum Praesentationis Beatae Mariae, quod alii vocant Visitationis Beatae Mariae, et hoc ob diversa miracula quae nuper ad sedem illam relata fuerunt in honorem gloriosae visitationis Elizabeth. Similiter et festum Transfigurationis Salvatoris nostri et alia multa nova festa instituta sunt. Sanctimonialis etiam ordinis fratrum Praedicatorum, scilicet Katharinae Senensis, festum institutum fuit, eo quod eandem putant similem puellae quae apud Hammo oppidum stigmata Salvatoris gessit certis horis tam in manibus quam in cruribus, quae spatio xv ebdomadarum detulit et testibus ostendit, deinde duarum horarum spatio non reperiri poterant, unde post mortem ejus canonisavit eam Pius II<sup>us</sup>, sed removit eam Sixtus IV<sup>us</sup> postea.

Hiis diebus dompnus Johannes, cognomento Crabbe, de Hulst oriundus, abbas de Dunis, pacificus ab omni molestia aulicorum et curialium, residentiam suam decorare coepit, structuris et reparationibus necessariis tam intus quam foris, unde magnifice commendandus a pluribus etiam incolis Flandriae, tanquam supremus abbatum reputabatur ac perfamabatur, quia concilii interfuit tanquam benemeritus pro gubernatione Flandriae, etiam tempore ducis Austriae, Maximiliani.

Haec nota quod Ytalici promiserunt regem eligere in imperatorem, si tamen domum Burgundiae simul cum domo Britanniae prius destruere vellet, et hoc Ytalos ad cautelam fecisse ferunt ut bella moveret quatenus ipsi paece gauderent, miseruntque pecunias regi; sed et preciosa munera collateralibus regis dederunt ut eum informarent prius esse subjiendos inferiores dominos et feudales suos duces, scilicet Britanniae et Burgundiae, qui potentiores erant quam ipsi. Idem vero Ytalici eum magna pompositate venerunt ad Philippum ducem Burgundiae in dolo petentes ex parte ducis eorum, videlicet Francisci Sfortia, sibi confoederari contra regem novum Francorum qui, prout conceperant, erat intentionis eos sibi velle subactos facere, viso quod Karolus dux Aurelianensis, verus heres, natus ex filia Galcaecae quondam ducis Mediolani et Ytaliae, superstes adhuc, propter paupertatem et impotentiam suam nunquam valuit praefatum ducatum possidere, quanquam summi pontifices toto nisu conati fuissent armis tam spiritualibus quam secularibus impugnasse comitem Franciscum Sfortia, filium illegitimum Galcaecae, usurpatorem Ytaliae, et nuper, ut dicebant, pro magna summa vendiderat praefatus Karolus dux Aurelianensis Ytaliam ipsi novo regi Francorum. Qua in re contra eundem petie-

runt ducis Burgundiae confederationem. Qui dux respondit eis quasi divinitus inspiratum verbum, dolositate hac se minime indigere: « Sciebam enim, inquit, ducem » vestrum indignum et contra divinam legem et humanam sibi usurpasse Ytaliam, » particularesque subjectos redegissem de libertate in servitutem, quemadmodum nobis » molitur Francorum rex, pro bonis quae sibi impendimus, exhibere velle; sed nec illi » fidem, nec vobis contra eundem feremus auxilium. » Et sic vacui et inanes recesserunt. Et quidquid dicatur de origine turbationis novi regis contra ducem Burgundiae ceterosque duces et barones feudales, principalis causa est dominandi cupiditas. Putabat enim taliter informatus rex Francorum, sicuti feudales sunt, Franciae sub alta dominatione, non tam liberi quin omnia thelonia subacta sint sibi immediate, ita putabat, adhibitis variis articulis, omnes alios sibi subjicere. Unde primo incepit a socio suo duce Borboniae, vicino sibi in regno, qui Philippo duci Burgundiae, avunculo suo, querelam exposuit petens in hoc ipsius assistentiam; qui dux tandem misit filium suum Karolum, et obviaverunt sibi mutuo rex Francorum et praefatus Karolus in loco qui dicitur Mons-le-Hery, ubi cessit victoria Karolo, prout in sequentibus patebit.

Dompnus Johannes, abbas Dunensis, eximium sacrae theologiae professorem magistrum Aegidium de Roya, suum professum religiosum accipiens penes se, plurima consilio suo notabilia perrexit temptare; et cum hic magister dudum inter curiales tam Franciae quam Burgundiae, siquidem ipse de Cistercio primum professus, deinde monasterio Regalis-Montis aliquot annis in regno praesidens, agnosceretur, non parvam renovavit amicitiam ipsi praefato dompno Johanni, cum magistro Willelmo Hugonet, cancellario Burgundiae, magistro Jobanne Gros, thesaurario, et magistro Guillelmo Byehe, magistro hospitii, sic quod ad fastigium honoris per eundem magistrum Aegidium paulatim devenit, ut esset de consilio tandem et unus de commissariis Flandriae.

1462.

Sequenti anno, videlicet M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXII<sup>o</sup>, pedetentim coepit oriri discordia inter Ludovicum novum regem Francorum et Philippum ducem Burgundiae ac Karolum, filium Philippi, comitem Caladrensem, cui privatas idem rex collocavit insidias, et inter curiales ejusdem curiae ducis, accusati sunt dominus Nivernensis, nepos Philippi ducis, filius Philippi, fratris scilicet Anthonii ducis Brabantiae et Johannis ducis Burgundiae, ut postmodum patebit, et inter dominum de Crouvy, qui statim proscripti sunt a curia; coepitque Pius papa christianos undique provocare, scribens pro subsidio contra Turchos ad Philippum ducem Burgundiae taliter in forma:

« Dilecto filio, nobilique viro, Philippo duci Burgundiae, salutem et apostolicam benedictionem. — Litteras tuae nobilitatis accepimus, quibus te » ostendis magnam animo cepisse amaritudinem ex hiis quae nunciata » fuerant, Venetis scilicet magnam stragem fuisse illatam a Turchis, fidei » hostibus; propterea vereri Excellentiam tuam id, quod a multis affirmatur, » tur, eam ob rem non posse Venetos statuto tempore paratos esse ut communibus viribus hostem aggrediamur. Addit deinde tua Excellentia quod » ob multas, ut fit, difficultates exortas in tractatu concordiae inter carissimos filios nostros, Francorum et Anglicorum reges, in oppido tuo » Sancti-Audomari, res effectum non habuit ac propterea translata esse » dictam ad medium futuri mensis aprilis in quo resumptis tractatibus » speratur tractatus ille concludi, ob id tuam nobilitatem a regibus ipsis » requisitam ut dictae intersit, quum te optimum mediatorem existimant, » obtulisseque eos tuae Excellentiae, re conclusa, magna pro defensione » fidei subsidia, et quum non posses, si is mos geratur, praestituto tempore » in hostes proficisci, suades nobis ut tempus ipsum ad duos saltem menses » differatur. Interea enim tua Excellentia credit Venetos melius parari posse » et demum, secuta inter reges concordia, magna eorum auxilia in hostes se ducturam : quam tamen dilationem ad iudicium nostrum totam remittis. » Non dubitamus, fili dilectissime, mentem tuae Excellentiae perturbari, » ubi christianorum stragem intellexeris, praesertim sociorum belli, et ab » hostibus illatam esse. Id enim boni et religiosi principis est fidelium » defflere calamitatem. Quod et nobis contigit ubi simile nuntium est allatum : non quod Venetos existimarem animo frangi, quos magnanimos » cognovimus, sed quod miserti eorum sumus qui interempti nunciabantur, et superbientem hostem majore animo christianis insultaturum verrebamur. Rerum deinde comperta veritate, omnem animi turbationem » deposuimus. Ea ut sese habuerunt, licet existimemus, partim nostris, » partim aliorum litteris ad hanc diem tuae nobilitati nota esse, tamen » pro debito modo et rei claritudine hic explicare volumus. Non est strages, neque calamitas appellanda quam Veneti in Peloponneso a Turchis » passi sunt; nec quicquam illis illatum est quo debiliores aut remissiones ellicerentur, aut ad res exequendas dilatione illis sit opus. Aggressi » sunt Veneti Peloponnesum, ut scit tua nobilitas, magno animo, navali et » terrestri exercitu, clauserunt eam muro quam celerrime, ceperunt plura

» ejusdem regionis loca quae Turchis parebant, Corinthum urbem olim  
 » nobilissimam et loci natura munitissimam aggressi sunt oppugnare; sed  
 » cum aere certamen instaret, Turchis strenue saxis et sagittis se defen-  
 » dentibus, nox tandem praelium diremit, multis utriusque, ut in oppu-  
 » gnatione moris est, sauciis, inter quos dux exercitus veneti ictus lapide  
 » paucis post diebus interiit. Nonnulli etiam, levi et nocturna ex improvise  
 » commissa pugna, hinc inde sunt interfecti, unde milites Venetorum ab  
 » oppugnatione Corinthi destiterunt et ad murum reversi sunt. Cumque  
 » deinde propter instantem hyemem increbrescerent ymbres, et exercitus  
 » ventis ac pluviis atque etiam frigore acriter premeretur, quia sub aperto  
 » aere degebat, atque ob id variis milites agitentur infirmitatibus, visum  
 » est illis qui exercitus curam gerebant consultius esse eum servare inco-  
 » lumem et per stationes dividere ac ad hyberna sub tecta mittere; et ita  
 » per loca Peloponnesi quae antea Venetorum fuerant et per ea quae  
 » nuper acquisierant, sunt milites distributi, et sic de muro recesserunt,  
 » nullo eos hoste urgente, nec apparente quidem. Instrumenta autem bel-  
 » lica omnia in classem redacta sunt, ita ut exercitus incolumis servatus  
 » sit, et classis et bellica instrumenta atque loca acquisita salva sunt Vene-  
 » tis. — Post autem nonnullos dies, cum audirent Turchi, qui in finitimis  
 » erant regionibus, exercitum Venetorum a muro decessisse et se ad hy-  
 » berna concessisse, ingressi sunt Peloponnesum ad numerum xv<sup>m</sup>, infes-  
 » tantes diversa loca in quibus Venetorum milites hybernabant, et ubique  
 » repulsi sunt ac quamplurimi interfecti, ita ut tandem a Peloponneso  
 » discesserint: quod ex copia litterarum, hiis inclusa, tua intelliget Excel-  
 » lentia. Non igitur cladem totalem passi sunt Veneti, nec aliquid emerit  
 » quo tardiores effecti sunt, ymmo vero cotidie ardentiores fiunt; mise-  
 » runt nuper novum capitaneum classis Orsatum Justinianum, addiderunt  
 » et alias triremes classi, auxerunt etiam terrestrem exercitum; omnia  
 » Venetiis ad bellum hoc fervent, nec punctum quidem temporis amittunt.  
 » Quippe qui recte intelligunt praepotentem hostem esse, propterea magnam  
 » victoriae causam in celeratione et praeventione consistere aiunt. Mise-  
 » runt ad nos alium oratorem suum, ut apud nos sollicitaret et nos urgeret,  
 » sed non necesse erat. Omnia enim posthabuimus et habemus ut huic rei  
 » reservatae inserviamus; hoc unum mentem nostram occupat; huc ani-  
 » mum convertimus ut statuto tempore videant christiani populi nos re

» ipsa servasse quod verbis promisimus, cognoscant se a nobis non esse  
 » deceptos. In diversis locis et portibus Ytaliae nostros facimus apparatus  
 » et nostrae classi operam damus; accingunt se etiam operi diligenter ve-  
 » nerabiles fratres nostri Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales et ferventer  
 » praeparant ne in tempore desint. Nec deest nobis adjutor Deus, ut, Ytalia  
 » pacata, liberius inceptis nostris intendere possimus. Quippe post disces-  
 » sum oratoris tuae nobilitatis, sublata est in regno Siciliae magna belli  
 » suspicio; nam, defuncto principe Tharentino, omnia quae sibi parebant,  
 » in ditionem carissimi filii nostri Ferdinandi regis Siciliae pacifice et sine  
 » armis devenerunt, ita ut omnia fere in tuto collocata esse videantur et  
 » subventioni fidei omnes liberius intendere possint. Sunt ea loca ut pluri-  
 » mum maritima et huic expeditioni oportuna, per quae commeatus, equi,  
 » arma et alia ad bellum necessaria facile conveyi possunt et Turcis vicina,  
 » ex quibus ad illos erit brevis et oportunus admodum transitus, nostrisque  
 » magna securitas. In Hungaria res feliciter prospereque succedunt. Carissi-  
 » mus in Christo filius Mathias rex, ardentissimo animo bellum ingressus,  
 » universum Bossenae regnum, per Turchos anno superiore occupatum,  
 » recuperavit: quod per exemplum litterarum quod hic transmittimus,  
 » cognoscat tua nobilitas. Crede, fili mi, non deseret nos Deus: gloriosam,  
 » piam et justam causam suscepimus. Quod igitur pie et religiose coepisti,  
 » prompto animo perfice, para te celeriter et accingere ad arma, ad causam  
 » Dei, ad defensionem fidei, ad vindictam crucis contra blasphemiam ge-  
 » rentem, ut statuto tempore paratus nobiscum assis. Ostende te cunctis  
 » nationibus talem esse qualem cuncti populi praedicant: eum scilicet esse  
 » principem, cujus promissa inconcussa et intemerata sunt, et firma esse  
 » omnia et stabilia quae promittis. Hoc est quod aliorum Christi fidelium  
 » mentes et animos pro fide catholica erigit, cum vident immutabilia esse  
 » quae promittimus. Crede nobis, si praefinito tempore ibimus, plurimi nos  
 » sequentur. — Ad tuas igitur litteras redeuntes, dicimus non videri nobis  
 » utile profectionem hanc aliquo temporis spatio differri, sed diligenter  
 » servandum esse statutum tempus, quod cunctis populis christianis am-  
 » modo notum est. Per omnes enim christianas nationes misimus litteras  
 » apostolicas profectionis nostrae ac tuae auctenticas, quas ubique locorum  
 » publicari jussimus. Misimus per universas nationes nuncios et oratores  
 » nostros qui requirant christianos principes pro indicto tempore, qui

» quoscumque fideles incitent ad profectionem tuam et nostram, et profec-  
» tionis tempus palam enuncient. Hii omnes, ubi rem differri in aliud  
» tempus audierint, verendum est ne animo excidant et tepidiores fiant,  
» promissis nostris pene diffisi, quae mutata et in aliud translata tempus  
» inspicerent. Nec enim plus fidei habituros eos credendum est, re in aliud  
» tempus translata, cum viderint nos in tempore quod in tanti conventus  
» celebritate ac oratorum et litterarum solempnitate publicatum et nuncia-  
» tum extitit, defecisse; putarent forte se deceptos et delusos, et plurimi  
» in malam partem hoc accipient et interpretabuntur. Nos, fili dilectissime,  
» ut uno verbo sententiam nostram absolvamus, existimamus nil ad prae-  
» sens periculosius futurum christianae reipublicae, quam, ne dicamus  
» promissorum dilationem, sed etiam quamvis dilationis suspicionem, cen-  
» semusque maximae operae pretium esse si omnis quae forte hac de re  
» suspicio emergerit, tollatur e medio, omnibusque notum fiat nichil inten-  
» tionis tuae mutatum esse, sed persistere et perseverare tuam Excellentiam  
» in sanctissimo ac piissimo proposito suo, te statuto tempore in hostes  
» profecturum, nec a promissis ac publicatis ullo pacto discessurum. Crede  
» nobis, dilecte fili, multos ministros habet humani generis hostis et  
» malorum sator, qui aliter principibus et populis suadere conabuntur.  
» Tuae autem fidei et integritatis est te talem ostendere qualem futurum  
» sperant qui bene cupiunt. Confirmabis Hungaros, consolaberis Venetos  
» magna spe, qui, ubi consulta et decreta in aliud tempus differri intelli-  
» gerent, hac spe dejecti et de nobis diffidentes, veriti ac suspicantes ne  
» deserantur, forterebus suis aliter consulerent et auscultarent oblationibus  
» quas eis Magnus fecit Turchus, quod esset extremum christiani populi  
» exitium. Nos autem ad praesens constantissimos atque ferventissimos  
» eos reperimus. Accedit quod cum hostis noster potentissimus sit, solitus  
» semper mature ex hybernis educere, quem et celeritate et praeventione,  
» ut diximus, arcere et opprimere possemus, daretur sibi occasio per hanc  
» dilationem conflandi majores ac validiores exercitus, ac milites et prae-  
» sidia per diversa loca disponendi et nostros potentius opprimendi. Esset  
» praeterea recte considerantibus dilatio haec non duorum mensium, sed  
» revera integri anni; nam in fine duorum mensium instaret hyemis et  
» finis aestatis, omnisque temporis oportunitas cessaret, quod rebus bel-  
» licis adversatur: ad aliam igitur aestatem rem differri oporteret, quod

» totum ad utilitatem hostium maxime cederet et in perniciem nostram.  
 » Quantum vero pertinet ad concordiam regum praedictorum, dicimus  
 » nobis vix pauca gratiora nunciari posse quam duorum potentissimorum  
 » regum christianorum pacem et concordiam, cum enim, ut decet nos et  
 » a natura nobis inest, pacem amemus tum maxime ut ex hac, ut tu scribis,  
 » magna sperare debemus auxilia pro defensione fidei christianae, tum  
 » etiam ob eorundem regnorum mutuam amicitiam. Quamobrem tuam  
 » nobilitatem obnixius hortamur et requirimus ut omni studio coneris ut  
 » praefati reges concordēs fiant et in hac re nichil diligentiae omittas; sed,  
 » quum sine detrimento praestituti temporis ad profectionem nostram in-  
 » teresse tractatibus concordiae non posses, laudamus et hortamur ut  
 » alium loco tui statuas, qui concordiam, ne sub spe certi boni futuri dif-  
 » feratur, efficiat. Consultius tamen arbitramur proficisci statuto tempore,  
 » etiam si certa esset futura concordia, propter certissima dampna et detri-  
 » menta christiano populo imminētia. Poterint enim reges post profec-  
 » tionem tuam, concordia facta, quae voluerint auxilia ad te mittere, et  
 » ita in omnem eventum optime consultum apparebit. Omnino autem sta-  
 » tatum tempus observandum esse censemus, ne qua suspicio mutati  
 » animi fidelium mentes invadat per ea quae diximus: quod nobilitatem  
 » tuam pro innata et ingenita virtute sua non dubitamus effecturam. —  
 » Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris. »

Philippus igitur dux, hiis verbis blande commonitus, maximum belli ap-  
 paratum cunctis suis nobilibus indicens, se quoque processurum in hostes  
 crucis accinxit, navalem pariter et terrestrem conatus educere copiam, mox  
 a proposito per Leodienses avertitur, qui confoederati Ludovico regi Fran-  
 corum episcopum eorum repulerunt, qui de domo Borboniae filius erat  
 sororis ejusdem Philippi ducis Burgundiae. Allegantes causam repulsionis  
 cum nollet celebrare, nec sacerdos effici, quemdam admiserunt potentem  
 virum ex Almania, fratrem palatini Coloniensis, qui veniens tandem ad  
 illos, publicam satis guerram minatus est inferre. Hac difficultate orta, Phi-  
 lippus dux convocat suos et interrogat quid expediret agendum. Maturo  
 determinatum est consilio eum non proficisci, sed mitti posse ad statutum  
 tempus compariendi filium suum naturalem Anthonium, qui gravissimum  
 illud onus magnifice peragendum loco patris acceptavit. Navigio igitur penes  
 Slusam praeparato, manu robustorum juvenum, non paucis admodum

electis etiam militibus ac omni parte confluentibus, alto se committens pelago pervenit Marsiliam, qui, dum adunato exercitu magnum adhuc maris spatium peregisset, applicuit in regionem quamdam ubi Mori vel Ethioes erant incultores, contra quos gestis aliquibus pungitivis, cum paulatim suos variis amiserat aegritudinibus, reditum fecit in Portugalia, ubi receptus benigne litteras recepit a duce Calabriae doli machinati declarativas. Continuo igitur regressus, pluribus suorum amissis, inglorius inde per terram, relictis navibus et bellicis instrumentis, patri suo Philippo receptas tradidit litteras. Quibus perlectis, tunc primum rebus confessis nuper per Johannem Cousteyn fidem adhibuit in testimonium rebellionis Leodiensium, ad quos ipse Philippus dux sedandos, blandis verbis benigne voluit exhortari et ammonere studuit omnibus modis, ad eos scribens ut desisterent a rebellionem seu potius repulsione episcopo eorum demonstrata eo quod nollet praefixe ad libitum ipsorum celebrare. Fuit autem episcopus eorum filius ducissae Borboniae, sororis ejusdem Philippi ducis Burgundiae, qui successerat domino Johanni de Heynexberghe per resignationem : quam ob causam bono nunquam animo de post exstiterunt, eo quod exosam graviter haberent domum de Burgundia. Fugaverunt igitur statim episcopum et apud Huy, villam fortem ejusdem patriae, saepius ipsum inquietabant. Sed missis tandem ambassiadis mitigatus modico est eorum animus, promissitque primam celebrare missam sequenti anno, atque officium episcopale taliter adimplere quod merito contenti non haberent super illo conqueri.

---

Ipsa die beati Jacobi apostoli decollatus fuit dominus Johannes Coustein, miles et camerarius ducis Burgundiae, pro demeritis, quia contendebat domum Burgundiae intoxicare, praecipue comitem de Charoloys, unde ab ejus confessione totum processit initium guerrarum inter ipsum regem novum ac ducem Burgundiae. Unde dux Burgundiae mox nuncios ad regem novum direxit et praecipue dominum de Symay, qui, praefato rege durius respondente quam decuit, reportavit qualiter rex interrogaverat ab eo an dux Burgundiae plus quam alii principes de calibe duriori formatus esset? Et breviter dominus de Symay detulit quod omnibus modis rex loca sibi resignari petiit invadiata pro summa xiiii<sup>e</sup>; et jam rex quadringenta milia numerare duci Philippo voluit, ut rehaberet villas, scilicet Ambianis, Abbatisvillam, Monstreolum, Peronam, Sanctum-Quintinum, Royam, etc. Unde longa decertatio intervenit quia comes Chadrolotanus ad dietam apud Hesdiniam statutam interesse noluit ut summa denariorum reciperetur, sed dixit praefatos denarios ex thesauro patris sui Philippi sublato per dominos de Croy



et Lannoys. — Quod cum rex Ludovicus audisset, misit bastardum de Reubenpret ut adduceret comitem praefatum, qui quidem bastardus in commissis habebat a rege ut nuncios ducis Britanniae super mare captivos faceret. Sed quia nuncii adire volebant regnum Angliae pro nova liga, bastardus in Hollandiam applicuit, ubi comes erat Cadrolotanus. Unde, detecto negotio, praefatus bastardus acceptus est captivus, qui mox plurima de secretis regis comiti significavit; et ex hac hora rex apud Duacum misit, et reum laesae majestatis declaravit comitem de Charloys quod hominem regis detinuerat et quod in praedictum coronae se cum Anglicis, cum quo dux Britanniae foedus inierat, alligabatur: haec et alia rex impingere praesumpsit ad deletionem domus Burgundiae.

Civitas Tholosa pro maxima parte conflagrata est, et rex Ludovicus accedens eandem civitatem relaxavit viginti annis de regalibus emolumentis, deditque monasteriis comitibus ad restitutionem eorum donaria multa. Fertur vi<sup>m</sup> domos flammam consumpsisse.

Dux de Varwyce, filius comitis Salesberiensis, avunculi scilicet ipsius Edmundi intercepti ab Andrea Trolot, una cum Riquardo de Ioreh in quodam monasterio nostri ordinis Cisterciensis, bannitus venit ad Philippum ducem Burgundiae, et in Hollandia mansit, deinde Calisiam accepit, a qua transfretavit in Angliam.

Fertur quod hoc anno Margareta, regina Angliae, subsidio quorundam, fecerat hos tres decapitari, scilicet ducem de Iork, comites vero de Sufford et de Salebry, una cum primogenito ducis. Mox Edwardus, secundo-genitus ejus, pro tunc comes Marchiae, vocatis duobus fratribus suis ex Hollandia, mediante Riquardo duce Warveehiae, se bellis contra reginam implicuit, et quasi miraculose in regnum, eodem tempore quo rex Ludovicus novus intronisatus est, et idem Edwardus coronam regni Angliae consequutus est.

*Copia litterae seu missivae Philippi ducis Burgundiae, etc., ad Leodienses <sup>1</sup>.*

« Intelleximus, venerabiles viri, vos post paucos dies in finitimis terrae nostrae Namurensis viciniis turrim arduam consilio et assensu communi extruxisse: quod equidem non pro medioeri ducimus injuria factum. Ita enim per vos cum illustrissimo atque clarissimo Burgundorum duce Johanne, parente ac praedecessore nostro dilecto, pactum erat, vos ne pusilla illa Namurensis manus vestrae libidini subdita maneret, in viciniis fluentis ripae nichil quidquam, aut castrum aut turrim, instaurare postea debere; eoque foedere multos jam annos tranquillo in otio et concordia vobiscum vitam egimus. Exstant hujus rei asperrima monumenta, exstant scripturae, exstant litterae, signacula simul et sigilla vestra. Vos igitur vestrorum majorum vestrique adeo

<sup>1</sup> M. de Ram a publié, dans ses *Analecta Leodiensia*, la plupart des fragments du manuscrit d'Adrien de But, qui se rapportent à l'histoire du pays de Liège, de 1450 à 1480; mais cette lettre de Philippe le Bon n'a été citée nulle part. Il convient

d'ajouter qu'elle ne se trouve pas placée ici à sa véritable date: elle est de 1451 environ et fait allusion à la tour de Montorgueil, près de Bouvignes, qui avait été relevée par les Dinantais.

» immemores, contra jusjurandum, contra Deum ac religionem, pacta vestra resolvitis  
 » ut, defessi quiete atque otio, nostrae majestati ferrum et arma comminari tandem videamini. Quas ob res, cum nec armis, nec copiis degeneres nos priores nostri reliquerunt,  
 » vos quibus priscorum vestrorum prisca exempla, patriae flammae atque cineres, duraque bellorum pondera habunde pacem suadent, etiam atque etiam horror et hortamur,  
 » atque pro communi salute monemus ut in ea re quidquid acceptum aut peractum est, id a nostris terris cohibeatur et prorsus demoliamini. Nonne a vestris animis  
 » prorsus jam excidit crudelis belli memoria? Nonne domestica orbitas, suus quisque caesus, aut frater, aut pater, nonne flammata quondam patria vos quidpiam moneant?  
 » Vos igitur melioribus servate consiliis, aut si minus vobis, patriae tamen, liberis tandem consulite. Quod si faciatis, nichil vobis nostra benevolentia facilius erit. Sin spreveritis, vestro sanguine ac strage exempla posteris vestris statuemus. Videte, si periculi fluitante furore inconsulto quoque ignarae gentis impetu regi vos patiamini,  
 » quo pacto haec accipietis atque digeretis. Ita valete. »

His diebus, Gheldria bellis multis laceratur, eo quod filius patrem in vineula detruaserat. Quod cum aliquibus villis displiceret, non parum Johannes, dux Clivensis, tulit avunculo suo Arnolde duci Ghelriae subsidium et exercitum introduxit; sed fortiter filius juvenis Adolphus contra eum descendit cum Neumagensibus et contrivit bis Clivenses ac coegit eos in fugam. Bellum igitur intrinsecus patriam fovere coepit, quibusdam villis adhaerentibus patri, quibusdam filio: quae commotio pertracta est post septem annos captionis patris, quo deliberato, vendidit Philippo duci Burgundiae dominium, nec multo post, defuncto duce Philippo, filius ejus Karolus dux Burgundorum suasu patris, filium in vineula conjecit et ad se traxit ducatum Ghelriae, defuncto Arnolde duce apud Ghreviam, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXII<sup>o</sup>. Quo duce Karolo succumbente bello Lotharingorum ante Nanehy, deliberatus a captivitate praedictus Adolphus et electus a Gandensibus in capitaneum, contra Tornacenses egressus occubuit, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXVII<sup>o</sup>, relictis filio ac filia quos domina Maria de Burgundia educavit. Sed dux de Brunswich postea repetiit.

Hoc anno nuptiae factae sunt inter Adolphum juvenem, futurum ducem Ghelriae, et filiam de domo Borhoniensi, neptem ducis Philippi, de qua gemina proles processit. Deinde Johannes, comes Niveruensis, a curia ducis Philippi recessit, eo quod comes de Charoloys suspectum eum habebat; deinde dominus de Croys et dominus de Lannoys banniti fuerunt a curia.

1465.

Igitur anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXIII<sup>o</sup> oriri coepit inter Leodienses et eorum episcopum gravis discordia. Scientes autem episcopum eorum fore

de sanguine Philippi ducis Burgundiae, timuerunt publicam tam cito indicere guerram; sed missa perpulchra ambassadia, petierunt a Ludovico rege Francorum jamdudum promissam ab eodem rege assistentiam sibi prius dari. Rex autem Ludovicus, dissuadens guerram usque ad tempus oportunum, mandavit differri donec res aliter deduceretur: sciebat enim cautiorem invadendi modum. Putabat enim per generalem crucesignationem, quae fiebat ex mandato universalis ecclesiae per Pium papam, plures et quam maxime praestantiores nobiles et barones evocandos fore ex omni dominio Philippi ducis, sicuti copia bullae missae videbatur declarare, quae sic incipit:

« Pius episcopus, servus servorum Dei, universis et singulis Christi » fidelibus salutem et apostolicam benedictionem. Ezechielis prophetae » magni, etc. <sup>1</sup> »

Hiis verbis in tantum persuasus exstitit illustrissimus princeps noster, Philippus dux, ut, nisi a suis abductus fuisset, haud dudum juxta propositum suum iter arripuisset. Sed dissuasiones omnium suorum nobilium diverterunt animum tanti principis in tempus aliud; sicque confusus summus pontifex non percepit ab eo quam promiserat assistentiam: nichilominus excusavit se per aegritudinem quam incurrerat et per commotionem Leodiensium.

Eodem anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXIII<sup>o</sup>, obiit regina Franciae, mater Ludovici noviter regentis, in cujus exequiis ipse noluit comparere, sed frater ejus Karolus comparuit, qui factus fuit dux Normaniae, patre superstite; sed rex iste modernus noluit in hoc sibi assentire: quare paulatim Karolus, tantummodo dux Bituricensis, coepit conqueri, diversis super fratre suo rege scribens, praecipue querulosas litteras avunculo suo ex parte primae uxoris, ipsi Philippo duci Burgundiae, necnon filio suo Karolo, comiti Caladrensi, quem fratrem appellavit ob sororem quam idem comes primo duxerat. Tandem fugit a facie regis, fratris sui, versus Franciscum ducem Britanniae. — Item varii conflictus facti sunt hoc anno, quorum historiam habere pro praesenti minime potui, inter Christianos et Paganos sive Turchos, contra quos Pius papa procedere nisus est cum pluribus nobilibus

<sup>1</sup> Cette bulle est reproduite dans l'édition des œuvres d'Æneas Sylvius, publiée à Bâle, p. 914.

Le manuscrit d'Adrien de But ne la donne pas en entier.

undique collectis; sed votivum res sortita non est exitum. Similiter in Anglia, partes Henrici defecere penitus, quae superioribus annis contra Edwardum de Yorch noviter intrusum tam valenter obsteterant. Nam ter praefatum Edwardum, necnon ducem de Warwyc, fautorem suum, gravissimis praeliis de campo pepulerunt; unde lapsi fuga salvati sunt in Londonia, quae quidem ab ipsis de parte Henrici tamdiu fuerat obsessa ut, nisi Guallenses obsidionem levassent, civitas indubitanter reddita fuisset. Relicta igitur civitate, clam recesserunt Edwardus et dux de Warwyc undique praesidia contracturi, quatenus quarta vice conflictum partibus Henrici deliberarent, factumque fuit ut, mediantibus illis de Londonia, necnon exteris regni, de partibus ultramarinis et theuthonicis, inter has duas partes congressus haberetur, et cessit ipsi Edwardo tunc primum victoria, caesaque fuere XL milia virorum ex utraque parte, non obstante Guallensium fraude, qui, cum in campo starent, cum fortiori pugnare maluerunt quam fidem Edwardo servare. Quasi miraculose igitur victoria cessit Edwardo, qui, duce de Warwyc fugiente, cum paucis suorum et Theutonicorum descendebat pedes pugnare, scissis ab anteriori parte, prout moris est nobilium deferre, rostris calcamentorum. Porro subactis partibus Henrici, mansit ipse Edwardus pacificus rex, mediante duce de Nortvolc, qui, quamdiu vixerat, illi favebat; sed et dux de Warwyc fortiter ad obedientiam cunctos nobiles redegit aut attraxit, qui tandem dux potentissimus factus in divitiis, illi effectus est adversarius.

---

Hoc anno Philippus Bonus, dux Burgundiae, direxit episcopo Maguntinensi v<sup>o</sup> armigeros. — Tanta litterarum et indulgentiarum passim vendebatur gratia, ut omnino vilesceret clavium atque litterarum apostolicarum auctoritas.

*Epistola Yzotae Nogarellae ad Guarrinum Veronensem.*

« Verebar antea, vir insignis Guarrinē, scribere tibi, quum non par arbitrabar me  
 » tyronem litterarum ad te oratorum principem litteras dare. Nunc orta est occasio  
 » ut tui plus apud me valeat auctoritas quam pudor; quoniam tui promotam laudatione;  
 » quam virtutis meae praemia, si qua est, esse duco, non potui non ingentes tibi gratias

» agere, quamquam quaecumque tibi retulero pro tuis in me meritis, parum emulate  
 » egisse videbor. Tantis me laudibus dignam censuisti et singulari tua humanitate tot  
 » ornamentis me cumulasti, ut ignorem quae tibi, quae digna tui, pro laudibus tuis  
 » praemia possent resolvi. Sunt Domino divo Jhesu plurimum agenda gratiae, cum ad  
 » virtutis, ad litterarum studia te scilicet aeternum lumen esse concernam, quo nos  
 » gaudeamus; et haec civitas, dum erit, laetabitur. Admonet me quoque res ut hoc in  
 » loco absentiam tui deplem, nisi a me aliena videretur, o pater omnium, divumque  
 » aeterna potestas! Namque aliud quid jam implorare queamus? Quis deus, o cives,  
 » quae vos dementia adegit ut hunc virum, tanquam divum munus ad nos ex alto domi-  
 » cilio demissum, cum quadam veneratione non retineatis, ac eum, ut aequum est, summo  
 » honore non colatis? Legimus enim, ut te auctore utar, non paucos mortales tam longis  
 » terrarum marisque tractibus, pascendorum oculorum auriumque et animorum gratia,  
 » ad Olimpia venisse, non voluptatis oblitos, Platonem adiisse, Platonem intueri, eum  
 » Platone proinde in amicissimo diversorio conquievisse. Quid enim nobis tam absur-  
 » dum est quam virum magnum et in nostra republica natum, virtutibus affluentem,  
 » non expetere? Proch dii immortales! non intelligitis quanti virtus aestimanda sit quae,  
 » pro verbis Cyceronis, eripi, nec surripi potest, nec naufragio vel incendio amittitur, nec  
 » tempestatum aut temporum mutatione mutatur, qua qui praediti sunt, soli sunt divi-  
 » tes, soli possident res fructuosas ac sempiternas, soli, quod proprium est divitiarum,  
 » contenti sunt rebus suis, quia satis esse putant quod habent, nichil appetunt, nulla re  
 » egent, nil sibi deesse sentiunt, nil requirunt, dictumque est a viris sapientissimis: nulla  
 » summa auri et argenti pluris quam virtus aestimanda est; omnia assumunt cui penes est  
 » virtus. Nonne Leonellum virum illustrissimum tollemus ad astra, ante annos animum  
 » agentem curamque virilem, qui hoc tam praeclare intellexit, eum id visum sit alienum  
 » a dignitate sua, quod Agamemnoni regi fuit honestum, habere aliquem in consiliis  
 » capiendum Nestorem? Multa enim sunt ab eo prudenter acta, cum nil magnificentius,  
 » nil praeclarius esse testatur, nec reipublicae salubrius quam illud salubre Platonis  
 » consilium: beatissimas fore reipublicas, si qui earum gubernationi praesentent, aut  
 » sapientia praediti, aut Scipionis studio tenerentur. Quamobrem habet ab hominibus  
 » praesentem laudem, cum tanto studio atque industria Guarrinum conjunctissime  
 » complexus sit, et eum cum tanti faciat quanti Cathonem fecerit Pompeius, qui eum  
 » parumper apud homines neglectus esset in itinere, paulo plus ab eisdem admiratur;  
 » in admiratione enim ab ipso sunt Pompeio conversi. Nam cum Ephesum venisset ad  
 » Pompeium, quum is major natu erat et majoris auctoritatis, salutatum venisset, ut  
 » illum Pompeius conspexisset non passus ut sedentem se adiret, sed exurgens ex-  
 » templo quasi cuidam majori obviam processit, dextraque ejus oppressa, multa in ipso  
 » congressu, plura post discessum in laudem virtutum ejus sic enarravit ut qui audi-  
 » verant omnes in Cathonem verterentur, et Caesarem per vestigia decorare voluit, qui

» scientia redimitus, graeco et latino floruit eloquio. Illud Possidonii dictum accepit :  
 » unum eruditorum diem plus aestimandum esse quam imperatorum longaevam aeta-  
 » tem. Inelito principi Leonello rectius est visum quod et Crispo videbatur, ingenii  
 » plus quam virium gloriam quaerere, et vita ipsa qua fruimur brevis est, memoriam  
 » nostri quam longam facere deest. Patere, Guarrine, vir clarissime, in tuas laudes  
 » me longius evahi; nec me assentire tibi persuade, quamquam probe teneas eos magis  
 » qui te non admiratione prosequuntur invidos esse. Quis enim in Ytalia clarior est  
 » te, quis eloquentior? Vita enim talis es, vel fortuna vel gloria, ut nil amplius acce-  
 » dere possit: quantum enim virtutis et utilitatis es, Guarrine pater, ex te habitura  
 » sum, cum me nomenque meum a te laudato viro probare prospiciam; lacta sum  
 » mea laudari, opinor enim apud me sicut Cicero meminit, ut nec abs te patria lau-  
 » dato jocunda est. Ego enim tuo testimonio vel tuarum litterarum jam immortalita-  
 » tem adepta sum; videorque videre jam debere omnium iudicium ac de me omnem  
 » aestimationem minime curare. Sic videtur Socrates, testimonio Platonis, majorum  
 » tot iudicia contempnere posse; me autem tua amplissima dignitate et auctoritate per-  
 » annexisti, ut ipsa tota sub tua umbra splendere videar. Tu autem is es ut eos quos  
 » complecteris, pro tuae clementiae humanitate nunquam desinas exorare. Quanti aesti-  
 » mandus es, o Guarrine! Nonne laudibus Ytalia doctrinae tuae floret alumpna? Num  
 » tu discendi artem, num litteras graecas ad nostrates adduxisti? Graeci namque illud  
 » insigne Appollonii iudicium de Tullio de te ferunt. Nam cum Rhodium advenisset ac  
 » rogatu Appollonii qui latine nesciebat, graece declamavit, ceteris qui aderant in  
 » stuporem adductis tantae eloquentiae, Appollonius ipse, nec eo dicente, signum aliquod  
 » lactitiae pre se tulit, nec perorata causa utique laudavit; sed diu secum perstetit  
 » tacitus. Tandem, rupto silentio, sic inquit: Ego te laudo et admiror, Cicero; quod  
 » autem, tua causa perorata diu tacuerim, dolor et commiseratio effecit; repetebam  
 » nempe ipse mecum superiora tempora et armis et gubernatione reipublicae et insti-  
 » tutis domesticis Graecos praeceteris nationibus floruisse; quibus in rebus, nobis Ro-  
 » mani palmam, jam pridem vera et incredibili virtute superantes, confessione omnium  
 » abstulerunt, reliqua una et sola superatis doctrinae et eloquentiae gloria, quam et  
 » ipsam per te nobis auferri et Romanis deferri video, ut nil jam praecipue laudis apud  
 » nostros relinquatur; hominibus quoque nostris tantum attulisti juvamentum, ut non  
 » modo litterarum graecarum rudes sed et docti non parum se arbitrantur adeptos.  
 » Nonne omnes tuis consiliis praeceptisque obtemperant, praestantissimi se cives omnes  
 » tibi praebent? Omnes Ferrariam felicissimam appellant, eamque merito suo laudibus  
 » in coelum attollunt quam Guarrinus Veronensis gremio excepisse non piguit. Nonne,  
 » si Ferrariam contemplari volumus, eam tanquam Platonis academiam esse dicemus?  
 » Omnes te carum habent; omnes te venerantur; in te uno omnium oculi fixi sunt.  
 » Quid moror? Tu unus es in cuius virtute tuitatur Ytalia, victorque viros doctos super-

» eminens. Nec Ytalia uno se tantum eloquentiae jactabit viro, cum alios parvitas mei  
 » ingenii sexusque tollere non sinat oratione et singula perquirere. O vir omnium  
 » doctissime, neque me unam ex clarissimis credi velim mulieribus quas tantopere  
 » extollit antiquitas, quales fuerunt Cannitia, Nichaula ex Ethiopia foemina, Cornelia,  
 » Portia et reliquae; meipsam collegere et linem imposuere, si has nugas a te prius exo-  
 » ravero ut non censoria nota, sed tua in me humanitate, emendare atque extremam  
 » manum imponere velis, neque haec mihi vitio dare, si tacendi leges mulieribus prae-  
 » sertim impositas sum transgressa, illudque Pauli Vergerii praeceptum haud legisse  
 » videar, qui adolescentibus parum monet prodesse loqui, cum in multo sermone sem-  
 » per quid reprehendi potest; et Sophocles quoque taciturnitatem in foeminis singulare  
 » ornamentum appellavit. Verum tuis de me impulsa laudibus, quas ad virtutem mihi  
 » calcar imposui, neque tacere neque has ad te dare non potui. Tu igitur, ut soles omnia,  
 » cas benigne suscipe, quae tibi dignas non agent gratias, et si quas dicere gratas, quasve  
 » referre possim, non voluntati sed parvitati ingenii asseribito. Me amplissimae tuae  
 » dignitati, sapientiae atque auctoritati trado atque condono; tantumque tibi jam reve-  
 » rentiae, pater, adhibui, ut te loco parentis existimem, teque jam, venerande pater,  
 » pectore jam tota accipio et quodcumque mihi honoris laudisque est, ex te profitebor  
 » emanasse. Vale.» Et haec de muliere dicta pro gloria quadam vana sufficiant. Ego  
 autem dico, si quis laudabilium studiorum vestigia suis colenda post mortem sequa-  
 cibus optarit, imprimis oportet ut a muliere tanquam a facie colubri fugiat. Mulier enim  
 dulce venenum, amara suavitas, familiaris hostis, desiderabile malum, flebile gau-  
 dium. Honestos deshonestat, vineit invictos, famosos diffamat, exaltatos deprimit, sa-  
 pientes desipere cogit, et ut Johannes Boecatii dicit: « Animal perniciosum est, fallax,  
 » lascivum atque totius erroris summa, etc.» — Nam doctos et indoctos, senes cum  
 junioribus, nisi detestanda communicatio ejus evitetur, fraudis suae jaculis sauciat, et est  
 similis femellae aranearum, ut in libro de animalibus legitur, quae filis suae telae  
 quasi quibusdam laqueis masculum trahit ad coitum. Sic revera mulier aspectu, gestu,  
 motu, vultu suos attrahit amatores, et ejus mutua colloquia lasciviendi suggestionem  
 ingerunt, suggestio cogitationem, cogitatio affectionem, affectio delectationem, delectatio  
 consensum, consensus operationem, operatio consuetudinem. Hujus certe visualis fre-  
 quentiae visione detentus Aristoteles ejus compedibus illaqueatus exstitit, dum magistri  
 sui regis Alexandri secum ad commiscendum sollicitasset conjugem: quae gavisa dolo-  
 sitate temptavit experiri si veraciter aut sine simulatione ipsius aestuaret amore. Unde  
 cum privata familiaritate vocavit ad secretum camerae locum ut Veneri liberius liceret  
 vacare, dorso ejus insedit, sicque velut quadrupes proclivus sese illi supposuit ut pro  
 libito voluntatis ea uti et abuti penitus valeret, et malitiam in virum retorquens super  
 hujuscemodi informatum ad spectaculum convocavit regem, qui tamen veniam meruit  
 reverentia magistrali, licet ipsa regina trucidandum eum procurasset: quae res cunctis

seculis admiranda deprehensa est. — Ex praetacto narrationis exemplo facile colligitur quomodo singula naturae bona quae animam consequuntur aut corpus per studiosa, mulierum oscula dilabuntur. Cum enim adultera, sorore gula, illa nefanda foeditas venerea sub tecto humanae mentis et sedem vendicaverit, excaecatur rationis oculus et intelligentiae radius penitus obnubilatur, et cum perfectio intellectualis operationis in homine consistat in quadam subtractione a sensibilibus fantasmatis, haec vitia ita applicent humanam intentionem ad carnales delectationes ut totus homo reddatur inhabilis et ineptus ad spiritualia contemplanda.

Nota de rege Cyprî quod regnum totaliter cecidit ipsis Sarracenis et Soldanis Turcorum, anno Domini M° CCCC° LXIII°.

Margareta, regina Angliæ, cum Edwardo parvulo filio venit ad curiam ducis Philippî qui fecit eam deduci ad Lotharingiam, sed in via deprædata fuit.

Ludovicus, rex Francorum, per Attrebatum descendit ad Tornacum et inde Insulis ubi libenter intromissus fuisset in castrum, sed denegatum sibi fuit; deinde, duce Philippo turbato, recessit in Franciam, et mox ad regem Angliæ noviter effectum direxit pro liga, sed dux de Zombrecht et pater ejus, comes Dorzet, impediunt, et ambo sub alis ducis Philippî Brugis venerunt.

Eodem hoc anno, dux Zaboudiac Parisius venit et super Philippo primogenito conquestus est, unde rex mandavit eum et fecit in custodiam retrudi. Similiter Anthonius de Chabannes, comes Dampmartin, a rege captus, in bastilia Sancti-Anthonii Parisius locatus fuit, a quo loco discessit, et cum fratre regis Karolo de Francia, duce Bituriae, latitavit in Britannia sub duce Francisco, qui ligam cum Anglicis et cum domo Burgundiae coeperat. — Ad irritandum igitur ducem Burgundiae rex dedit officia fugitivis de curia ducis Burgundiae in villis invadiatis absque consensu ducis, cujus erat officia dare vel commutare; deinde comes Nivernensis Peronam et Royam substraxit a dominio ducis et sibi applicavit.

Philippus Bonus, Burgundiae dux, Anthonium et Balduinum, illegittimos filios suos, loco sui ad Pium pontificem romanum direxit hoc anno cum armata vi<sup>m</sup> tam terra quam mari, de quibus parum aut nil profecit, quia penes Anthoniam papa obiit, et invasit pestis populum, sic quod vix de decem unus rediit per terram.

Parisius studente diebus istis fratre Adriano, religioso de Dumis, in collegio venerabili devotissimi patris nostri Beati Bernardi, quidam Guillelmus Fischeti legere coepit rethoricam, et tam egregie nomen doctoris consecutus est ut ad eum necdum cardinales romani, sed et pontifices sacpius suas causas explicandas coram rege Franciæ dirigerent, et inter ceteros Bessario Sabinensis, patriarcha Constantinopolitanus, scripsit.

Hoc anno rex Francorum iterato convenit in Hesindeo, super jura resignationis villarum locuturus cum duce Burgundiae Philippo, sed discordes ab invicem propter diversas requestas discesserunt, nec a post faciem regis videre voluit praefatus dux Philippus,



et rex tristis abcessit ad villagia ubi vix repertus est; unde dum simul parlamentum haberent, miraculose Parisius in parlamento camera strepitum dedit, cadente quodam magno lapide. Sequenti vero die placitando de materia ducis Philippi, quoddam scampnum, videntibus eunetis, a loco se movit: quae res in praesagia mala convertebatur. Tandem rex Parisius contra conjuratos deposuit, praecipue contra ducem Britanniae qui fratrem suum attraxerat, deinde contra domum Burgundiae quod ligam fecisset in praedictum coronae, et ita reos omnes lesae majestatis redarguit. — Quarta januarii, Karolus dux Aurelianensis obiit, relicto parvulo nomine Ludovico de filia ducis Clivensis. — Etiam Ludovicus, comes Nivernensis, obiit, cui successit frater ejus Johannes. — Eodem anno bellum fuit inter Edwardum regem Angliae ac ducem de Zombrezedt, quem Edwardus decapitari fecit; ideo filii ejus ad ducem Burgundiae fugerunt. — Rex Francorum apud Rothomagum mandavit ad se principales gubernatores villarum invadiatarum una cum illis de Tornaco, quibus declaravit displicere sibi quod dux Burgundiae possideret eas, et quod rem cordi graviter habebat, quam ob causam comes de Charloys capi fecerat bastardum de Reubenpret. Quare constituit Johannem comitem Nivernensem generalem capitaneum totius Picardiae, qui de mandato regis coepit ista loca pro rege servare; deinde rex capi fecit Creveueur, quod dederat paulo ante Anthonio de Burgundia. Deinde, prout patuit, guerrae publicatae sunt.

Inter Natale Domini et Quadragesimam, Edwardus, rex Angliae, cepit Margaritam de Riviers uxorem, genitam de sorore Ludovici comitis Sancti-Pauli, unde male Londonienses contentabantur. Sed tamen ex nimia dilectione noluit avelli eam a se, de qua postea prolem utriusque sexus generosam excepit; et dixere quidam ab eo tempore thori maritalis praefatam dominam fuisse cognitam et incestatam. — Bastardi de Burgundia descenderunt de Marsilia, relictis in mortem multis qui navigio partim et inedia perierant.

Philippus dux apud Bruxellam graviter infirmatur, et filius ejus audientiam ad se traxit, qui mox bona fugitivorum saisivit et quosdam deposuit favorabiles illis de Crouys, sicut dominum de Quievrain, in ejus locum substituit dominum de Hemeryes. Unde motus dux Philippus filium suum videre non potuit; sed die boni veneris misericordiam in oculis paternis precibus nobilium adinvenit; nam dux Philippus illos de Crouys recommissos semper habuit ac in multis negociis fideles expertus fuerat eos.

1464.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXIV<sup>o</sup>, Karolus, dux Bituricensis, frater regis Franciae, clam recessit a regno versus Britanniam properans et a duce Francisco benigne susceptus est. Hic Karolus scripsit duci Burgundiae

super reformatione regni et status curiae fratris sui regis, qui nobiles consuetudines observare regali more despiciens, per quosdam in communis plebis oppressionem, quaedam manuteneri statuta, quibus ad plenum populo justitia vix administrari videbatur, proposuit; haec et alia praefatus Karolus intimavit duci Burgundiae, veluti litterae suae sonabant, in quibus aiebat: « Cum primus ille sitis, dilecte avuncule, cujus adjutorio regnum »  
 » aut stat aut deficere queat, locum aliquem assignare dignemini ut pari-  
 » ter convenire et ad finem bonum hiis providere possimus; pia res est et  
 » a me diu desiderata. Casu vero quo non aeque commode possetis ad nos  
 » illuc accedere, saltem forti satis comitiva filium vestrum et fratrem meum  
 » cum quo de cunctis aggrediendum avisabimus, mittere dignemini. Eri-  
 » mus nos, die tali per vos assignata, cum pluribus nobis in hac parte  
 » faventibus et ceteris de sanguine regis, duce Borboniae, duce Calabriae  
 » et amico nostro duce Britanniae, comparantes in propria. Scriptum Nan-  
 » netis xv<sup>a</sup> martii, anno LXIII<sup>o</sup>. »

Eodem anno regressus est terra qui mare perexerat pugnaturus super Turchos dominus Anthonius, naturalis filius Philippi ducis Burgundiae; hic fortiter agere coepit ut Leodienses impugnarentur, eo quod illi de Dynanto se reddiderant infestos. Similiter comes Caladrensis de mandato patris sui maximam colligere coepit armaturam, et, missis diversis heraldis aut nunciis, omnium nobilium infra scriptorum facta est consigillatio, non dico conjuratio, videlicet: Primo dux Bituricensis, frater regis Franciae; dux Britanniae; dux Borboniae; dux Calabriae; Karolus, comes Caladrensis; Ludovicus, comes Sancti-Pauli; comes Armingniaci; comes de Dunoys; comes d'Alebret; comes Marchiae; princeps Orengiae; dux de Zommerzet, anglicus, qui cum domino Anthonio Burgundiae venerat, et quamplures alii quorum memoriam agit historia super hiis auctentice facta, qui omnes paraverunt convenire ad assignatam dietam. Quae res, dum regi cognita esset, cogitavit expedire quosdam priusquam ab ipsis invaderetur; et collectis armis, in ducem Borboniae primo debachatur et magnam ejus partem demolitus est et depraedatus.

Januenses ob mortem Karoli regis Francorum et Karoli ducis Aurelianiensis, qui reliquerat filium parvulum Ludovicum nomine, recesserunt ab ampliori amicitia, non obstante quod Ludovicus ille, Aurelianiensis dux, eorum dominus esse debuisset, si rex Ludovicus modernus has guerras

non movisset et ei astetisset. Quod sic patet; nam Galeatius, dux quondam Mediolanensis, filium sui nominis genuit ex Blancha, filia comitis Zaboudiae, qui quidem filius duxit uxorem dominam Yzabellam, filiam Johannis regis Francorum, deditque cum ea comitatum de Vertus in Campania. Hic Galeatius patri succedens genuit ex eadem Yzabella filiam unicam, Valentiam nomine, quae postmodum conjuncta fuit matrimonio Ludovico, secundo-genito Karoli VI<sup>ti</sup>, regis Francorum; qui Ludovicus dux fuit Aurelianensis comesque Blesensis et de Valloys, genuitque ex Valentia praefata Karolum, Philippum et Johannem. Ludovicus vero neci traditus per Johannem, ducem Burgundiae, suam uxorem Valentiam opprobriose repudiavit, quam pater suscepit et regi Francorum publicum se adversarium denunciavit. Hic velut tyrannus suum avunculum Barnabam et filios ejus capi et mori fecit ut solus regnaret super Mediolanenses et Longobardos. Unde tandem filiis suis defunctis, propinquiores relictis sunt filii filiae suae, qui fuerunt Karolus, dux Aurelianensis, Philippus, comes de Vertus sive Virtutum et Johannes, comes Engolismensis. Sed orta dissensione inter duo regna, praefatus Karolus, dux Aurelianensis, captus fuit ab Henrico rege Angliae, ubi xxiii annis degebat, donec per ducem Philippum, filium Johannis ducis Burgundiae, liberatus esset, cui tradidit neptem suam filiam ducis Clevensis uxorem, ex qua genuit Ludovicum modernum ducem Aurelianensem, qui verus heres esse deberet in dominio Mediolanensium et Januensium, quod dominium, stantibus guerris in Francia, surripuit comes Franciscus de Sfortia, dux Venetorum; quo defuncto, Galeatius, primogenitus ejus, sibi successit in eodem; et ita guerris et continuis dissentionibus habitis in invicem Franci plurima regna seu dominia amiserunt. Nam Ludovicus, frater Karoli quinti regis Francorum, dux Andegaviae, regnis Siciliae, Neapolis et Jherusalem decoratus est. Ludovicus, de quo tandem Renatus, qui hac de causa pulchro illo tytulo privatus est, quia Francorum se guerris immiscuit, unde et Johannes ejusdem Renati filius, dux Calabriae, tandem praeventus in dissensione orta inter Ludovicum XI<sup>um</sup>, Francorum regem, et Karolum ducem Burgundiae ac comitem Flandriae, subita morte, via qua properaret in auxilium praefati ducis Burgundiae, occubuit, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXI<sup>o</sup>, relicto filio herede qui cum superstiti avo suo Renato, plurimum senio confecto succevit. — Obiit autem sequenti anno praefatus filius, dux Lotharingiae, dux Andegavensis; et

Nicholaus, dux Calabriae, ligam solvit quam cum rege Franciae pepigerat, et ad ligam ducis Burgundiae se divertit; cujus unicum filiam sibi dari petiit in uxorem, sicque per patriam suam Lotharingiam et Barrensem, vna de Burgundia et mercantiae libere coeperunt transire, quae via clausa fuerat, agente rege Franciae ligaque stante praefata. Verum summo pontifice Sixto IV<sup>to</sup> praesidente, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXII<sup>o</sup>, quo tempore praefatus dux Lotharingiae contraxisset ligam cum Maria, praefati ducis Karoli filia unica, per eundem pontificem cassatum extitit matrimonium propter compromissionem quam idem juvenis dux cum primogenita regis Franciae dudum inierat. Unde indignatus rex nescitur quo medio statim ab amica sua intoxicatus obiit, et successit filius comitis de Vaudemont, Renatus, tanquam heres in praefato ducatu, cujus mater ligam dissuasit cum Burgundis observare; sed tamen ad eam aliquo tempore tractus est, donec ad fraudem regis traheretur per instinctum matris suae. Unde guerra magna exorta est inter Karolum ducem et eum. Tandem anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXVI<sup>o</sup>, in Epiphania Domini aut vigilia, Karolus dux extinctus est ab eo. — De Karolo quinto descenderunt Karolus sextus et Ludovicus dux Aurelianensis qui, orta dissensione, a Johanne duce Burgundiae morti traditus est; et deinde Johannes per Karolum septimum adhuc delphinum Vyennae, in vindictam occisus est anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XIX<sup>o</sup>; cujus Johannis ducis Burgundiae filius, Philippus, anhelans illico ad patris vindictam, fere totum regnum Franciae cum Anglicis devastavit, et interim robur nobilissimi generis attenuavit Alfonsus, rex Arragonum, Renatum expellendo de paternis suis hereditatibus, et sua industria Franciscus Sfortia Lombardorum intravit fortalitia, contra quos Eugenius primo, postea successor ejus Nicholaus quintus, totis viribus obsistebant ne domus Francorum, a qua semper assistentiam receperat sedes romana, sic annihilaretur; sed nullis mediis adhibitis remediari valebant.

---

Moritur apud Anthonam Pius II<sup>us</sup>, classe parata, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXIII<sup>o</sup>, xvii<sup>a</sup> kalendas septembris, febre magis extinctus quam mortuus, cum cor ejus vivacissimum sit inventum.

De Pio II<sup>o</sup> pontifice sacro, qualiter ob ejus virtutem, Martinus papa galorum con-

cessit quem Eugenius ei negavit, multa legi poterunt; quomodo coactus etiam sit relinquere Bartholomaeum Novariensem et cum Nicholao cardinale Sanctae-Crucis pervenit in Flandriam et usque Attrebatum, superatis Alpibus Helvetiorumque campis, alibi tractatur. Sedit ille Romae vi annos, minus viii diebus, perbreve tempus cum ingenti gloria. Cui successit Paulus II<sup>us</sup>

Nota quod scribendi hujus Pii pontificis temperamentum leve fuit, cujus conciones et orationes ad rem splendide et accommodate movebant affectus eisdemque sedabant. Neque enim in hoc summo fastigio collocatus praetermisit unquam studium, sed lasciva interdum mordacitate tamen descripsit. Exstant epigrammata salibus referta ad III<sup>um</sup> versus, quorum in Basilea magna pars periit. — Cum autem hic pontifex non studeret, orationi aut lectioni sese dedit, delectatus mixto scribendi genere; locorum denique situs varios et flumina distinxit, atque Bohemicam prae se historiam tulit, dum Nicholaus V<sup>us</sup> obiit, unde Romani cum, ante ingressum Urbis, salutando pontificem introduxerunt. Sumpsit aliquando sibi vultum eloquentiae, non ommissa rerum congregatione antiquissimarum, in quo sese oratorem ostendit non infimum.

Pius papa II<sup>us</sup>. Nullius oppidi vel civitatis mentio sibi occurrebat, cujus non saltem originem aut situm repetivit, seu qui duces ea aetate claruere, seu etiam ad voluptatem nimi, etc. Multas proinde sententias in proverbiorum morem reliquit. — Plura et insignia alia pontificis hujus scripta reperiuntur, qui anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXIV<sup>o</sup>, circa tertiam horam noctis, xvii<sup>o</sup> kalendas septembris, in portu Anthonino mortuus est in legendo symbolum Anastasii.

Legitur quod iste pontifex Pius II<sup>us</sup> obiit Anthonae in portu, in vigilia gloriosae Assumptionis beatae Mariae. — Scripsit autem praefatus Pius librum *Dyalogorum*, occasione concilii Basiliensis, ad Eugenium IV<sup>um</sup> pontificem. — *Dyalogum haeresis Hussitarum*. — *Dyalogos scilicet de Modo vivendi*. — *Dyalogum de Ortu Nili fluminis*. — *Dyalogum de Praescientia Dei et de praedestinatione*. — Item *Opus concilii Ratisponensis*. — *De rebus Bohemicis*. — *De ecclesiastica ditone*. — *De miseria curialium*. — *De contentione divini sanguinis*. — *De translatione sancti Andreae*, quem Romae fecit ab Achaya deferri. — Item descripsit *Historias Germanicam, Bohemicam et Australem*. — Item *Commemorabilem libros xii rerum* a se gestarum et tertium decimum inchoavit; cujus mirus est candor, quum nulla patrum nostrorum exstat historia locupletior. Orbis enim situm aggressus est in eo, totamque minorem absolvit Asiam; Germaniam quanta esset distinxit, et erat in manibus Asia major, quando decessit. — Item orationes habuit circiter xxxii; epistolas insuper digessit in tempora, quarum et varia reperiuntur volumina. Haec et similia habentur in oratione vel sermone funebri facta per Capuanum episcopum in exequiis ejusdem papae.

Erant pontifici summo Pio II<sup>o</sup> quatuor ex sorore nepotes, quorum duo juniores natu equestri ordini sunt addicti a rege Hispaniae Henrico; sed primogenito Ferdinandus

rex *Ceciliae* filiam suam dedit, qua creatur dux *Amalphantanus*; secundum vero *Pius* retulit in ordine cardinalium. Porro *Pius* frequenter confitebatur et communicabat, cuius vita orationi solutae se totam dedit; ad tria millia versuum scripsisse dicitur, delectatus mixto scribendi genere, videlicet de rebus sua aetate gestis, quod opus imperfectum reliquit, multitudine negotiorum oppressus. Surgebat mane aurora illucescente, re divina caste pieque facta, et habita ratione valetudinis ad publica tunc egrediebatur. Functus officio, per hortos, recreandi animi gratia delatus, prandebat mediocri cibo non lauto aut exquisito, nec suo jussu parato, sed quod apponebatur, comedebat: vini parcissimus, dilutique ac levis magis quam austeri amator; sumpto cibo, dimidium horae cum domesticis aut fabulabatur aut disputabat: cubiculum ingressus, horis canonicis de more repetitis, tam diu legebat aut scribebat donec dormire vel exire licuisset, nec amplius quam horis quinque vel sex jacebat in lecto dictans; homo statura brevis, canos ante annos crines habens, aspectu severitatem gracilitate aut facilitate conditam ostendebat; laborum patiens circa corpus, non negligens: familiarissimi sibi fuere morbi tussis, calculus, podagra; sed febris eum extinxit: ad iram facilis, quam facillime repressit; duabus horis ante mortem communionem sacram recepta, de unctione iteranda sermonem fecit, relictis horis canonicis, in symbolo *Anastasiae* quod legere coepit sanctissime reputans obiit; cui contrariis moribus *Paulus* successit.

Ad laudem *Pii* papae II<sup>i</sup> accedit quod omnes cujuscunque gradus adversantes *Ecclesiae* romanae censuris notavit, donec ad sanitatem reduxerit. — Ideo *Borsio* comiti *Mutinensi* et *Beneventano* episcopo, eo quod *Gallis* faverent, minas intulit; *Franciscum* episcopum *Interranicensem* deposuit. Dieterum contententem contra *Maguntinum* episcopum amovit; totam etiam *Campaniam* redegit in obedientiam *Ecclesiae* romanae. Sic vixit ut nunquam otii posset accusari.

*Pio* II<sup>o</sup> successit *Paulus* II<sup>us</sup>, dictus magnificus pontifex, sed avarus. Post quem *Sixtus* IV<sup>us</sup> intrusus est per nepotem suum, fratrem *Petrum*, sui ordinis, scilicet *Fratrum Minorum*, cujus ope et ingenio, quamdiu vixerat idem frater *Petrus*, cardinalis per eum creatus, dissolutiones et abusus curiae acceverunt. Quapropter intoxicatus exstitit, et sperabatur emendatio. Sed in omnem avaritiam declinata curia statum temporalem in abusus guerrarum convertit, oppugnans *Florentinos*, et sentiens *Sixtus* propter *Ventorum* auxilium se de *Januensibus* *Florentinos* coadjuvantibus praevalere faciliter non posse, vocavit in adjutorium brachium seculare, scilicet *Ferdinandum* regem *Ceciliae*, qui primogenitum suum mox direxit. Et facta sunt mala diebus illis inaudita, sic quod in clerum imperatoris *Frederici* III<sup>i</sup> odium non solum surrexit, sed principum omnium atque regum terrae, dicentium invidia malorum ac pessimorum sacerdotum committi fidelium afflictiones. Quapropter idem imperator *Fredericus* dictus, magnus et ultimus *Antichristus* sit vocatus, ut dicebatur; sed non sic cultores veritatis asserebant. Si pax in regno *Francorum* occasione filii sui, ducis *Austriae*, *Maximiliani*, mariti dominae

Mariae de Burgundia, ducissae Lotharingiae, Brabantiae, Lemburgiae, Lucemburgiae et Ghelriae, comitissae Flandriae, Arthesiae, Burgundiae, etc., conficeretur, generale concilium sicubi ponendum ab eo statutum erat dumtaxat ad reformationem cleri, qui malae vitae et conversationis arguebatur ab omnibus. Quantum tamen ad militares ordinatos in Pruseia, Selavonia et Norwegia a tempore Frederici II<sup>i</sup>, posset Antichristus appellari, quia tales hujus Frederici III<sup>i</sup> tempore penitus eliminati sunt et deleti; nam omnem patriam quam Conrardus II<sup>us</sup> cisdem dederat, abstulit deimpto praesidio Burgi Beatae-Mariae, sicut patet in epistola Pii II<sup>i</sup>.

Paulus II<sup>us</sup> pridie kalendas septembris, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXIV<sup>o</sup>, ex cardinali Sancti-Marci creatus, primo sedere coepit, natus patre Nicholao, cive Veneto, matre vero Poluxena, sorore Eugenii IV<sup>i</sup>. Sive quia promiserat, sive quod decreta praedecessoris odio habuerat, mox omnes quos Pius papa redigerat in ordinem, ipse tanquam inutiles atque indoctos exauctoravit, bonis et dignitate spoliavit, quos pro doctrina et eruditione per totum orbem conquirere debuerat et pollicitationibus ac praemiis ad se vocare non fisco de sua auctoritate relinquere. — Temptabant nichilominus ad quos spectabat, cum a sententia dimovere; sed torvis oculis ille respiciens eos, quasi diceret nescire eos omnia jura in pectoris sui serinio collocata: « Cedant omnes, inquit, eo loco; » eant quo velint; nichil eos moror; pontifex sum, mihi que licet pro arbitrio aliorum » acta et rescindere et approbare. » Hoc responso accepto, dum continuo ad colloquium ejus vigilarent, nec admitterentur per viginti noctes, quia super omnia noctu pontifex usus est, Bartholomaeus Platyna ex ore fratrum quos conjuratores papa Paulus vocavit, dictatam hoc modo litteram sibi direxit: « Si tibi licuit in dicta causa spoliare nos emp- » tione nostra ac legitimis, debuit et nobis licere conqueri illatam injuriam et injustam » ignominiam: rejecti a te ac tam insigni contumelia affecti, dilabemur passim a te ad » reges et principes, eosque cohortabimur ut tibi concilium indicant in quo potissimum » rationem reddere cogaris, cur nos legitima possessione spoliaveris. » Lectis litteris Platynam reum majestatis accersit, compedibusque iniecit in carcerem; similiter Theodorum Tarvisinum episcopum ad eum misit, qui lesae majestatis reum famosos libellos sparsisse Platynam arguit; sed in illo Platyna confutavit eundem episcopum, dicens libellum famosum esse ubi scribentis nomen reticetur, quod non constabat egisse Bartholomaeum; sed de concilio indicando fecisse mentionem juxta sententiam Salvatoris et majorum statuta, quibus qui privati et qui in magistratu fuerunt, rationem agere cogebantur bene actae vitae. Nichil proficiendo rationibus, Platyna, celsa in turri, sine foco, media hyeme, quatuor mensibus exponitur. Tandem papa Paulus, precibus Francisci Gonzagae fatigatus, monendo ne discedat ab Urbe, relaxavit. Interea Jacobus, Johannis Alberini filius, Anthonium Capharellum confossum vulneribus reliquit. Ille ob rem ab Urbe, redactis in fiseum bonis, omnes expulit, et pace tandem composita, dum in carcere stetissent praefati, redditis bonis, in gratiam admisit. — Paulus II<sup>us</sup>, cum

audiret militiam Rhodiorum ad nichilum deduci, ad se vocavit eorum magistrum ac summates religionis, corrigendi erroris causa, qui se propter inopiam excusavere. Unde post multos conventus habitos, eorum supremus magister animi taedio moritur, et Karolus Ursinus ad regendum Rhodium per pontificem Paulum missus est. — Paulus II<sup>m</sup> Romae creavit x cardinales, de quorum numero fuere Franciscus de Savona, generalis ordinis Fratrum minorum sancti Francisci, qui post eum sedit, Sixti IV<sup>i</sup> nomine; Matheus Barbo Vicentinus, ejus opera magnis usus est negotiis pontifex; Oliverus, archiepiscopus Neapolitanus; archiepiscopus Aquilanus, Theodorus Monferratus; reliqui partim Angli, partim Ungari et partim Galli sive Burgundi fuerunt. — Paulus II<sup>m</sup> vocatus, blanditiis et exhortationibus, legatum Galeatii ducis Mediolanensis ad suum decretum traxit. Nam Galeatius dux nunquam socium eum se dixit habiturum quem rex Francorum hostem haberet, quapropter ter legatum suum Laurentium scilicet Pisauriensem exilio multavit et Saboudiensem bello sic vexavit ut eum eo pacem exigent. Verum ex arbitrio regis, illa composita fuit intervenientibus reginae Franciae et uxoris Galeatii precibus, quae sorores fuerunt. Compositis hiis rebus, Paulus II<sup>m</sup> ad otia conversus instituit populo romano ludos, juxta veterum imitationem, procurante Vianesio, Bononiensi pontifice, ejus camerio; praeponebantur pallia octo in carnisprivo: singulis diebus currebant senes, juvenes et adolescentes, Judaei scorsum, pastillis primo pleni: currebant equi, equae, asini, bubali, tanta voluptate ut omnes prae risu vix stare possent, ab aren Domitiani usque ad aedes Sancti-Marci, quibus pontifex solidam voluptatem percipiebat et singulis earum argenti donabat.

Nunciatur Paulo II<sup>o</sup> sic occupato laetitia seculari, quosdam adolescentes, duce Calimacho, in eum conspirasse. Cui etiam prae timore, nescio quo fato, dicitur Laurentium exulem in nemoribus Veliternis latitare paulo affuturum. Qui quidem timere coepit et veritus ne domi premeretur, jussit capi per Urbem multos etiam ex aulicis. Augebat timorem Vianesius et alii quaerentes uberiores fortunam, irrumpebant in domos civium et cardinalium, Demetrium Lucensem captum trahebant satellites a domo Platynae per quem sciebant episcopum Bartholomaeum coenare cum cardinali Mantuano, ex ejus cubiculo eum captum etiam traxerunt ad pontificem; qui ubi vidisset eum Paulus, ei improperans: « Ita, inquit, in nos tu conjurasti. » Hic ergo, eum omnia tumultu et armis in se consonare videret, quantum potuit a se culpam conatus est repellere. — Interea dum instantibus aliis, quereretur de vita, de moribus conjurantis, pontifex eundem in carcerem trudi fecit, accepta quadam littera qua Pomponius eum sanctissimum patrem appellaverat. Unde Paulus participem non solum eum Calimachi imperatoris dixit, sed a conjuratis esse eligendum. Quatuor igitur menses in aere Adriani Bartholomaeus Platyna coniectus est. — Pomponius Venetiis captus per totam Italiam ut alter Jugurtha ducitur; et accessit ad pontificem imperator Fredericus quem expensa xviii<sup>m</sup> magnifice suscepit, quo retrahente se ab urbe, reprehendit Paulus papa Bartholomaeum quod



ninium esset gentilitatis amator, academicae sectae favens, in dubium de Deo disputando : de quo clare se purgavit, dicens ipsum pontificem in hac re studiosiorem, cum statuas veterum sub Capitolio conguessisset, avecto sepulchro Constantiae ex templo Sanctae-Agnetis, quod sepulchrum reclamantes monachi tempore Sixti IV<sup>i</sup> repetere; item quod numismata fundamentis aedificiorum suorum, more veterum, argento aereque collocasset, in qua re potius imitabatur hereticos illos veteres quam Petrum, Linum, Cletum aut Clementem praedecessores suos; item de apparatu suo quod ipse, coemptis undique adamantibus, saphiris, smaragdis et quidquid gemmarum in pretio est, ornatus tanquam alter Aaron in publicum prodiret; praeterea quod, proposita poena, ut solus differre videretur ab aliis, mandavit ne quispiam bireta coccinea praeter cardinales portaret, quibus promisit daturum se singulis castella aestatis causa. Sed bene sentientes praedicabant pompam Ecclesiae diminuendam, non augendam esse. Liberatus cardinalium postea precibus, Platyna vocatur a Ludovico Gonzago principe Mantuano, spondente redditum ejus Bessarione cardinale Niceno : sed dum recederet, Borsius Estensis ascendit in Urbem, quem pontifex Paulus fecit ducem Ferrariae, quem sequuti sunt oratores Venetorum ac Mediolanensium qui Platynam recommendabant. Verum dum Platynae redditum exspectat ad Urbem, pontifex ipse Paulus II<sup>us</sup>, cognita regis Bohemiae perfidia, misit legatum suum illie Laurentium Roverella, Ferrariensem episcopum, et hic in brevi stirpem Georgii haeretici sustulit; totum quoque nomen haereticorum delevisset, nisi Poloni regnum illud ad se pertinere dicentes Mathiam Vaiovodae filium, regem Ungariae lacessitum bello tenuissent, quominus Bohemiae regno potiretur. Post hoc Ariminensi dominio privatur, dum nimis avare stipendia militibus persolvit. — Attamen omnia suo tempore venalia facta sunt beneficia, nec redimendarum annatarum aut pensionum improbavit usum, nec diu principum amicitias servare contendebat, dum quod promiserat, mutata sententia, saepius invertebat; durus et inexorabilis erat : si quid petebatur additis probris et conviciis plura praestabat quam vultu prae se ferebat; hortabatur Romanos ne diutius in studiis litterarum filios paterentur; satis esse si scribere et legere didicissent, et breviter hoc laudatur uno pontifex quod monstra domi non aluerit; pepones duos die praecedenti in coena sumpserat, siquidem varia semper apponi sibi petebat, et ideo apoplexia, secunda hora noctis, Romae, solus moritur in cubiculo, anno pontificatus sui sexto, mensis decimo quinto, ultima augusti, Bartholomaeo Platyna sic dicente.

Nota quod papa Paulus ita studiosos oderat ut uno nomine omnes hereticos appellaret, et ideo parum a doctis recommissus est. In ejus locum praeter spem suam electus est, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXI<sup>o</sup>, Franciscus de Savona, IV<sup>us</sup> Sixtus.

1465.

Annō Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXV<sup>o</sup>, Paulus H<sup>us</sup>, ex Venetorum oriundus gremio, instantia ducis Philippi confirmavit easdem indulgentias per praecessorem suum concessas apud Mechliniam, insuper et illas pro tempore transtulit Gandavi. Obiit dux Mediolani Franciscus Sfortia, cui successit filius ejus primogenitus qui stragem Peloponensium passus est.

Eodem anno, rege Francorum Borboniam devastante, principes superiori anno colligati, moverunt se ab omni parte descendentes et intrantes regnum, sed perveniente Karolo comite Caladrensi, filio Philippi ducis Burgundiae, cum comite Sancti-Pauli ceterisque sibi deputatis, vix numero x<sup>m</sup> virorum arma gerentium, eo quod magna pars nobilium contra Leodienses in Hannonia et Brabantia per Philippum ducem fuerat assignata, nichilominus cum tam parva comitiva idem comes Caladrensis Franciam petens, aliqua cepit fortalitia, necnon villas firmatas donec ad duo miliaria de Parisius pervenisset, usque ad Sanctum-Dyonisium, ubi pacifice intromissus, se cum toto suo exercitu ante civitatem ut ab omnibus cerneretur exercitus, Parisius ingredi putans, ictibus et conviciis repulsus est; haec aspiciens ipse comes citra mandatum patris Insulam Franciae petiit, et procedens cepit villam Sancti-Claudii, necnon villam de Leyngy supra Maternam, collocans in eis suos qui tuta servarent ea loca, si opus fuga fuisset sicque perrexit ad sex miliaria citra Parisius usque ad castrum Montis-Henrici et ibi castrametatus exspectavit adventum ceterorum principum ad duas dietas distantium. Istis regi significatis properavit per diem et noctem ut inopinante comitem Caladrensem expugnaret et suos pene aut caperet aut interimeret, fere descendens cum xl<sup>ta</sup> milibus; verum inter nobiles regis erat Karolus Andegavensis, comes Cenomaniae, qui notificari fecit comiti Sancti-Pauli, tenenti primam aciem domini Caladrensis, ut praevideret de conflictu, quum regis animus erat impugnare comitem Caladrensem. Vix primae custodiae locus, et ecce pedetentim regis exercitus ordinatissime incedens cinxerat eam, et comes Sancti-Pauli, vir bello peritus, in fugam suos compulit, cupiens aciem similiter ordinare; non valuit ad nutum suum cogere illos, quare dimissis illis versus mediam aciem ubi comes Caladrensis erat, iter maturavit, fortiter appropinquante regis exercitu, et breviter in seipsos

mutuo crudeliter irruerunt. Erat vero dies martis, ut clarius narrat historia, principaliter xvi julii, in qua circa decimam ante meridiem, primus congressus factus est, ubi ex utraque parte plures succubuere, primo quidem magnus ille capitaneus, senescallus Normaniae, dominus Petrus de Breze, qui dudum valentissimus in conquestu Normaniae et Aequitaniae reputabatur. De ceterorum vero memoriam agere non valeo. Porro nobiles regis valentiores effecti, prima custodia penetrata, pervenerunt ad secundam in quo dominus comes Caladrensis optime stipatus quadrigis ac bellicis instrumentis totam potentiam regis viriliter sustinuit, qui tamen exiens paucis cum nobilibus ad succurrendum suis, insequentibus eum armigeris regis, fere captus fuisset ab illis nisi scutifer unus eum liberasset : nichilominus sine gravi vulnere collo suo infixio non evasit. Caesi autem juxta eum fuerunt ibi dominus de Hames, dominus Balduinus de Halewyn, ballivus Curtracensis, frater Philippi de Lannoys, filius domini Simonis de Laleyn, pluresque alii quos nominat historia. Quae res ut innotuit fratri domini Caladrensis, domino Anthonio, mediantibus hiis qui de prima custodia fuga lapsi fuerant, ceterisque collectis, valido cum clamore sic terruit inruens in gentes regis terribili lancearum congressu ut penetraret exercitum regis ac perveniret ad locum ubi se rex fortiter salvavit ; nichilominus equo dejectus fugam compulsus est arripere, suis pene amissis ita ut nunciaretur interitus ejus. Comes igitur Caladrensis et comes Sancti-Pauli campum recuperant. Sed quia multos cum coronis deauratis interfectos aspicerent qui de latere regis ceciderant, putabant Flamingi regem occubuisse qui non longe, fixis lanceis, montem eligens, ibidem se fortificavit, tertio cupiens confligere contra comitem Caladrensem : sed a suis derelictus noctu versus Corbolium iter maturavit cum paucis ; fugit autem de latere regis avunculus ejus, Karolus, comes Cenomaniae, necnon lanceati multi, et ita cessit victoria Karolo comiti Caladriae, filio Philippi ducis Burgundiae, comitis Flandriae, etc. — Cui quidem Philippo delata sunt in contrarium nova ; quare contra Leodienses in Brabantia senescallum Brabantiae, dominum de Breda misit, necnon dominum de Gruuthuze, gubernatorem Hollandiae, qui juxta villagium de Montenaken fere tria milia Leodiensium prostraverunt. Dinantenses insuper exierant ad oras Hannoniae, multa mala machinantes quae omnia in caput proprium redundarunt. Nam dux Philippus viriliter oras Brabantiae et Hannoniae defendit ; et vera delata sunt nova

qualiter filio suo cesserat victoria, licet aliquando anceps videbatur. Quum si vera fateamur et juxta rei gestae propositum, comes Karolus mortem vix evasisset aut captivitatem cum omnibus suis, si regi Francorum fideles fuissent capitanei sui; hii enim plus cupiditate ducti maluerunt captivis et rapiendis insistere quam vacare caedibus. Nam dominus Adulphus de Ravestejn, frater ducis Clevensis, perditionem magnam passus est in amissione tam nobilium quam bonorum eorundem. Viriliter tamen se defendit; in cujus societate Floquet, capitaneus regis interfectus est cum multis. Sed capitanei videlicet Salaazart et Malurtye caute ut spoliis locupletati, ductis captivis suis, fugam inierunt. Joachim vero de Roault, capitaneus de Parisius, quamplures captivos adduxit Parisius, prout vidi, paucos tamen nobiles, inter quos erat dominus Guillelmus de Stavele, vicecomes territorii Furnensis, cujus necdum equus graviter vulneratus exstiterat, sed et ipse supra modum cum suis et aliis Parisius intravit, alter mutilatus brachio, alter capite, alter pedibus. Quod ut Parisienses aspicerent, victoriam regi asscripserunt, ignorantes quod gestum fuerat; cives impetrare ab episcopo sonitum campanarum nitebantur in signum victoriae, sed nequaquam voluit in hoc episcopus Parisiensis consentire, donec constaret de veritate. Sequenti die conflictus, audita est fuga regis Parisius, et pedetentim capitanei regis, qui dispersi fuerant et fuga lapsi Parisius intraverunt. Tandem rex cum paucis de Corbolio veniens, similiter intravit Parisius ubi concilio celebrato, civitatem ab omni parte munivit et fortificavit, quaerens in propria persona machinas et bellica instrumenta quae adduxit Parisius de Rothomago. Peracta igitur hac obviacione, comes Caladrensis et comes Sancti-Pauli videntes quem exspectabant regem Franciae non comparere ad debellandum eos, campum deserentes versus villam d'Estampes cum toto exercitu se moverunt. Ubi ad eosdem primo Burgundi cum duce Calabriae Johanne filio Renati, multisque aliis, deinde Britones cum fratre regis, duce Bituricensi, pervenerunt, necnon ceteri omnes, videlicet dux Borboniae, comes de Nemours, comes de Dunoy, comes Armigniaci, princeps Orangiac, dominus de Arguel cum maximo numero bellatorum, qui sine dubio, si ad diem conflictus comparuissent, regem cepissent, mediante divina opitulatione, cum toto suo exercitu. Sed quod factum erat, non aliter nisi gratia Dei factum esse cognoverunt. Per aliquot tempus igitur, donec comes Karolus sanatus esset a vulnere quod in bello susceperat, pariter una

cum maxima multitudine venerunt et ab omni parte Parisius, in qua rex se tenebat, obsiderunt, et a profesto beati Bernardi abbatis usque ad profestum omnium Sanctorum in obsidione permanserunt. Quo tempore intermedio plures reyzae fiebant, aut plurima pugitiva ubi nunc xx, nunc decem, nunc octo remanserunt, etc. Porro Leodienses fortiter agere coeperunt, praecipue Dinantenses quos capitanei ducis Burgundiae viriliter saepe fugarunt. Concessae sunt et impetratae treugae tandem inter regem et fratrem ejus ducem Bituricensem, cujus occasione bellum perpetratum exstitit per comitem Caladrensem contra praefatum regem; nec facile contractus firmari potuit ad pacem, praesentatis articulis et querelis omnibus concernentibus partem adversam, quae omnia longum nimis foret interserere: quia nondum mihi constare potuit de veritate, nisi quod origo dissensionis processerit quia noluit rex Franciae fratri suo ducatum Normaniae designare. Multis tandem precibus rex inducitur ad pacem contrahendam cum suo fratre ceterisque principibus, oblatis gestorum regum Franciae codicibus, ut mediis omnibus incitaretur animus ejus ad concordiam. Ceperat autem dux Britanniae villam de Pontoyze, tenuitque se in Sancto-Dyonisio; dux vero Borboniae cum suis Secanam transiens, civitatem Rothomagensis similiter in deditionem accepit. Porro comes Caladrensis, cum duce Calabriae semper se ante Parisius in obsidione tenebat, exspectans potentiam regis. Ubi cum jaceret, nunciatus est obitus uxoris suae, sororis scilicet ducis Borboniae ex qua solam filiam genuerat; et quia haec tristitia mitigarent animum comitis, simul denunciatur captivitas domini d'Estampes, comitis Nivernensis in villa Peronae, etc. Ludovicus autem Francorum rex, videns se periculo proximum, qualiter ad hyemandum loca coeperunt eligere principes in obsidione permansuri, nec posse resistere tam multis, citius quam potuit obtemperavit metu potius quam benevolentia, concessitque rex fratri suo Karolo duci Bituricensi, ducatum Normaniae, villasque compromissas dudum comiti Caladrensi similiter concessit, duci vero Borboniae concessit emendam juxta petitionem, duci autem Calabriae sexcentas lanceas stipendiatas concessit ad assistendum sorori suae Margaretae, reginae Angliae, uxori regis Henrici captivi, etc., comiti Sancti-Pauli dedit conestabulariatus regni Franciae beneficium, omnesque pacifice dimisit, et obsidionem de Parisius solventes perrexerunt dux Normaniae, frater regis, et dux Britanniae ad possidendam Normaniam. Comes Cala-

drensis perrexit cum toto exercitu suo ad debellandum patriam Leodiensium, sed concordia facta est sine clade, quae paucis diebus duravit. Senescallus Brabantiae, dominus de Breda, comes de Nassou, dominus de Perwys et dominus Ludovicus de Gruuthuze, gubernator Hollandiae Leodienses apud villam de Montenaken fere usque mille et quingentos occiderunt antequam armatura Karoli de Francia descendisset. Unde sequenti anno Karolus contra Dinantenses perrexit, durante autem obsidione fere ix diebus, capta est villa de Dynanto et igne funditus conflagrata est.

Philippus Bonus, dux Burgundiae, senio fractus et aegritudine, audiens patriam suam de Picardia per regis ordinationem occupari, collecto exercitu, direxit filium suum comitem de Charoloys et duos bastardos suos cum x<sup>m</sup> pugnatorum qui primum ceperunt Criefveener et Arleux; deinde transito fluvio Sommae sese reddiderunt illi de Neele, Roya, Mondidier, etc.; postea castrum de Beaulieu; deinde per pontem Sancti-Maxentii transiens exercitus pervenit ad villam Sancti-Dyonisii, in Francia, ubi per dies octo resedit saepius ante civitatem de Parisius comparens, sed ietu semper lapidum fugatus est. — Post hoc Ludovicus, comes Sancti-Pauli, antegardiam ducens, exercitum per pontem Sancti-Claudii trajecit. Deinde sub castro Montis-Henry, ceteros exspectando principes conjuratos, supervenit rex cum gravi exercitu, et xvi<sup>a</sup> julii pugnam instituit in comitem de Charoloys. Sed divina gratia potitus est victoria licet anceps evenerit, et apud Conflans juxta Parisius pax composita fuit. — xxi<sup>a</sup> julii, comes de Charoloys dereliquit campum victoriae et intravit Stampes, ubi ad eum convenerunt principes de regali sanguine; sed ex Burgundia dominus de Charny per gentem regis impeditus, captivus factus fuit in via qua rex versus Corbodium aufugerat.

*Sequuntur versus quorum primus notat annum Domini in quo bellum istud commissum fuit.*

QVoMo sVCCedant KæroLo sVa faCta retraCto<sup>1</sup>,  
 De quo perplura sunt recitanda modo?  
 Nobilis iste comes merito qui dux reputandus  
 Congregat intrepide juvenes fortes, animosos,  
 Certis de causis tacita quas mente gerebat;  
 Francorum regem Ludovicum visere temptat,

<sup>1</sup> Il n'est pas inutile de remarquer ici, comme nous en trouverons encore d'autres exemples, que la lettre D n'entre pas avec sa valeur numérique (500) dans les chronogrammes de cette époque.

Qui dum Parisius regalem transit urbem,  
 Optans omne bonum cum justitia reparari,  
 Campo Montis-Hery fixit tentoria multa,  
 Regni regnorum medio captu fluviorum,  
 Mane, die martis, sexta decima quoque mensis  
 Quintilis, dum sol tangit fervore leonem.  
 Ast improvisus cum rex apparuit illi,  
 Nobilis ecce comes princeps fortis metuendus  
 Stans hilaris gaudet cernens insignia regis:  
 Se cruce consignat et equum calcaribus urget.  
 « In virtute Dei Francos, ait, aggrediamur! »  
 Tunc cito vexilla sunt hinc illincque soluta;  
 Ordine procedunt magno clangore tubarum;  
 Mittuntur colubri, serpentinnulae quoque tela,  
 Missilibus mixtis penetrantibus atque sagittis:  
 Intrantr sic ludum Martis, pavidique recedunt,  
 Qui dum sic fugiunt, capiuntur vel trucidantur.  
 De comitis parte plures cecidere pedestres,  
 Cum nimis audaces sequerentur longius hostes;  
 Hastis enim fractis et abjectis durius instant,  
 Bellum mortale, necnon horribile visu.  
 Occidit et si quis, occiditur immediate;  
 Inter et aurigas nostros cecidere valentes;  
 Plumbatis plures nostri Francos necuere:  
 Nec est scribendus sanguis qui funditur illic.  
 Quod rex prospiciens ac esse suis spoliatum,  
 Et leo sic fortis invincibilisque maneret,  
 Nec labor aut aestus seu sudor distrahit ipsum,  
 Fugam consuluit ne plus maneat sine laude.  
 En Karolus victor manet in campo velut Hector,  
 Atque comes prudens Sancti-Pauli, Ludovicus  
 De Lucemburgo, perstant rubeique leones.  
 Cum reliquis cunctis victoribus associatis  
 Audaciter campum retinent pariterque triumphum.  
 Tunc factes homines, factes producta Leonis;  
 Postea venere domini subtus tytulati:  
 Dux Karolus, frater ipse regis, Brito, Calabriae dux,  
 Regalis stirpis Borbon, comites quoque plures.  
 Quam cito post bellum sensere resistere nullum,  
 Foedere conjuncti concordantur cito regi.  
 Concors contentus rex est noscendo Leonem,  
 Qui prius ut libuit credebat omnibus uti,  
 Nunc mitior factus, satis est post praelia doctus.

Haec non ad dedecus regis dudum mihi fratri placuit describere, sed ad rei gestae memoriam. Nam postea rex de colligatis omnibus, sive licite, sive aliter triumphavit; anno enim Domini, sicut ex dictis aliorum patere potest, M° CCCC° LXXII°, Karolus de Francia, dux Aquitaniae, frater regis ex veneficio moritur; similiter et Johannes dux Calabriae, cum filio suo marehione du Pons; deinde comes Armigniaci; postea comes Sancti-Pauli; consequenter Karolus, dux Burgundiae, post quem Parisius dux de Nemours.

Post conflictum hunc omnes principes conjurati de Stampes sese moverunt in patrias de Beausse et Gastinois, pontem construi facientes apud Moret, ubi transito Sequana descenderunt pro victualibus in Briam, capta villa de Provyno quae se reddidit. Deinde revertentes venerunt per rivum de Materna in Charentone et ceperunt Laingy ab una parte Parisius, et ab alia parte Sanctum-Claudium ne pateret provisio Parisiensibus, vel exitus. Nichillominus rex se movit versus Rothomagum, et a Normania iterum Parisius descendit ut fortificaret se contra principes dictos. — Deinde xxviii<sup>a</sup> augusti, rex misit cardinalem Albiensem et deputatos notabiles ad audiendum eos. Frater igitur regis ducatum petiit Normaniae: comes de Charloys villas invadiatas libere resignari, prout in pace Attrebatensi conclusum erat; ceteri omnes etiam petitiones suas aperuerunt, et datis indutiis, aliquando fractis, iterum concessis, tempus hyemale supervenit, unde dux Britanniae, licet haberet villam Sancti-Dyonisii, tamen villam de Pontoize cepit. Deinde dux Borbonii Rothomagum pro Karolo de Francia cepit; quod ut rex vidit, dedit juxta requestas unicuique quod petierat et dimisit eos sub data litterae ab eo sigillatae, anno M° CCCC° LXV°, xxviii<sup>a</sup> octobris.

xi octobris et xii octobris pax inter regem et ipsum comitem concluditur parlamento Parisius. — xii octobris habet originalis littera Parisius, hoc anno LXV°. Rex accordat cum Karolo comite Cadrolatensi, quod, in recompensationem tam expensarum suarum quam reginae suae, tempore quo in Flandria fuit, super ducatum Normanniae haberet xxxvi<sup>m</sup> francorum, et vita sua durante pro summa ii<sup>em</sup> coronarum auri ponderis, obtineret Ambianis, Sanctum-Quintinum, Corbiam et comitatum Pontivi, et citra Sommam, Dourlens, Sanctum-Riquarium, Crieveeuer, Alleux, nec redimere posset rex stante vita dieti ducis Karoli ac successoris sui hereditarii:

ARMIPOTENS CAROLVS LEGIOS SVBICIT SINE GLADE.

Comitis Sancti-Pauli sororem duxerat uxorem idem Karolus; et ejusdem comitis Santi-Pauli dux Britanniae Arturus quondam duxerat unam sororem, et dominus de Riviers in Anglia unam, ex qua regina Edwardi ducis Eboracensis et regis postea Angliae uxor assumpta fuit, quae illi fugato in Hollandiam, anno Domini M° CCCC° LXX°, circa Natale Salvatoris nostri Jhesu Christi genuit Edowardum, mirae pulchritudinis



infantulum juxta Londoniam in turri. — Edwardus, rex Anglorum, misit duci Philippo litteras sigillo regis Francorum roboratas, in quibus ligam ejus petierat ad nocendum domui Burgundiae, quibus detectis, dux Philippus qui partem prius regis Henrici tenuerat, qui de sanguine ducissae suae dominae Yzabel traxerat originem, amodo reliquit et penitus adhaesit dicto Edwardo.

Magister Johannes de Turre-Cremata, cardinalis Sancti-Sixti et ordinis Praedicatorum, multum Urbi pariter et orbi memorabilis, post editionem utilium voluminum, obiit.

Hoc anno Alovisius Patavinus, camerarius Pauli papae, cardinalis tytuli sancti Laurentii, mortuus est, relictis duobus fratribus quos capi fecit papa et omnia bona cardinalis confiscavit; deinde partim tenuit et partim restituit; corpus autem ejusdem cardinalis nocte exhumatum annulo et vestibus spoliatur.

Eodem anno Fredericus adolescens, Ferdinandi regis filius, Mediolanum iturus ut filiam fratris Francisci Sfortia duceret in regnum, rosa donatur a papa Paulo II<sup>o</sup>; et quia in animo regis erat eos persequi bello qui tempore Renati a se defecerant, misit copias in ducem Soranum; verum ipse pontifex petiit ut sibi copiae mitterentur ad filios comitis Aversae compescendos ac hereditate Ecclesiae pellendos, quorum pater comes hoc anno Romae mortuus est atque in ecclesia beatae Mariae majoris sepultus. Rex autem acerrimus hostis Deiphebi filii comitis, eo quod armis ac veneno impetitus esset ab eo, propter regnum quod patri suo obtigerat, ut aiebat, obtemperavit mandato pontificis, et ipse praefatos filios bello incautos cepit, reductis in potestatem Ecclesiae ix castellis quorum aliqua natura et arte sic munita erant ut vix capi posse crederentur. Deiphebus igitur captus ne regi Ferdinando mitteretur, fuga quaesivit salutem. Alter vero frater, Franciscus cum filio suo quinque annis retentus mansit in castro Sancti-Adriani, donec crearetur Sixtus IV<sup>us</sup> pontifex. — Inter papam Paulum et regem Ceciliae Ferdinandum, graves ortae sunt inimicitiae; nam rex petiit a papa relaxari sibi tributum quod Ecclesiae romanae pendeat, cum non solum sua, sed pontificis gratia semper acies in armis tenuerat contra Aversanos: Paulus vero commemorabat merita in regem a sede apostolica adhibita; sic ipsis altercantibus res protrahitur in longum, cum uterque jus suum quaereret et tempus retributionis exspectaret.

1466.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXVI<sup>o</sup>, Ludovicus, Francorum rex, licet minus consulte, cuncta percunctatus dixit quaecumque conclusa dudum cum fratre suo ceterisque principibus non legaliter aut libere, sed cum extorsione ac vi potius egisse quam cum deliberatione. Idcirco ducatum Normaniae repetens fratrem suum effugavit, qui ad ducem Britanniae iterato reversus,

assistentiam petit a duce Burgundiae ac filio suo, qui per mare quosdam in succursum direxit; sed pauca commissa sunt pugitiva, tot ambasiatoribus hinc inde missis ab utraque parte, quo series magna vix continere posset, nichil proficere valuerunt quin rex ducatum Normaniae optineret. Videntes autem Leodienses regem sic debachari, levaverunt iterato se contra episcopum eorum, fratrem ducis Borboniae, et eum a villa de Huyo fugaverunt interfectis quibusdam de parte ducis Burgundiae, quos idem dux posuerat ibidem pro conservatione patriae. Sic e converso rebelles facti contra contractum et juramentum quod fecerant cum Philippo duce Burgundiae ac Karolo filio suo, quaecumque poterant mala perpetrati sunt. Dux autem Burgundiae Philippus, apud Bruxellam facta congregatione valida nobilium, arma levavit contra Leodienses; sed propter debilitatem et senium in propria non valens exire, totum belli onus filio suo Karolo comiti Caladrensi commisit. Rex Francorum dum audiret comitem Caladrensem Leodienses invadere debere, misit quosdam stipendiarios in auxilium per Campaniam et Ardenniam ipsis Leodiensibus. Porro Karolus comes Brabantiam exire parabat, contractis undique copiis nobilium et armigerorum; primo cepit Dinantum. Qui dum aciem suam dirigeret in subversionem villae Sancti-Trudonis, plures ad impediendam obsidionem se moverunt de Leodio cum bellicis instrumentis et quadrigis ac victualibus, quos quidam de parte ducis Burgundiae venturos nunciavere; quare comes Karolus, aciebus ordinatis cinctaque villa praefata et adventu Leodiensium audito, clamor ad pugnam et sonitus terribiliter proclamatur. In aggressu Leodiensium eo quod debilior esset prima custodia comitis cessit, fortassis ex industria, prout postea belli exitus declaravit, quoniam ex adverso persensit adiutorium et Anthonium bastardum fratrem comitis adventare continuo recognovit, cujus adventu durior fit aditus pugnae; sed quia in crepusculo quasi noctis congressus item fiebat, totus Leodiensium exercitus diruptus et distractus est; plures igitur eorum terga verterunt, ceteris prostratis et captis curribus et victualibus unacum bellicis instrumentis, quorum copiam adduxerant, et sic bellum intercipitur fuga, quingentis fere interfectis viris. Prosequitur post hoc intentum suum comes Karolus, et villam Sancti-Trudonis dura jam obsidione penitus quassatam in deditionem accipiens, quosdam gladio jugulari, quosdam illaesos et in gratiam capi jubet, hac villa

funditus eversa. Movit idem comes exercitum suum, vastando fortalitia hinc inde, donec Tongris pervenisset, quae villa se submitit obedientiae suae cum pluribus aliis. Et procedens tramite suo castrametatus est ad miliare civitatis Leodiensis, sic quod illi de civitate omnem ejus exercitum, orto sole, viderent longe lateque se dispergentem ad assaultum sine mora praebendum. Civibus igitur aspicientibus se cingi ac locis aptioribus bellicas machinas collocari, sicque primo obsidionis aggressu taliter coartari ut vix egredi valerent aut praesumerent, consilium inierunt ut tricenti aut quadringenti de notabilibus eligerentur qui exirent civitatem et procederent nudi, lineis tantum induti, veniam petitori : quod factum est. Nam tam diu prostrati jacebant ad pedes comitis et episcopi ceterorumque nobilium donec responsum audirent. Tali igitur pacto concordia sumpsit exordium, ut videlicet tres capitanei comitis, scilicet frater comitis, Anthonius, et nepos ejus dominus Adulphus, necnon dominus de Gruuthuze, cum omnibus suis armigeris, ad tres portas intromitterentur, servatis ac salvis bonis et vita omnium in Leodio existentium, in qua quidem civitate tam diu moram traherent hii praenominati capitanei donec ad pacis unionem omnia tractata essent. Cives igitur annuerunt huic petitioni comitis, et, Dei gratia mediante, brevi dierum spatio firmata est pax et sedata commotio, susceptoque comite, necnon episcopo eorum domino Ludovico de Borbonia, promiserunt fidem et stabilitatem semper observandae pacis, fugato Rasone de Lintere qui caput ferebatur principale totius discordiae. Imposita igitur erat pecuniarum maxima emenda, necnon ipsi Philippo duci Burgundiae per vices xl cives obsides assignati sunt ad majorem confirmationem, qui alternatim, donec taxatio persoluta esset, deliberabantur et restituebantur. Hiis peractis, Francorum rex de longe prospiciens fratrem suum cum duce Britanniae Normaniam repetere velle, multitudinem copiosam armigerorum ad oras Normaniae collocavit ne intraret. Idemque rex juxta Peronam et circa Parisius se tenens, ne comes Caladrensis in illum subito irrueret, praesidia sua fortificavit. Deo tamen disponente, pugnatum non est; verumptamen maximae praeparationes factae sunt ab omni parte ad invadendum regem. Nam e converso praenominati omnes principes, sicuti prius conjuraverant, ita litteras consigillaverunt, uti cum eorum quispiam laederetur, simul omnes laederentur. Timuit igitur rex Francorum invadi. Quare ducem Borboniae, necnon conestabularium Franciae comitem Sancti-Pauli,

pluresque alios ad se vocavit, quorum medio pacatus est rex, sed tamen infecta remansit pax pridem superiore anno conclusa.

---

Domina igitur Yzabela, comitissa de Charoloys, tradita est sepulturae apud Antwerpianam in monasterio Sancti-Michaelis; sola relicta filia, scilicet Maria, Gandavi retenta fuit et educata, donec nobili viro Maximiliano duci Austriae, filio Frederici III, Almannorum imperatoris, ut patebit in sequentibus, conjugio copularetur.

Britones, accepta villa de Pontoize, necnon dux Borbonii, medio viduae domini de Varennes, accepto castro Rothomagensi, coneluserunt Karolum de Francia, fratrem regis, introducere, nisi rex se submisisset aliorum nobilium voluntati, quo evenit ut in contractu concordiae rex fratrem suum ducem Normaniae praefecit, et comitem de Charolois pristinae reddidit libertati. Comitem vero Sancti-Pauli suum fecit conestabularium, et emolumenta sua ceteri duces in consigillatione acceperunt, prout litterae sonant.

xv<sup>a</sup> octobris, seneschallus Brabantiae, comes de Nassou, ballivus Hannoniae et alii nobiles Brabantiae, Flandriae et Hannoniae cum xviii<sup>o</sup> ingressi patriam Leodiensium, conflictum fecerunt apud Montenaken, ubi xxii<sup>o</sup> interfecti fuerunt Leodienses.

Ultima octobris, Parisius pax proclamabatur, et Karolus, dux Normaniae, apud Rothomagum receptus est. Rex autem cum comite de Charolois perrexit iter duorum dierum et valefecit; ceteri omnes principes recesserunt ad propria, nec mora rex omnes invasit.

Ludovicus, Franciae rex, volumina legens Machometi, coepit juxta contenta despotico regimine uti, quo contra Dei mandata multa sibi licere dixit atque non esse peccatum adversarios persequi, quolibet modo, fraudulentem aut intoxicationem, et a fratre suo primum incepit; deinde singillatim alios. — Circa Natale Domini, rex Francorum fingens se contra adversarios suos Anglicos processurum, armatam gravem collegit, misitque versus Angliam admiraldum suum bastardum de Borbonio qui detulit treugas xxii mensium inter duos reges. Similiter comes de Charolois misit fratrem suum Anthonium de Burgundia in Angliam, et ibi magnifice susceptus hastiludia tenuit in curia regis, similiter ligam contrahens cum Anglieis, quo reverso, cum fratre suo, super Dinantum perrexit. Porro Dinantenses et Leodienses exierant in initio mensis maii, non obstante contractu pacis, datis obsidibus, et Namureenses et Hannonienses inquietare coeperunt. Nichilominus in vinculum excommunicationis inciderant, prout eorum episcopus impetraverat, unde, rebellionem publicam ostendendo, concitaverunt ducem Philippum vetulum, qui, in propria disponens se, iterum maximam collegi fecit armatam, cui praefecit conestabularium Franciae; sed restitit bastardus Anthonius: propter quod discordia evenit.

Leodienses exierunt ut villam de Lemburch acciperent, et cum percipissent a rege

succursum, ut putabant, ignem in diversis locis Brabantiae posuerunt. Deinde Dinantenses aestimantes comitem de Charolois extinctum bello, patibulo constructo, suspensum cum armis Burgundiae comitem praefatum crexerunt, convitiando parentes suos, etc. — Deinde perduxerunt aciem ante Bovynes, quae villa se tenuit ex parte Burgundorum; sed cum hoc non impune facerent, doluit comes cum esset occupatus in suis et ante Parisius cum nobilibus se teneret in Conflantio, ubi, pro revelatione doloris de morte conjugis suae Yzabelis de Borbonia, suscepit Johannem comitem de Nivernis et Registetac, etc., captum esse per Hacquebach et villam de Perona recuperatam; unde comes praefatum Hacquebach virum bello terribilem praefecit in capitaneum terrae de Forretta, sed non bene rexit Suetones, et ob incuriam tandem periit, ut patebit in sequentibus. — Creavit tamen eum militem, et sperans in eo, more ducis Hannibalis, veluti per eum perpetrari posse miranda, valde dilexit illum ob egregia facinora sua.

*Versus de destructione Dinanti.*

Hi de Dinanto communes sunt populares,  
 Insontes, stolidi credulitate sua,  
 De terra ferri servantes ferrea corda.  
 Sint licet ut ferrum : nil agit in calibem.  
 Ipse quidem Karolus saxo sic excutit ignem  
 Dum vult malleolis quod cito cudet eos.  
 Aggressu primo, circumdedit undique vallo,  
 Nocte dieque locum castigans pulvere forti,  
 Furtive properans, ejusque suburbia captans,  
 Intrat ablatis spoliis, cantique recedunt,  
 Et ceteri melius nequeunt quam reddere sese  
 Ad nutum Karoli pleni pietate modesta.  
 Non attendentes commotus qualiter ante,  
 Offensis multis verbosis, sed magis actis,  
 Incursando quidem fecerint interficiendo,  
 Reddunt seque tamen tractatu non bene facto.  
 Tunc prius emissis fragili sexu puerisque,  
 Fit vindex ignis consumens omnia praesto,  
 Quodque remansisset, manibus perit hoc operosis,  
 Donec dicatur : « Dinant prius hic fore visa.  
 Hos ita perdomuit qui malleus indomitorum,  
 Filius ut Martis, Karolus qui diligit arma. »

*Planctus.*

Quomodo sola manet Dynant quondam populosa,  
 Facta velut Troja nunc sine vestigio?

Illic defluxit Xanctus, sicut hic modo Mosa;  
 Quam paucis similis, attamen excidio.  
 Ylion aut ubi nunc Hector, totidemque potentes,  
 Talibus, heu! caruit insipiens populus.  
 Quin potius contra Priamus pater et suus Hector,  
 Nec sibi praesidio Panthasilea fuit.

*Ilius plunctus.*

O viduata viris, Dynant, orbataque natis,  
 Et sexus fragilis nescit habere locum.  
 Esurit atque silit primo qui splendida sumpsit;  
 Et modo veste caret cui prius ampla satis.  
 Heu! Dynant, miseranda jaces; indulgeat ipse  
 Omnibus indulgens qui patienter amant.  
 Quisquis amat, timeat, patienter et aspera portet,  
 Ut Deus exaltet hunc regione sua.

In versiculis infra, nota annos Domini :

Dinant aCCensa MoX non pLaga CVncta repressa.

—

Dinant praeCLVsa MoX est CaLCata Leone:  
 Mille quadringentis decies sex sex notat annos.

—

(Id est xiv<sup>a</sup> die augusti anni M<sup>i</sup> CCCC<sup>i</sup> LXVI<sup>i</sup>.)

Hoc anno, Rodericus Sanctii, Samorepsis episcopus, claret, castellanus castri Sancti-Angeli, multorum editor voluminum.

Francisens Sfortia, dux Mediolani, Jacobum Piceninum, Pauli II<sup>i</sup> ducem, qui Sulmonem et alia oppida in Marsiis tenebat, misit ad Ferdinandum regem Ceciliae socerum suum. Qui rex eum cum filio suo coniecit in vincula; nec multo post vita privatur, figmento facto quod crus fregerit dum triremes incaute per fenestram inspexisset; et ideo sunt qui dicunt superesse adhuc virum illum, nec credunt eum vita decessisse. Qua re audita, papa Paulus animo coepit contristari de tanti viri spe et adiutorio. — Ferdinandus, rex Ceciliae et Neapolis, instat ut Paulus II<sup>us</sup> restituat quaedam oppida ab Ecclesia de-tenta. Stupefactus pontifex misit ad regem quemdam Bartholomaeum Roverellam,

Sancti-Clementis cardinalem, qui regis mentem aliqua ex parte lenivit. Fuitque tunc eclipsis maxima, neque fuit existimandum corpora coelestia pati frustra; nam mox Franciscus Sfortia obiit, Insubriae, Liguriae, Januaeque dux, ubi cives summa contentione Gallos applicantes cum triremibus aliquot interfecere fere vi<sup>m</sup>. — Paulus II<sup>us</sup> advocat cardinales, eosque consuluit quid agendum sit. Qui dixerunt opus esse litteris directis adhortari principes Italiae tam iniquo tempore pacem servare, ne a Turcho omnium hoste vexarentur. Misit igitur ad Mediolanenses episcopum Conchensem ut nil antiquo amore sit melius quam Galeatio, Francisci Sfortia filio, se committere, qui aberat missus, dum rex Alovisius cum principibus regni dieto suo non obtemperantibus bellum gereret. Hic enim, cum rex novus esset Cypri, Januam in feodum concessit patri Galeatii ducis, cujus mater interim in fidem retinuit Mediolanenses.

Bonus dux Philippus cum exercitu descendit usque Namureum, et circa finem augusti fecit filium suum Karolum cum exercitu praecire ad obsidendam villam Dynanti. Dux vero sequutus usque in Bovines sommari fecit capitaneos de deditioe, facta simul approximatione machinarum quam, dum respuerent ab omni parte, sic oppressit ut post suburborum ruinam et ingressum velut amentium hominum bellicosorum ducis, omnes capitanei vel stipendiarii villae, civibus relictis, aperta quadam porta discederent. Cives igitur inconsulte villam sic reddiderunt ut ad voluntatem ducis praec multitudine introeuntium et fumigantibus machinis, ac si inferno strepitus fierent, quo fugerent ignorant. Comes igitur de Charolois a patre suo petiit spoliare villam et ordinavit secundum capitaneos tres a tribus locis depraedari villam, post igne conflagrari; tandem muros dirui ac portas subverti jussit, ut vix lapis super lapidem remaneret. Verum illi de Bouvines, ex collectis lapidibus ponte constructo, se fortificaverunt, cessitque praeda magna stipendiariis ducis: de qua cum se planxisset conestabularius Franciae, scilicet Ludovicus, comes Sancti-Pauli, pro antegardia deputatus, dux ei villam de Thuino concessit, et inhabitatores ejus mox, ne destruerentur, sese liberaverunt maxima denariorum summa concessa, etc. — Deinde conestabularius Franciam petiit indignatus super comite de Charolois ac fratre suo Anthonio bastardo de Burgundia.

Obiit hoc tempore bastardus Sancti-Pauli, dominus de Halebordin.

Karolus, novus dux Normaniae, fugatur a Rothomago per fratrem suum Ludovicum regem Franciae, qui Karolus iterato cum duce Britanniae retraxit se. Rex vero multos subjungere fecit qui juramentum praestiterant aut regimen in civitate assumpserant, ac tanquam traditores decollari fecit plures, quosdam Parisius demembrari, qui villam de Pontoize tradiderant Britonibus, ubi dominus de Sternay succubuit. Sic non obstante homagio facto, rex fratrem suum a Normannia reppulit. Quapropter comes de Charolois armatam suam non dissolvit, sed in praesidia misit capitaneos. viii<sup>o</sup> igitur septembris, iterum datis obsidibus, Leodienses promiserunt observare pacem, quam, audita morte boni ducis, rumpebant iterum.

1467.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXVII<sup>o</sup>, xv<sup>a</sup> junii, Brugis in Flandria obiit illustrissimus princeps Philippus, dux Burgundiae, Brabantiae, Lotharingiae ac Lemburgensis; comes Flandriae, Arthesiae, Namurcensis, Hannoniae, Hollandiae, Zelandiae et Burgundiae; palatinus ac marchio sacri imperii; dominus quidem Frisiae, Saliniensis ac Machliniae. Hic filius Johannis ducis Burgundiae, ex filia Alberti, ducis Bavariae, comitis Hollandiae et Zelandiae procreatus, filium unicum reliquit heredem ex nobili domina uxore sua tertia, Elisabeth, filia regis Portugaliae, Karolum nomine, natum in Divione anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XXXIV<sup>o</sup>. — Hic patri succedens dominatus est supra omnia dominia quae erant vel esse poterant patrimonialis jurisdictionis, legitimaque successionis, et apud Gandavum, capitalem Flandriae villam, xxx<sup>a</sup> mensis junii, anno quo supra, praestito juramento, non sine vulgi motione susceptus est. Allegabat vulgus impositas sibi gabellas graves et importabiles fore, quas citra contractum pacis factae, post cladem ipsis illatam in bello Gaverensi, quod gesserat villa Gandensis contra Philippum ducem nunc defunctum nuperrime, vi coacti fuerant exsolvere, et idcirco super illis nunc relaxari merito novo in adventu principis, minus tamen gratiose petierunt, sic quod inopinate Karolus cum nobilibus suis recessit a praefata villa, relinquens ad sedandum vulgus dominum Johannem de Gruuthuze qui gubernator Hollandiae fuit et magnus et dignus honore princeps de Steenhuuze. Hic post erasionem domus talliarum, lecta novi comitis sigillo munita littera, murmur pacificavit. Venit autem novus dux Karolus ad Brabantiam conjurandam et susceptus est, licet Machliniae villa cornu rebellionis erexerit, quod per exilium seditiosorum bannitorum repressum est. Illico Leodienses et (de quo major rumoris stupor aures cunctorum invaserat) Francorum rex Ludovicus palam coepit, non obstante foedere, lanceam levare contra ducem Karolum, a quo paulo ante contractus pacis ita firmatus erat quod idem rex licentiam dederat ipsi praefato duci novo sponsalia contrahendi cum domina Margareta, filia regis Riquardi, quondam ducis de Iorch, sorore Edwardi regis Angliae regnantis, et plura alia concessit rex. Unde stupefactus dux Karolus, celebratis exequiis patris anno sequenti, id est M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXVIII<sup>o</sup>, fere cunctis nobilibus



et feodalibus sibi accersitis, solempnem celebravit Brugis curiam, ordinem Velleris Aurei renovando et reparando, ubi pene omnes comparuere, demptis Johanne comite Nivernensi ac Registetae et Alverniae, necnon Johanne de Crouys, comite de Porchennis, cum fratre suo, quibus delatis et proscriptis eo quod mediantibus illis orta fuerit dudum dissentio, susceptus est rex Angliae, rex Neapolis, Ferdinandus, et plures alii tam reges quam barones, et principes potentes admissi sunt in confraternitatem praefatam ordinis celebrati de novo, etc.; pauloque post contracta sunt per verba de futuro sponsalia inter Karolum ducem Burgundiae et dominam Margaretam de Iorch, quibus compertis, rex Francorum movit exercitum contra ducem. Similiter et Leodienses rebelles in episcopum et ducem Burgundiae, coeperunt palam infringere facta foedera tempore Philippi viventis ducis Burgundiae.

Verumptamen hoc anno, quamvis ad arma ruisset utraque pars, non est tamen ventum ad pugnam, eo quod nobiles Franciae, scilicet Karolus, dux Bituricensis, frater regis, atque plures alii partem regis declinantes recesserant et apud ducem Britanniae se receperant; et hinc inde per mare, per terram, missis ambasiatoribus, et converso colligati dudum principes conjurati, inviolabiles adunati, stare contra furorem regis maluerunt et pacem observare cum novo duce Karolo, quem rex contra fas deturbare quaerebat. Porro ad curiam ducis Karoli venit Philippus, miles nominatissimus, frater Amedaei ducis Zabaudiae, relinquens partem regis, quamquam idem rex sororem ejus haberet uxorem, et ab eo cum provisione susceptus est, factusque gubernator ducatus Burgundiae, ad quem contra incursum regis Francorum tuendum et defendendum idem Philippus directus est; et aliquantulum fidelis, non tamen usque in finem permansit. Ceterum de praesentis temporis eventibus etsi claustralium monachorum non est attendere quemadmodum, nec pariformiter illustrium varia describere gesta, verum quia plerisque novitatibus gaudere consuevit animus modernorum, idecirco tractus hac varietate, non solum de hiis quae concernunt statum novi principis Karoli ducis Burgundiae et comitis Flandriae, verum etiam de ceteris quae vel audire aut aliunde percipere licuit, annotari curavi sub brevibus.

Hoc anno summus pontifex Paulus II<sup>us</sup>, magnum parans apparatus Turquos invadendi, munere Turquorum corruptus, vendidisse fertur Venetiam,

sic quoque Turcis Ytaliam intrandi praeuisse aditum. Fredericus imperator Almanorum et rex Romanorum, veniens apud eundem, Romae moratus est, causa tractandi super eadem materia; sed nichil ad effectum concludabatur, Turcis fortiter debachantibus.

-----

Nota de laude nobilitatis famosi ducis Philippi III<sup>i</sup>. « Licet de nobilitate saepe numero » disputatum sit an in felicitate generis aut affluentia divitiarum seu gloria virtutis sita » sit, statui mecum aliquid mandare litteris in quo maxime veterum aetas delectabatur. » Ad te igitur, gloriosissime et invictissime princeps, unum seculi nostri lumen, de nobi- » litate contentionem non immerito preferendam existimavi. Nunquam enim convenientius » quam apud claritudinem tuam sermo nobilitatis haberi potest, nec cuiquam magis » quam tibi haec oratio commendanda videtur, qui vel felicitate vel gloria omnem » profecto nobilitatis speciem complexus es. Nam, si de praestantia generis agimus, quis » est hodie princeps infra fauces Belgicae Franciae, qui vel venustate morum vel parentum gloria tuo sanguine clarior videri possit? Si de opulentia divitiarum quaerimus, » amplissimus tibi est principatus, mirabili fide subjectorum atque benivolentia civium » firmissimus. Si de animi virtute tandem tecum agimus, talem tibi cumulas qualis- » cunque honestus animus desiderare queat. Quid enim de justitia, religione, liberalitate, » elementia, pietate, constantia, fide, moderantia aut ceteris virtutibus, quibus principatum agis amplissimum, loquar? Quorum res sapienter, magnifice, bello pariter et » pace tot annos administrasti, si recensere voluero, profecto nox diem adimeret. Non » est silentio praetereundum avum scilicet tuum Philippum, serenissimi Johannis Francorum regis filium, appellasse consanguineos semper augustum Sigismundum, Ungariae pariter et Bohemiae regem, ceterosque marchiones inelitos Alemaniae, duces » et barones diversorum regnorum christianissimos affinitate recognovisse, sed et florentem cum patre tuo duce Johanne militiam deduxisse contra Turchorum illum » admiraldum Lamorath-Bey perfidissimum. Sed de te quid disutiendo perferam » cujus a teneris effulsit annis praedecessorum tuorum superata praestantia, talis ut » amor et deliciae humani generis vocari possis, quibus probatissime felix agnosceris » potentia, divitiis et honore, sed et illustrium factorum et maximarum rerum dignissimus censeris interpres. »

.Etate hae florentissima qua Burgundorum hic dux Philippus claruit, vir quidem fulgentissimus animi virtutibus et opibus amplissimis locuples, qui ex Elizabeth, nobilissimi Johannis regis Portugaliae, Luzitaniae, etc., filia, tres dumtaxat filios accepisset, unica spes honestae senectutis suae filius superfuit Karolus, qui principum adolescentum ante-

cellebat praestantiam, tum ingenii vigore, tum morum honestate ac vitae miranda moderatione, ut nichil deesset ejusvis aetatis optandum; hujus amore pater et dux famosus vehementer incalescebat, dum crederet illustriorem fama profecturum; nam in procurandis amicitiiis curiosissimus, et, ubi videbatur opus, bello rem temptandam sollertissime se gerebat ita ut gloriosus pro patris et patriae honore, metuendusque cunctis haberetur, dicerentque natum ad immortalem gloriam paterna virtute nitere. Unde sicut nunquam in obscura parte speculi splendor relucet, ita nec in sceleratis aut perniciosis filiis parentum virtus splendere potest. Virtus tamen (ae virtutis socia nobilitas) proprio labore quaeritur. Quacrere quidem gloriam, adhuc vivente patre, Karolus iste non pigritavit, confoederatus Karolo Franciae, Ludovici regis uterino fratri, pro quo paene cruciatus ultionis apud Montem-Herrii subiisset, nisi divina succurrente gratia fuisset ereptus. Tandem et ipse rex Ludovicus fratrem et conjurationis socios necari jussit, licet multis vacillantem praелиis serotinae satis memoratum Burgundiae Karolum invadi rex media statuisset hyeme, levata obsidione Nanebyaca. — Huic erat filia Maria quae cum viro suo Maximiliano successit, cui genuit Philippum, Franciscum et Margaretam; postea, cum rexisset fere quinque annis ac quatuor mensibus, obiit Brugis, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXXII<sup>o</sup> ab Incarnatione.

Pragmaticam sanctionem, tempore Sixti IV<sup>i</sup> pontificis, revocavit rex Ludovicus, mutato consilio, dum fortunam sibi faventem in omnibus aspiceret, post obitum Philippi, famosi ducis Burgundiae. Nam ab illo tempore fere, contra filium ejusdem ducis Karolum, per annos x dissimulavit, nunc et guerras movens, nunc foedus contrahens, tandem per secretissima fraudis molimina, corruptis collateralibus ejusdem Karoli, cum nichil posset in eum industria bellica perpetrare, procuravit ut evocaretur ad remotas provincias debellandas (siquidem cum gloriae cupidum pereceperat), quatinus sic tota domus Burgundiae destrueretur, quae stetit in ipsius conservatione personae. — Ab hiis ergo diebus, rex ipse Francorum Ludovicus XI<sup>us</sup>, aliter quam deceit informatus, ab aemulis domus Burgundiae, quae per centum annos ferme Flandriam strenuissime gubernarat, occasiones adinventae sunt. Similiter et adversus domum Britanniae, quae quondam per antiquos adversarios regni Franciae non paucas irrogaverat molestias. Unde, cum haec duae domus per fratrem regis Karolum de Francia, ducem Byturicensem, satis certificarentur scriptis nil honi regem machinari in eos qui de sanguine regio essent, habito maturo consilio, frater regis alienare se coepit a curia et ad Franciscum ducem Britanniae confugit. Nec mora sese fortuna rebus immiseuit ut idem dux accusaretur cum Anglicis ligam contraxisse. Quamobrem Parisius ejus procuratores in parlamento detenti sunt. Tandem ex informatione bastardi Aegidii, fratris duem Petri ac Francisci, rex arma convertere voluit in eundem. Sed ille bastardus apud Nannetes demembratus fuit. — Hiis diebus Johannes, dux Borbonii, comes Claromontensis, Forensis et Alverniae, dominus Insulae Jordanicae et Bellijoci, par atque camerarius regis Francorum, ejus habebat sororem conjugem, coepit dissentire, si quidem dignum erat, contra regem,

eo quod promissa paterna persolvere refutasset pro dote sororis. Unde convocatis ad se nepotibus suis, duce Nemorensi et fratre suo comite Armigniaci, conclusit in praedictum regis reservare quaedam loca donec persolverentur dos et compromissio. Significavit hoc idem avunculo suo, Philippo duci Burgundiae, qui consuluit idem persequendum esse, etc. Rex vero noviter institutus, consilio Johannis ducis Alenconii, rem tacitus inspectans, ipsi Johanni duci totum indulisit Forestum suum, tradiditque sibi terras quas pater regis Karolus abstulerat et ad perpetuos carceres dampnaverat. Unde collateralis effectus immiscuit se, turbationem concitans, cum esset seditiosus et alias ligas tenuisset cum Anglicis. Quapropter ad defensionem consuluit regi quatenus arma levaret, aut aliter nobiles de sanguine regio praevalerent. Igitur rex cauteliosius fratrem suum fecit observari, ne conjungeretur ipsis ad rebellandum, et sicut nec duci Borboniae, ita nec fratri suo tradere voluit compromissa.

Copulatio ejusdem Justi Balduini, utriusque legis periti, cum legationis onere fungeretur ad regem Ferdinandum in Aurci Velleris praesentatione, quod ei dux Burgundiae transmisit: « Si unquam fuit, serenissime princeps et rex gloriosissime, ut oratoris »  
 » ejusdem animus interorandi labefieret, profecto mihi hoc nunc contigisse vereor ;  
 » sed eum quae dicturus sum, talia sunt quae christiano decori et illustrissimae Arrago-  
 » num familiae perpetuo famae videantur ornamento placere, libens subeo tam magni-  
 » ficum orandi mandatum. Nichil enim jocundius hac legatione mandari nobis potuisset,  
 » quam per nos Tuae Majestati declarari antiquissimam illam benivolentiam, affinitatem  
 » et amicitiam, tum antiquissima et novissima illa foedera diu haec inter florentis-  
 » sima imperia, scilicet Arragonis et Burgundiae, novo quodam indissolubili religionis  
 » vinculo copulata. Hanc ob rem, serenissime princeps, cum inter ista tenera juvenilis  
 » aetatis signa, aetatemque ipsam virtutibus superans, gloriosus jam coeperis per omnium  
 » ora volitare, invictissimus atque illustrissimus Burgundiae dux qui, nisi probos et  
 » virtuti deditos amare consuevit, illectus tuarum virtutum praeconio, nil dignius judicat  
 » quam hiis te sacramentis militaribus mancipare quibus christiana religio cotidianis  
 » infidelium incursibus artata sublevetur. Latere igitur Tuam Majestatem non debet  
 » christianum illum inclitum Philippum Burgundiae ducem, Karoli patrem, ingenio  
 » perspicaci, certum excogitasse modum subveniendi diuturnis vexationibus vexatae  
 » Petri naviculae, ne christianum nomen mergeretur penitus, non Jasonis sed Gedeonis  
 » imitatione Vellus Aureum assumere voluisse, quod in signum dominicae religionis,  
 » divinae legis cultor, virorum ille fortissimus Gedeon Israhelitico populo demonstravit  
 » et prostratis hostibus ad signum ejus liberavit. Is enim illustrissimus et amabilis  
 » Deo Philippus dux tam gloriosi et optimi instituti fuit auctor et inventor, ut quid esset  
 » agendum exemplo suo declararet. Volens autem exequi quod antea florida conceperat  
 » aetate, cano jam capite devovit, marinis fluctibus classem exponere curavit, et v<sup>m</sup> suis  
 » sumptibus in tam pia et necessaria expeditione Tureborum misit. Is etiam arcem apud

» Rhodianam insulam quae Cieladum praevaria, ad expugnandos hostes constituit aedi-  
 » ficari. Sed heu! nunc apertissimis bellorum suspicionibus retractus ab expeditione,  
 » Anthonium naturalem filium suum destinavit sui loco. Nam asciverat Edwardum An-  
 » gliae, necnon Jacobum Scotiae reges secum et duces clarissimos Franciscum Bri-  
 » tanniae, Karolum Aurelianensem et Johannem Clivensem ituros, quos eadem suspicio  
 » retardavit. Ad Alfonsum regem Portugaliae, patruum, si libet accedere, quo regum  
 » nemo diebus hiis praestantior, qui fortunam cum Cyro virtuti conjunctam habuit,  
 » de ejus gloria nullum tempus venturum est quod conticescat (sicut enim sol inter  
 » cetera sidera praeradiat, sic inter ceteros actatis suae reges, tanquam eypressus inter  
 » lenta viburna, supereminet), huic nichilominus tollendo pro magno sibi munere tamen  
 » ascribi judicavit. Quid insuper Johannem Arragonum regem commemorem, qui  
 » terra marique tot annis Barchinonam florentissimam expugnando coegit, ejus et est  
 » recentior apud Parpinianum de Gallis parta victoria? Quid dum viderem Fernandum  
 » a Sarnensi conflictu et victoria redeuntem eundem semper vultum retulisse et faci-  
 » lem ad ignoscendum animum? Tanto igitur caritatis glutino tibi dux noster Karolus  
 » copulatur, ut non sit passus carere te munere, quo pater tuus Johannes Arragoniae  
 » rex in ornamentum suae domus se decoravit. Gaudeat proinde tua inclita et beneme-  
 » rita conjunx regina Hispaniae, quasi Amaesia, quam, eo quod sub foeminea forma  
 » virilem animum gereret, Androgynem vocavere. Age, igitur ut coepisti, rex inclite,  
 » et eam quam apud omnes laudem tuis virtutibus consequutus es, hodie hoc dignis-  
 » simo vellere confirma, atque ut libet imperiis, opibus atque praesidiis Burgundorum  
 » utere. »

*Pro Alfonso rege Portugaliae oratio.*

» Serenissime rex, in tanta dicendi difficultate unum illud est quod ingenium meum  
 » recreat viresque ministrat, quod apud te oratio habenda est, pro qua veniam dabis,  
 » si non singulis innumeris rebus in pace ac bello praeclearissime gestis. Adeo enim latus  
 » mihi dicendorum extat campus, ut incredibili virtute princeps occasionem orationibus  
 » praebuisse videaris. Nam tu certantes a cunabilis factis gloriosissimis superasti. Quis  
 » sanae mentis immortalia tua tropaea pro Christi fide contra barbaras nationes tutanda  
 » narrare poterit? Modestia enim tua, veritatis actione contenta, mavult bene agere quam  
 » audire; sed qui bene agit, bene audiat, necesse est. Intellige eo studio primum Tuae  
 » Majestatis consobrinum, illustrissimum principem Karolum, te sicut fratrem amplecti  
 » ut nulla sit animorum vis quin amplitudine dicam excedere. Cum igitur alta memoria  
 » repeto, quod est antiquissimum, Lusitaniae regnum per tot successione ordines ad te  
 » pervenisse, tot dicendorum argumenta concurrunt ut plerumque ignorem a quibus  
 » ordiar. Tuus enim avus Johannes, eum ad Portugaliae regnum ascendisset, difficile  
 » dictum est qua prudentia, quo consilio, prostratis hostibus, victorem se praestiterit.

» Exstant adhuc belli vestigia. Nam cum ulterioris Hispaniae rex, contractis undique  
 » copiis, dum Luzitanos veluti ad epulas invitatus apparatu bellico irritaret, non con-  
 » sternati Luzitani, quamvis dispar numerus, certamen iniere tam atrox quo virtus eorum  
 » eluxit ut Salomantis porta demonstrat, at ubi caedes aeta est, ornatissimum Beatae  
 » Mariae templum dicatum exstat. Ferunt in eo conflictu hunc avum tuum irruisse, ac  
 » ubi pugnantes acerrime conspiceret hostes, sese velut militem immisuisse; quod de  
 » Julio Caesare traditur, in eo probatum est. Post haec, ad barbarorum hoc crudele  
 » bellum se contulit, et primo hoc impetu Ceptam, Affricae praeclarissimam urbem, de-  
 » bellavit. Pium erat christianissimum regem dominica bella gerentem contemplari, sed  
 » piissimum quinque tunc liberos labores atque sudores ejus comitantes intueri atque  
 » ita instructos effecisse ut assiduitate bellandi quod aliis impossibile videbatur efficere  
 » se posse; a quo proposito pater tuus rex Edwardus non discessit, nec si mors immatura  
 » rapuisset, unquam statuisset quiescere, qui tamen maxima virtutum monimenta reli-  
 » quit. Quid Ferdinandum, tuum patrum, sanetum commemorem martirem, cujus  
 » gloriosa mors pro regno Luzitanorum, probata miracula et bene aetae vitae argumenta  
 » demonstrant; qui, cum in quibusdam Gadditanis angustiis, concurrente barbarorum  
 » multitudine, fame christianus premeretur exercitus, veluti pastor bonus se ipsum pro  
 » grege suo tradidit? Nam cum piissima diu de se tradendo cum Henrico fratre suo  
 » contentio fuisset, altero quasi ad epulas perire volente, Ferdinandus sciens barbarorum  
 » saevitiam simpliciter non esse contentam genere mortis, ita Henricum fratrem, ceterosque  
 » commilitones alloquitur, [ut dubitarent] utrum ad mortem trudi seu in coelum videretur  
 » ascendere: Utenique nos vertamus, commilitones, extrema nobis deesse videtis; nam  
 » fugae quidem nulla facultas, circumfusis hostium copiis ac nos impigre observantibus:  
 » tradere vero barbaris tantum exercitum turpitudine et vilitate non deceat. Cum igitur  
 » in obsidione diu durare non possumus, nulla ratio potest suadere tollerantiam nisi  
 » vilissimae mortis detentio. Heu! pueri formidolosi dolore confici malunt quam ferro  
 » secari. Quid nobis prodesset si et nunc servati, paulo post simus obituri? Gloria ex-  
 » tendere vitam hominibus potest, non natura. Ego igitur pro salute vestra me barbaris  
 » offeram, ut in me, non in vos, omnis barbarorum rabies sileat. — Complexi igitur se  
 » invicem, certissimo moriendi proposito barbaris sese optulit in dignam Deo victimam  
 » omnibus diebus collaudandam; sic sanguine vir sanetus veram immortalitatis gloriam  
 » comparavit. Praeterire nequeo fratruem tuum Jacobum, Ulixbonensem cardinalem,  
 » quem non cessat romana dellere Ecclesia, in quo tanta vitae sanctimonia ut eum  
 » universalis Ecclesiae pastorem omnes sperarent. Quid serenissimam Tuae Majestatis  
 » amitam Elisabeth, ducessam Burgundiae, matrem Karoli recenseam? Cujus gravitas  
 » et morum honestas, in pudicitia et prudentia magnanimitas, per universos belgicos et  
 » germanos celebratur populos, ut suis quaedam vivendi norma praedicaretur; ejus  
 » tanta fuit sapientia, ut rerum humanarum usus inelitus dux Philippus, summae sa-

» pientiae vir, ei rerum suarum summam crediderit atque in ejus digestis bene con-  
 » quieverit consiliis. Felix amplissimum genus Portugaliae, ampla domus quae non minus  
 » foeminas quam viros summo ingenio praeditos e se ferre consuevit! Jam Luzitanici  
 » loci amoenitatem omittere nequeo, cui coelum saluberrimum, terra felicissima quae  
 » ad Oceanum vergat, Tago aurifero, Durio Minioque fluminibus pereurritur, urbibus  
 » florentissimis constans et tanta fructuum aut mineralium ubertate decoratur ut vix  
 » vivere Galli, Germani vel Britannici saltem commode non valent sine illis. Haec enim  
 » patria in omni scientia et probitate viros semper emisit. Nam et sanctissimum con-  
 » fessorem Anthonium Patavinum atque Seraphici ordinis virum Franciscum edidit. Et  
 » haec de regno illo. Sed si ad alia me transfero, quid praeceteris regibus in orbe, qui  
 » regnant hiis nostris temporibus, pro fide Christi te gloriosissimum fecerit, libet au-  
 » dire. Nam superioribus annis maritima classe et onerariis navibus comparatis in Tur-  
 » chos simulans proficisci, Tangerum praeclarissimam urbem Africae, in ipsius Gadi-  
 » tani faucibus constitutam, sine errore, sine sanguine, sapienti consilio e Barbarorum  
 » manibus abstulisti, pulchra et Deo digna victoria, qua de Christi hostibus sine Christi  
 » sanguine triumphatur! — Quid Alchasser, Arzillam, Zegel, olim Barbarorum oppida  
 » commemorem, quae tu haud nisi magno animo expugnata tuae ditioris effecisti, et  
 » ad summam desperationem adducta coegisti, et ubi prophana, nunc Christi laudes  
 » et divina celebrantur mysteria? Utinamque reliqui principes paribus votis cum Tua Ma-  
 » jestate concurrissent! Utinam tuus illustrissimus dux Burgundiae, Gallia aliquando  
 » pacata, tuis posset operibus fertoria factitare! Nichil enim magis animo versat, nec  
 » tenetur majori desiderio quam proprio corpore religioni christianae posse opem ferre,  
 » et divinam injuriam cum Tua Majestate, tam classibus quam exercitibus, vindicare;  
 » sed gallicanae dissentiones et, quod foedum, de mutua inter se pernicie gaudentes  
 » principes, christianum nomen perditum iri patiuntur. Querebantur olim patres nostri  
 » amissam Syriam, Phoenicem, Aegyptum, Azia spoliatos, ejectos quoque Africa. Nostro  
 » tempore amissa est tota Graecia et Europae pars maxima. Tutabantur olim Veneti  
 » Hellespontis fauces et claustra; sed superioribus annis tota Euboea insula per Ionium  
 » et Illiricum mare per Turchos est occupata. Tu vero, christianissime rex, adhuc  
 » Europae claustra defendis, sed et barbaros ab Africa depellis, Sarraenos dissipas et  
 » evellis, replantans in eorum urbibus evangelicum dogma. Praeterire non possum,  
 » inelite rex, an divino munere, an tua jugi sollertia et incredibili sapientia sit effectum,  
 » ut Maderam, Austurem, Verulem, aliasque complures insulas in ipsius Oceani aestibus  
 » constitutas reperis, quas nullus mortalium seivit, omnisque microcosmus ignoravit;  
 » et inter tot hominum milia, qui dispositionem orbis, elementorum virtutes, naturas  
 » animantium et herbarum perscrutati sunt, solus effeceris, ut, ubi nullus hominum  
 » incolabat, sed pauci ad modum pecorum vagabantur, ut jam dulcicia ymnorum modula-  
 » mina Christi decantentur, et adeo fertilis ager effectus ut non modo sucharum sed cyna-

» momum , piper et alia aromatica quae spatiis longissimis asportari consueverunt, ibi  
 » vulgatum sit exerescere. Tu solus christianus princeps ab omnibus jure merito prae-  
 » dicaris, ac te veluti solem inter sydera micantem christiani contemplantur et adorant  
 » populi. Cumque inelitus tuus Karolus, dux Burgundiae, praeter eam quam tibi jure  
 » sanguinis habet caritatem, tanta conjungitur amoris unione, ut incredibile videatur,  
 » ad cumulum etiam tuarum felicitatum videtur accedere quod Johannem primogenitum  
 » tuum magno ingenio Tuae Celsitudini assistentem audierit. Quanobrem, rex serenis-  
 » sime, nos legatos ad Tuam Celsitudinem dux noster excellentissimus destinavit ut te  
 » veneremur ac debitis salutationis officiis et honore prosequamur, quem et Tuae Ma-  
 » jestati commendamus. Venimus igitur summo gaudio, maxima cum laetitia ad te  
 » venimus ut Tuam Majestatem, qua inelito duci nostro Karolo nichil apud mortales  
 » carius aut amabilius est, artiori quodam vinculo prae ceteris astringeris. Si quid mutuo  
 » amori, caritati vel benivolentiae addi potest, denunciamus et ut civitates, oppida, insu-  
 » las, exercitus, classes et quidquid valet opibus aut imperio ad Tuam Majestatis bene-  
 » placita et nostrae legationis officio affectuosissime offeramus; alia vero de quibus  
 » acturi sumus, seorsum cum Tua Majestas jusserit, exequemur..... »

Hoc anno summus pontifex Paulus II<sup>m</sup> ammonuit Leodienses ac sub censura ligavit ne rebellarent, misso legato suo qui diversas collectiones denariorum fecit ex indulgentiis sicut Romae concessis per jubilaeum.

Hoc anno sexus hominum atque mulierum variatione superba se gerere coepit aliter in vestitu et amictu, et vanitati patere plus quam antea per quosumque visum sit; pudorque recessit a foeminabus, et in omni statu deformitas apparuit.

Hoc anno, post obitum boni ducis, descendit ex Anglia Riquardus dux de Warvich ad regem Franciae in Rothomago. Hic homo seditione plenus, foedus cum rege iniit; sub specie vel colore tamen concordiae, tantum egit ut Francorum rex regi Angliae plurimum amicabiliter scripserit, et optulit communitati Londoniae propter mercantias ad Rothomagum trahendas, sic quod nundinas Flandriae vel Brabantiae per hoc annihilaret, libertatem et jura pro libito concedendo. Haec ergo secreta fuerunt novo duci Burgundiae Karolo delata propter amicitias renovatas nuperrime. — Dominus d'Arguel, princeps Orengiae, cepit neptim ducis Karoli uxorem, filiam de Borbonia, et cum ea suscepit a duce multa bona. Tamen ab eo recessit tandem, ut patebit. — Regnavit hoc anno pluribus in locis pestilentia, et obiit dominus de Saveuse dictus Magnus, qui tria fundavit monasteria circa Ambianis. Similiter obiit dominus de Contay qui apud ducem Philippum fuerat expeditissimus. — Legationes multae fiebant hoc anno praecipue propter matrimonium concludendum inter ducem Burgundiae Karolum et Margaretam, filiam ducis de Iorb, sororem regnantis Edwardi, fuitque rex Francorum super hoc requisitus, et consensum praebuit duci. Riquardus tamen de Novavilla, dux de Warvich, hoc impedire voluit, in cujus animo latebat dolus, ut dicebatur, quia taliter disposuerat



eum rege Franciae ut Henrici regis procuraret liberationem et confederationem duorum regum adversus domum Burgundiae, quo facto, Flandria, Arthesia et Hannonia coronae Franciae cederent, Hollandia vero ac Zelandia coronae Angliae. — Francorum rex Ludovicus XI<sup>us</sup> complacere volens Parisius venit, et indulgens omnibus bannitis gratiam fecit, locumque eunctis concessit ad opus suum peragendum vel commorari Parisius cupientibus. Restituit etiam vexilla, pinnetas et principulos ablatos, dum Anglorum regi Henrico iuramenta praebuissent, et omnia quae pater ejus Karolus rex deposuerat, instituit. Unde Parisienses elati coeperunt favorizare parti regis et condemnare partem sui fratris, dicentes eum perjurum, et similiter ducem Burgundiae appellare coeperunt Charlotteux, infamem Turehum, etc. — Dux Excestriae per Edwardum regem cujus habebat sororem, occulte necatur. Dux de Suffole alteram cepit sororem regis Angliae, et dux Burgundiae Karolus, tertiam sororem.

Secundo Leodienses se moverunt, non obstante contractu concordiae, dum dux Philippus, quoad vixerat, ab eis firmam pacem procurarat. — Brugis hoc anno descendit constabularius Franciae, scilicet Ludovicus, comes Sancti-Pauli, cum triumpho magno et amplo statu, de quo, dum ad requestam regis aperuerat qualiter rex eum ad Karolum ducem direxerat repetere villas invadiatas, ut homagium super hiis praestaret regi, dux indignatus responsum dare distulit; nichilominus sequutus est comes ducem ad paciscendum eum. Sed aut simulatorie aut sub velamine talia fiebant ne perciperetur secreta confederatio, de qua re Francorum rex semper dubitabat. Unde et idem comes propter motionem vulgarium de suspicione tollenda Parisius fecit per regem publicari quod nemo praesumeret eum appellare traditorem et Burgundis favorabilem. Sed vulgus non destitit breves seminare per vicos et picturam comitis apud Innocentes signare eum cruce sancti Andreae, quam Burgundi deferebant pro signo favorabili. Tamen repertus est, ut patebit, et reum laesae majestatis per capitis plectionem rex justificavit Parisius, anno M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> LXXVII<sup>o</sup>. — Richardus, dux de Warvich, quasi tertius rex habebatur, qui motionem excitavit in regem Edwardum, dicens eum intrusum fore deponendum eo quod monetam diminuerat, et multos articulos alios allegavit in praedictum ipsius, quos confirmavit ipsum vulgus. Unde ad parlamentum vocatus noluit comparere nisi sub signeto regis. — Hoc anno episcopus Tricariensis, missus ad pacem componendam inter Leodienses et ducem Burgundiae, capitur ab eis una eum eorum episcopo Ludovico de Borbonio. Quapropter dux eum rege Francorum armis ingressus, civitatem evertit et ambos episcopos liberavit. — Francisca, pretiosum ecclesiae monile, Petri ducis Britanniae ducissa, Carmelici ordinis ingressa coenobium, professatur a magistro Johanne Soreth, qui Parisius claruit inter ceteros, cum Francisco de Zavonia, qui postea dictus est Sixtus IV<sup>us</sup>. — Summus Pontifex Paulus secundus quosdam hereticos mares et foeminas in Poli oppido super errore notavit ignominia. Erant enim illorum sectae qui dicerent nullum Christi verum vicarium post Petrum sedisse, qui paupertate

tem Christi fuit imitatus; unde qui pertinaciores inventi sunt, plus notati fuerunt ignominiosa morte. — Hoc anno Fredericus III<sup>us</sup>, Romanorum rex et imperator Almanorum, Romae penes sanctissimum nostrum papam Paulum II<sup>um</sup>, praesidebat ad tractandum de Turchis propulsandis. Sed quum principes fideles necdum in Almania sub imperio pacati parere, sed nec aliorum elinatum libidine dominandi voluerunt obedire, quidam assumpserunt cum baronibus bellum adversus infidos; sed non praevaluerunt. Ex Graecis tamen quidam nomine Johannes, cujus uxor nobilis matrona et amabilis fidei viro suo, sic ex visione quam habuerat, talia significavit, per quae credens adeptus est victoriam, etc. Nichilominus plus quam tricentae ac xxii desolatae fuerunt civitates in Graecia, ex quibus duae patriarcales sedes, et vix incredibile effatu quas patrias atque gentes redegit idem princeps et imperator Turchorum sub tributo, aestinans adhuc imperio suo universum orbem subjugare, qui jam totius Orientis et Africae dominus, Aziam parabat intrare.

Dum illustris Karolus Burgundiae dux occuparet se cum nobilibus suis, celebrando nuptiarum suarum solempnia, nova suscepit certitudinaliter regem Francorum direxisse gravem exercitum contra ducem Britanniae apud quem frater regis erat, cui dux Britanniae dederat aliqua loca sub regali pertinentia majestate. Mox, xxii<sup>a</sup> maii scilicet, dum celebrasset sponsalia, versus Britanniam misit armigeros plures sub conductoribus dominis Petro de Miraumont et de Rabondenghes, ballivo villae Sancti-Oudemari, et ceteris qui cum Britonibus praedicta loca tenuerunt et praecipue civitatem de Cadumo. Sed tandem rex cautelose promittens multa fratri, retraxit fratrem suum et dedit ei ducatum Aequitaniae.

Inter hastiludia post celebrationem ordinis curiae, dum dux Karolus nepoti suo domino Jacobo de Borbonia deferret torquem praedicti ordinis et collo imposuisset, subito cum talis infirmitas accepit ut moreretur. Similiter, dum dominus Adrianus de Borsalia, alias de Breda, qui naturalem sororem ejusdem ducis Karoli sortitus erat uxorem, ad rasuram barbae sedisset, surripuit mox infirmitas ad mortem, et nemo seire potuit donec publicabatur quod adessent qui per veneficia sic homines mori faciebant: seeta enim erat quaedam malignorum qui per pulveres sparsos in aqua benedicta vel super flosculos intoxicabat multos.

1468.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXVIII<sup>o</sup>, Turci divisi contra Soldanum magnum Babiloniae, paululum humiliati, destiterunt ab invasione. Nichilominus tributarios Graecos quos superioribus annis acceperant, non restituerunt. Francorum rex Ludovicus pragmaticam ad summi pontificis instantiam resignavit, et ob hanc causam visus est pontifex plurimum Francis favora-

bilis, creavitque cardinalem episcopum Ebroicensem, in curia regis Francorum, virum simplicem litteratura, sed callidum consilio, quem sic exaltatum et elevatum sicut cedros Libani eodem anno captivum sibi fecit rex, eo quod fratri suo, duci Bituricensi, favorem praebebat: qui quidem episcopus dominum de Nantoillet accusavit super eadem materia, quem rex decollari jussit. — In Anglia res turbatur, medio ducis Riquardi de Warvyc proponentis quosdam articulos in dominum suum Edwardum, regem Angliae. — Rex Scotiae filiam regis Daciae sive Dennemarchiae cepit uxorem.

Vicesima quinta mensis junii, Margareta de Iorch, sponsa ducis Karoli, cum apparatu decenti, ab Anglia per mare descendit in Flandriam, et apud villam de Dam, juxta Brugas, legaliter copulatur praefato duci per episcopum Salesberiac. Venerunt autem plures nobiles cum ea, videlicet duo fratres reginae Angliae, comites de Wydville et de Schalles, dominus de Cres, dominus Johannes Havent, admiraldus Angliae, dominus Thomas Montgomry cum multis aliis qui probitatem militiae in torneamentis et hastiludiis ostentavere. Venit et cum praefata sponsa nova ducissa Burgundiae, ducissa de Noortfole cum aliis pluribus: quae quidem ducissa per ducem de Warvyc in regressu ad Angliam impedita fuit, et dominus de Widville per eundem decollatus cum patre suo domino de Riviers, patre reginae Angliae, quod fuit initium turbationis regni Angliae, sicuti patebit in sequentibus. Porro, cum Karolus duxisset uxorem suam de Dam ad curiam suam Brugis, quam de novo tam pater ejus Philippus defunctus quam ipse restauraverat, quindecim sequentibus diebus tanta magnificentia celebrata sunt sponsalia in apparatu pomposissimo, ut vix credibile foret narratum qualiter humanum ingenium sufficeret rerum administrationi. Triginta enim naves et totidem turres cum diversis armorum patriae insignibus, nominibus expressis, residentibus mensae cibaria ferre primo videbantur. Deinde, singulis diebus, singulorum genera animalium, mira jucunditate fereula ministrantium producta, convivantes lactificavere. Tandem turris de Gorkem adducta, cujus ex arce speculatores verba sub proposito pronuciavere, et ex fenestrelis silvestres caprae vel alia quaecvis animalia tubis clangentia vel fistulis se proposuere. Accesserunt et pisces diversarum specierum; sed et animalia majora, quemadmodum elephantes et dromedarii, deferentes eorum nobilium arma, qui cum Hercule et Jasone vellus

aureum quaesivere. Cetera vero gesta pro parte quidem opus existimavi recensere, tantumdem eorum nobilium nomina qui contra bastardum Anthonium de Burgundia, fratrem naturalem ducis Karoli, luserunt in hastis exprimendo, quorum principales sunt hii: videlicet dominus Adulphus de Ravesteyn, frater Johannis ducis de Clevis; dominus de Chasteauguion, filius principis Orengiae, dominus de Fiennes, filius Theobaldi episcopi Cenomanensis. Item dominus de Arguel, filius principis Orengiae, natus ex sorore Francisci dudum ducis Britanniae, quo tytulo praetendere haberet ad eundem ducatum tanquam heres proximior, si dux modernus, cum liberos nondum haberet, decederit e vita. Item dominus Johannes de Lucemborgh et Jacobus de Lucemborgh; item nepotes eorum de Lucemborgh; comites de Widville et de Schalles, Anglici, fratres ambo reginae Angliae; Philippus de Poytiers, filius domini d'Arsys, et frater ejus dominus de Dormans; domini Anthonius et Judocus de Lalayng; dominus Glaudo de Vauldre, comes de Salme, comes de Roussy, filius Ludovici comitis Sancti-Pauli. Item Karolus de Viseu; Johannes de Rochefort; Adrianus de Breedam habens in uxorem filiam naturalem Philippi ducis Brugis defuncti, qui morte praeventus subita, sub manibus obiit sui harbitonsoris, ejus relictam postea duxit dominus de Ravensteyn cum dispensatione. Item dominus Oliverus de la Marche; Philippus et frater ejus Anthonius de Cohem; Johannes de Chassa; dominus de Monnet; comes de Rentys; dominus Guillelmus de Stavele, vicecomes de Furnis; dominus de Hamers et plures milites doctissimi omnes et ex milihus electi, qui contra valentem illum dominum Anthonium, fratrem naturalem ducis, in hastis congressi sunt, donec e parco per laesuram quam acceperat, asportaretur. Tunc in propria dux Karolus parcum intravit cum quinquaginta duobus nobilioribus militibus, similibus armis indutis, et ordinatum est mirabile torneamentum de xxvi ab una parte contra xxvi ab alia parte, inter quos erat ipse dux Karolus; qui primo lanceis obtusis et hastis aequalibus luserunt, quibus depositis, tandiu gladiis acutis in invicem congressi sunt, donec ad sonitum buccinarum quibusdam exilire placuisset; neque enim omnes aequae salvi in propria se receperunt. — Breviter completis festis nuptiarum ad propria singuli remearunt, alter in Angliam, alter in Burgundiam, etc., nam et gaudiorum extremitates luctus occupavit. Obit Brugis dominus Jacobus, frater ducis Borboniae, nepos ducis Karoli; et episcopus Leodiensis, praefati

defuncti frater, insidias passus a suis Leodiensibus, subsidium imploravit a duce Burgundiae, in Hollandia justitias et judicia perpetrante, qui veniens apud Bruxellas in Brabantia, collegit exercitum, et armaturam validissimam collocavit contra Leodienses ad finitimas oras Brabantiae et Hannoniae. Hinc animadvertens edicto regis Franciae convenisse Francos in exercitum gravem, pergens contra eos non minori gravitate exercitus, castrametatus est juxta villam de Perona, ubi et campum servans, regis potentiam exspectavit; qui rex non longe cum suo se servabat exercitu in campis, non tam tutum autumans congregi quam pacem contrahere, eo quod frater suus, cum duce Britanniae, paratus fuit in caudam percutere. Rex igitur nutu proprio, secum assumptis paucis, praemisit nuncios ad ducem Burgundiae, qualiter depositurus arma veniebat ut pacem iniret et foedus perpetuo secum firmaret, super omnibus querelis cupiens duci satisfacere. Quod revera, mox divina opitulante gratia, peractum est. Rege igitur et duce Burgundiae villam de Perona pariter ingressis et ad horam trahentibus morulas, delata sunt illico nova super facto Leodiensium, qualiter videlicet Raso capitaneus, cum magno numero Leodiensium, villam Tongrensem in deditionem acceperat et episcopum Tricariensem, cum episcopo eorum ac quibusdam nobilibus, captivum abduxerat Leodium, ceteris interfectis. Quae res commotos reddidit regem et ceteros principes; unde dux Karolus qui dudum suspectum regem Franciae veluti fautorem exceperat, jam contra Leodienses invasorem secum accepit. Nam tota se duci regia optulit majestas in oppugnationem et eversionem praefatorum Leodiensium. Igitur prae stupore cunctos utriusque exercitus admiratos tuba proclamavit. Levatis igitur exercitibus, per Viromandiam et Hannoniam venit ante Leodium fere xxiii<sup>a</sup> die mensis octobris. Videntes autem Leodienses regalia signa eminere, fortissimumque ducis Karoli dispersum exercitum sub moenibus appropinquantem ad capiendam in manu forti civitatem, spe pacis aut concordiae, captivum emiserunt episcopum. Quo salvo proceditur bellicis machinis contra civitatem, et a tribus locis obsessa fortiter impugnatur. Defendentibus autem se Leodiensibus, fictum fore Francorum adesse regem existimantes inter oppugnantes, opprobria dedere. Quibus omnibus non obstantibus, non sine dampno Burgundorum qui acrius oppugnabant, vi civitas praefata capitur, spoliatur ac devastatur. Verum inter oppugnandorum obsidionem, miranda quorundam

Leodiensium audacia temptavit fere quingentorum virorum fortium, noctu irruentium, regis ac ducis ingredi tentoria, sed armorum vi cum dampno tamen repulsi sunt ac infra civitatem se dare coacti. Sequenti vero diluculo, dominico quidem die, factus est generalis assultus in quo pluribus prostratis, aptatis scalis et erectis, in manu forti, fugientibus pluribus tam per Mosam quam per portas patentes, civitas in deditionem miseranda strage reducta est. Rex igitur Francorum, chimiram sive signum sancti Andreae, quod erat ducis Burgundiae, suscipiens, cum suis omnibus ingressus, evaginato gladio, donec in medio fori venisset, clamavit in signum victoriae: *Vive Bourgogne! Ville gagnie!* Quae res inaudita creditur accidisse, et inter ejusmodi temporis miranda valde reputatur evenisse. Hinc Francis, illinc Burgundis, per totam civitatem dispersis, in caede vel flamma, necnon submersione crassantibus, vix sexui indulgetur in impetu. Tandem ne tractentur irreverenter matronae, sanctique viri cum virginibus, ex edicto tam regis Francorum quam ducis Burgundorum, prohibetur. Sed illo non obstante, caedibus et rapinis inhiantes nulli pepercere sexui, quin etiam sacras violarent domos, donec paene cuncta portabilia seu mobilia bona navibus ac curribus injecta abducerentur, et tunc pars maxima civitatis ejusdem igni conflagrata est. Sic recedens cum butino suo Francorum rex in Franciam perrexit; dux vero Burgundiae versus Ardennam, fugitivos et fortalitia patriae demoliturus. Compertum enim habebat plures Leodiensium aufugisse. Regressus autem per vastatam civitatem, jussit quod residuum erat, demptis ecclesiis, flamma consumi et solo adaequari. Rasis igitur portis et muris omnibus, relictisque stipendiariis cum capitaneo, movit exercitum a patria illa desolatissima, et per Brabantiam intravit Flandriam et in Gandavo se recepit, ubi ad eundem ducem plures e diversis mundi climatibus applicuerunt. Inde Brugis veniens, in signum victoriae *peronam*, alias a civitate Leodiensi delatam, supra bursam erigi fecit, cui versus hii legebantur inscripti :

Desine sublimes in auras tollere vultus;  
 Nosce meo casu, nec dare firma deos.  
 Nobilitatis ego Leodis venerabile signum,  
 Gentis et invictae gloria nuper eram.  
 Sum modo spectaculum ridentis turpe popelli  
 Et testor Karoli me cecidisse manu.

Fertur autem infaustissimo tempore malum hoc civitati Leodii evenisse cleri demeritis, qui proprium episcopum Ludovicum de Borbonia, nepotem Karoli ducis, pluries reppulerat, necnon vulgus contra ducem in pugnam excitarat, memor veteris querelae dudum ante annos quinquaginta et novem per Johannem ducem Burgundiae simili fere de causa illatae propter electum eorundem, Johannem de Bavaria. Nempe belli finis cum sit pax, quonam modo tractatum sit inter ducem Burgundiae et nepotem suum Leodiensem episcopum supra nominatum, quibus autem articulis patria illa post eversionem redacta sit in subjectionem, ad plenum enarrare longum et prolixum valde foret. Hoc tantum sufficit relictum scire dominium ejus in manibus ducis Karoli, qui usque hodie suos in eo collocavit justitianos. Fuit autem, hiis temporibus, magister quidam ex Hannonia, de Angia, qui super excidio Leodiensium in honorem ducis quaedam metricae composuit, inter quae haec descripta repperi :

Magnificus princeps, dudum qui fortius egit,  
 Indomitos Legios nunc legibus instruit apte,  
 Pontificique suo concordans ante rebelles.  
 Si tempestive correxissent male facta  
 Et bona justitia superasset tunc violentes,  
 Non pervenissent quo perveniunt miserandi :  
 Exemplar facti cunctis fere qui modo vivunt.  
 Heu! male consulti Legii, sed lege carentes,  
 Cur defamastis quem decet altus honor?  
 Nam leo rugitum dans, totum clima movebat,  
 Nee tulit impune praenocuisse suis.  
 Quis nisi mentis inops illi resistere vellet,  
 Quem regesque duces et metuunt et amant?  
 Nemo modernorum valuit superare potentem,  
 Nee debellavit fortior ullus adhuc.  
 Non sua possedit praestantior omnibus usque,  
 Dux leo quam Karolus, quo pie nunc regimur.

Haec de Leodiensibus dicta generaliter sufficiant.

Ad alia quae hoc anno contigerunt prosequenda, sciendum quod ante eversionem praefatae civitatis Leodii, stella quaedam caudata futuram in ea calamitatem visa fuit praenosticasse. Fuerunt ventositates validae circa idem tempus, et ictu fulminis, die Apparitionis Salvatoris nostri, turris percussa

est incendio de Hulst, ruentibus in laminas de campanili vasis omnibus et liquefactis. — Regnavit hoc anno quorundam execrabilis hominum secta cupientium veneno quos volebant aut exosos sibi noverant, inficere; ex quibus nonnulli, maleficii sui artem confessi, dixerunt pulveres se habere confectos ex carne et ossibus pestifero defunctorum morbo : a quo tamen originem haec secta duxerit, igne potius maluerunt cremari quam fateri; quod mirandum valde ducebant, quum non evenisse illud citra Gaii Caligulae flagitiosissimam legimus vitam, post cujus obitum ingens venenorum archa inventa est, quae, Claudio Caesare quarto successore suo jubente, in mare praecipitata est et immersa, non sine grandi piscium exitio, quos per proxima enecatol passim littora aestus eiecit.

Facti sunt apud Sanctum-Audomarum solempnes tractatus inter reges Francorum et Anglorum, atque dux Burgundiae visitatus est ibidem a pluribus nobilibus de Francia et Anglia, Britannia et ceteris, pro pace tractanda in universali; sed res nullum sortita est effectum. — Item hoc anno Mathias, filius Comitis Albi, super Hungariam regium optinens dyadema, quod sibi minus juste competebat, fortiter egit contra Turquos quorum feritatem, divina opitulante gratia, peramplius refrenasset, si non ab injusto Gencherico, rege Bohemorum, insidias passus fuisset.

xiii<sup>a</sup> octobris, anno M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> LXVIII<sup>o</sup>, pax (*de qua infra*) iterato fit inter regem Ludovicum et Karolum novum ducem Burgundiae, et sub jurejurando firmatur ad servandum sicut nuper apud Conflantium in conventionem principum; sed ultra id specialiter roboratur de non praestando homagio sive de parlamento regali placitando. Nam mox idem dux Karolus novum parlamentum ordinavit apud Machliniam. Rex igitur multa concessit, sed, prout prius, nihil observare voluit, dicens irrita quae vi vel extorsione dabantur. In tamen firmitatem observandae pacis, ipse rex in propria se dedit ad Leodium destruendum quod xxvi<sup>a</sup> octobris subversioni miserabili subiacebat. Priusquam vero talis desolatio fieret, apparuit signum in aere percutiens cum cauda super civitatem ad instar cometae, qui vel mortem vel mutationem grandem praenosticaverat; sed non erat qui cognosceret, et volunt flagella Dei notari a sanctis et bonis, prout in ea civitate fuisse viros aestimatur. Tot igitur ecclesiae, tot monasteria vel sacrae domus perierunt ut merito plagam Dei, cujus instrumento Deus permisit reos et criminales homines punire, putares.



Omnes tamen qui in destructionem civitatis aut patriae venerant, ante decennium paene perierunt. Nam et in primis conestabularius Franciae Parisius truncatus capite fuit, deinde dux Karolus in obsidione de Nansy succubuit, postea gubernator patriae Leodiensis, dominus de Humbereourt, una cum cancellario dieti ducis Karoli, Gandavi decollatus fuit. De ceteris autem, vel in miseria tenebantur, vel in captivitate servabantur, ut puta Anthonius de Burgundia, naturalis frater ducis Karoli, et Balduinus, bello Lotharingorum, cum multis aliis nobilibus, qui in expeditione Leodiensium affuerant. — Brugis etiam propter demerita decollatus fuit bastardus de Condeto, frater domini de Hamedes. — In fine mensis junii, Francorum rex armatam colligens, Compendium venit, deinde processit contra ducem Karolum, prout legenti patet. Dux vero conciliatos fecit sibi dominum de Chymay et dominum de Quievrain, filium comitis de Synay; deinde misit dux Karolus dominum Philippum de Crieveueur Ambianis, qui non bene receptus fuit. Quare querelam suam eives deferebant ad regem ex parte ducis Karoli, quaerentes per omnia esse sub rege; sed aliae villae, scilicet Monstreolum et Abbeville, intromiserunt dictum Philippum tanquam capitaneum, et Perona intromisit pro capitaneo suo ex parte ducis dominum Guillelmum Biche.

Postquam dux Burgundiae Karolus sponsalia sua Brugis tenuisset, audita invasione regis, exercitum collegit, contra eum pergens illico, et dum consedisset in campis, ad effusionem evitandam christiani sanguinis, dieta servata fuit inter regis et ejusdem ducis nuntios, primo apud villam de Han in Viromandia, die mercurii quae fuit *xxi<sup>a</sup>* septembris anni *M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXVIII<sup>o</sup>*; et super responsionibus et querelis factis, continuabatur dieta usque ad *xxix<sup>im</sup>* ejusdem mensis. A qua die retenta et relongata fuit dieta usque ad *x<sup>im</sup>* octobris ejusdem anni *M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXVIII<sup>o</sup>* apud Peronam, ubi praesente cardinali Franciae, quem rex postea captivum fecit Andegavis, ceterisque principibus sanguinis sui, rex juravit ad sanctam crucem et evangelia pacem servare cum duce Karolo suisque subditis, promittens observare non solum omnia quae superiori anno conclusa fuerunt in Conflantio juxta Parisius, sed etiam ea quae contenta sunt in pace et maximo illo tractatu de Attrebato, adhibitis omnibus ceremoniis et solemnitatibus ad hoc possibilibus et non obstante pace et reunione ista seu illis de Attrebato vel Conflantio: « Nos » inquit rex, « pro nobis et nostris successoribus, regibus Francorum, de certa scientia » nostra, cum dilecto nostro fratre et nepote duce Burgundiae convenimus et accordavimus ut cursus merchandisiae cum inimico nostro et adversario rege Edwardo » Angliae habeatur, quamdiu placuerit eidem, etc.; etiam liga pro securitate personae suae » et patriarum sibi subjectarum, absque eo quod ad dandum succursum ei contra nos » aut regnum nostrum non se disponat vel viam aperiat aut permittat invadendi nos » aut nostros subjectos. Item omnia quasi perpetrata per viam guerrae inter nos et dietum fratrem nostrum ducem abolita vel non facta pardonamus penitus, nec volumus » ut imputetur querela vel mandatum aliquid unquam inde sumatur. Item accordamus

» ut omnia loca vel bona intermedio tempore divisionis subtracta, quaecumque sint,  
 » restituantur; et super hiis litteras nostras dabimus sigillatas cunctis subditis ad re-  
 » questam ejusdem fratris et nepotis nostri ducis Burgundiae; et specialiter volumus  
 » quod Philippo de Saboudia resignentur ea quae gentes nostrae ceperunt in comitatu  
 » Baugiac et Bressac et ceteris terris aut dominiis ejusdem et erunt fratris sui ducis  
 » Saboudiae, pulchri fratris nostri, quam domum pro nobis colligatam tenemus, si  
 » tamen esse placuerit pro nobis aut pro duce Burgundiae, de qua re specificabunt  
 » infra annum, si comprehendi volunt. Et promittimus omnia quantum concernere  
 » possit honorem regium, sub juramento et obligatione omnium honorum nostrorum  
 » praesentium aut futurorum, hanc pacem observare, pro nobis et successoribus nostris,  
 » et adimplere singula secundum tenorem praesentium, sine praesudicio contrarium  
 » agendi vel permittendi fieri directe vel indirecte, futuris temporibus. Et casu quo  
 » per nos aut alium indirecte contra hanc pacem actum imposteris fuerit aut contra  
 » temptatum, sive contra tractatum factum in Attrebato et Conflantio, respectu dono-  
 » rum et transportationis factae, directe vel indirecte, aut quod reperiamur contempnere  
 » seu refutare provisiones factas per tractatus prius declaratos, nos per praesentes con-  
 » sentimus, accordamus et tractatum agimus cum nostro pulchro fratre et nepote duce  
 » Burgundiae, pro se ac suis successoribus heredibus, habentibus causam, quod subditi  
 » vasalli manebunt perpetuo absoluti et acquitati de servitio ac servitute fidei vel ho-  
 » magii, resortio et superioritate nobis debita, ratione ducatus et comitatum, patriarum,  
 » terrarum, dominiorum, quas tenet idem frater noster dux de nobis, aut postea tene-  
 » bit de nobis, occasione coronae et regni nostri, sub omnibus poenis et submissionibus  
 » in eisdem litteris originalibus contentis et declaratis. Hoc est sciendum quod prae-  
 » dictus frater noster et nepos, sui heredes ac successores et feudales subiecti quos habet  
 » vel habebit, in nostro regno erunt quiti et absoluti perpetuo de dictis feodalibus ser-  
 » vitiis, fide, homagio et juramento, obedientia, resortio et superioritate nobis debita.  
 » Promittimus et juramus quod verificari faciemus super hiis litteras nostras, tam de  
 » illis rebus quam de omnibus declaratis in responsionibus per nos et nostros ab ipsis  
 » de parte dicti fratris nostri productis et demonstratis, et de provisionibus illis quae  
 » prompte non possunt executioni dari nisi per deliberationem litterarum, promittimus  
 » quod a data hujus diei sub eisdem poenis observabimus et observari faciemus ac pro-  
 » curabimus ex parte nostra fore dandas, atque quantum nos concernere possit infra  
 » tres annos sequentes a data praesentium; quod providebimus concordanter de assensu  
 » prolongandi processum inter nos, de quibus mentio facta est in responsionibus, ut  
 » debite, sicut decet, per commissarios, arbitros aut superarbitros sit appunctuatum,  
 » judicatum atque determinatum; et post infra sex menses id dabitur executioni. Et si  
 » per nos aut nostros officarios, post diem pronuntiationis, aliquid disturbium impe-  
 » dimentumve factum fuerit, de omnibus conclusis ac judicatis sub eadem poena promit-

» timus et juramus quod infra annum postea, si requisiti fuerimus, reparari faciemus  
 » et in illo statu remittere juxta forum ac tenorem dictorum tractatum, donorum, trans-  
 » portationum atque provisionum in eisdem nostris litteris expressum ac declaratum.  
 » Et ultra promittimus hoc ipsum tenere facere principes de sanguine nostro quos  
 » nominare voluerit idem frater et noster nepos ut assistant ei servantque sibi in pro-  
 » pria persona contra nos, de consensu seituque nostro, casu quo pacem hanc infregeri-  
 » mus aut transgressi fuerimus. Et ideo nunc injungimus expresse cunctis suas sigillatas  
 » fratri nostro et nepoti duci Burgundiae absque mora dare litteras, qui exempti sunt  
 » eo facto et absoluti de cunctis servitiis nobis debitis, et ei tenore praesentium servant  
 » contra nos in dicto casu. De qua absolute et acquitatione adversum nos litteras  
 » nostras dare promittimus praefato nostro fratri duci pro singulis principibus ab eo  
 » nominandis et pro quibus habere voluerit, ad majorem assecurationem; et renun-  
 » tiamus omnibus privilegiis a nobis et regibus praedecessoribus nostris vel a regno  
 » nostro datis, quibus uti possemus ad non esse comprehensos sub censuris Ecclesiae,  
 » cunctisque dispensationibus quas obtinere possemus a sanctissimo Patre nostro, con-  
 » cilio, statutis, edictis regalibus aut aliis quibuscunque exemptionibus quae nos aut  
 » successores nostri possent allegare de jure, fraude mali ingenii omnimode seclusa et  
 » remota; quibus omnibus submittimus nos ac heredes successores nostros, bona nostra  
 » et eorum, sub omni coheritione ecclesiastica. Pro qua re sanctissimum Patrem nostrum  
 » judicem acceptamus ad cognoscendum et decidendum omnes differentias quas tenore  
 » praesentis tractatus habere possumus adversus saepedictum fratrem nostrum et nepo-  
 » tem pulchrum ducem Burgundiae. Sic datum xiiii<sup>o</sup> octobris, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXVIII<sup>o</sup>,  
 » apud Peronam, anno regni nostri viii<sup>o</sup>. »

In assecurationem pacis conclusae inter regem et Karolum ducem Burgundiae fuerunt apud Peronam ostensae xiiii patentes litterae concernentes unumquemque de colligatis principibus, scriptae singulis per regem ad ipsos sub sigillo regali, quibus mandat quod, si pax haec jurata per regem infringatur de seitu suo sive consensu, servire debent praefati principes duci Burgundiae in contrarium regis, eo quod in hoc casu rex eos absolvit de servitio et obedientia quibus adversum eum prius obligabantur. Insuper xxxvi litterae demonstratae in hac expeditione per regem gratanter acceptae sunt et sigillatae, prout tenore articulorum exhibetur et demonstratur, nominatis principibus obligatis, scilicet Karolo de Francia, fratre regis, Karolo Andegavensi, rege Ceciliae, duce Aurelianensi, duce Britanniae, duce Calabriae et Barensi et filio suo marchiso du Pons, Johanne duce Alenconiae, Jacobo duce Nemourensensi et comite Marchiae, domino de Gaesbeka, Ludovico comite Sancti-Pauli, Johanne comite Armigniaci et ultimo comite de Fois et d'Alebrét. Nee tamen observavit rex verba sua, sed, treugis stantibus ac durantibus, in Lotharingia dux Karolus occisus est. Cui successit Maria, filia unica, super omnibus dominiis paterni juris, quae circiter xi<sup>mo</sup> februarii, Gandavi convocatis omnibus majore-

ribus et primatibus patriarum suarum, constitutiones quasdam observare juravit et observandas promulgavit pro suis successoribus imperpetuum, anno M° CCCC° LXXVI°.

« Primo quod consilium generale pro omnibus patriis, cujus caput cancellarius ducissae » statuetur, residebit ubi ipsa fuerit, atque de singulis patriis duo vel unus assumentur » partim de nobilioribus et partim de clericis. Secundo, quod tot secretarii, sicut ratio- » nabile sit, constituentur, gallicum et latinum scientes. Tertio, quod juramento cons- » tringentur illi de magno consilio tam nova quam vetera privilegia observare, etc. » Quarto, quod ad modum patriae judicia deducantur in ea lingua qua rei se possunt » contra actores defendere. Quinto, quod omnia infra privilegiorum praeter usagia » infracta nullius erunt efficaciae. Sexto, quod omnes litterae fiant et in ea lingua » dirigantur ex concilio vel camera, sicut loquuntur hii quibus dantur; aliter non erit » obediendum. Septimo, quod consistoria parlamenti apud Mechliniam cessare debent, » ac deposita perpetuo remanebunt et non reponentur. viii°, quod omnes causae par- » lamenti dicti ad suas sedes ubi judicabuntur, transferantur. ix°, quod omnes causae, » pertinentes ad resortia propria, similiter cum suis scriptis et actis ad illam curiam » deducantur ubi de jure tenebuntur fieri. x°, quod absque consensu saltem aut notitia » nos aut nostri successores de cetero non acceptabimus guerras aut cum defensoribus » adhaerebimus; et si contingat fieri, non obedire tenebuntur vasalli, nec ad hoc suos » compellere sed secure negotia exercere. xi°, si contingat ex consensu guerras accep- » tare, tunc omnibus in locis publicabuntur, quatenus infra xl. dies partem contrariam » tenentes indempnes cum suis bonis recedant. xii°, quod ordinationes dudum factae » super feodalibus cessabunt et adnichilabuntur. xiii°, quod absque indignatione status » patriarum convenire poterunt pro bono communi aut profectu singularum patriarum. » xiv°, quod per nos aut nostros successores, per consilium nostrum tam generale » quam particulare, nulla mandamenta emitti debent immediate vel alias, contrariantia » privilegiis singularum patriarum aut civitatum, etc. xv°, quod subditi stabunt ordina- » riis suis iudiciis. xvi°, quod officia iustitiae non dabuntur ad censam. xvii°, quod » nullae mercantiae pro cursu suo restringantur. xviii°, quod non permittantur aliquae » abbatiae seu dignitates ecclesiasticae qualitercumque dari ad commendas. xix°, quod » nova telonea aut alias non instituantur. » — Haec et alia Maria ducissa et Flandriae » comitissa pro se ac suis jurare debuit in assumptione sua.

Leprosorum combustio causa maleficiorum fuit. Nam quasdam herbas sanguine eujusdam animalis venefici una cum admixtione sacrae Eucharistiae confecerunt in saeculis et immiserunt puteis, stagnis et aquis diversis, sic quod omnes utentes hiis aquis inde moriebantur; et hoc idem accidit, diebus meis, diversis in locis Flandriae, signanter apud Furnis, anno Domini M° CCCC° LXVIII°.

1469.

Anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXIX<sup>o</sup>, Francorum rex conestabularium suum Ludovicum, comitem Sancti-Pauli, misit ad curiam ducis Burgundiae in Sancto-Audomaro; sed quo modo praefatus comes accesserit, exitus rei patefecit; et hoc eodem tempore, Riquardus dux de Warvyc, comes de Salesbery ac dominus de Noville, transfretatus ex Anglia cum pulchra comitiva, venit ad ducem Burgundiae, qui volens cum suis armigeris intrare, prohibitus est, et a latere gladius, quo accinctus erat, sibi abstractus est. Quod autem tractavit cum duce, nondum pervenit ad lucem, sed conestabularius Franciae, quamdiu praefatus ille dux de Warvyc residebat in curia, non voluit accedere ad ducem Burgundiae, eo quod inimicitiae graves pullulaverant inter eos, quia dux Warveei fecerat occidi dominum de Riviers, militem probissimum, cum filio suo, comite de Widville, cujus mater erat soror conestabularii Franciae, vocavitque illum praedonem maris et rediit in Francia conestabularius; ubi cum venisset, tale consilium habuit cum rege ut in gratiam idem rex accepit fratrem suum Karolum ducem alias creatum Normanniae, quem tunc creavit et fecit ducem Aquitaniae, qui Karolus, relicto duce Britanniae, venit ad regem fratrem suum et ei fecit homagium. Qua confoederatione facta est laetitia magna supra Francos, et ex tunc rex et conestabularius ejus machinati sunt contra regem Angliae ducesque Burgundiae et Britanniae, qui remanserunt in liga pristina; convocatoque concilio nobilium Franciae, rex cum capitaneis suis, contra determinationem nobilium, arma sumenda contra ducem Burgundiae decrevit; et sic infecta est pax conclusa superiore anno, cum juxta Peronam supra Sommam tam rex quam dux Burgundiae gravissimo starent exercitu. — Paulo post Riquardus dux de Warvyc contra regem ac dominum suum Edwardum multa molitur mala, sub praetextu quod praefatus rex Edwardus populum suum nimis vexabat, eique de moneta subtraxisset, quodque regis Henrici detenti minus juste moneta praevaluisset. Multis quoque titulis non honestis etiam coepit ille Riquardus regem Edwardum culpae, quae necdum communem statum concernere videbantur, sed regiam majestatem ignominiose temptavit redarguere: per quem modum vulgi favorem non parum attraxit, sed et in arma contraxit tandem nobiles contra regem

Edwardum, satisque fecisset ut, eo repulso, rex Henricus liberatus e contrario regnasset. Fit proinde publicata conjuratio quam idem dux Riquardus cum suis inierat contra Edwardum regem; et ducem Clarentiae, fratrem Edwardi regis ad ligam suam convertit, cui secreto matrimonio filiarum suarum unam in Calesio junxit, sicque ad regnum aspirare eundem voluit. Quibus peractis, turbatum est regnum Angliae, nitentibus illis de Kent pro deliberatione regis Henrici, e contra laborantibus partibus aliis. Unde rex Edwardus, convocato statu regni, mandavit Riquardum ducem ac ducem Clarentiae venire ad parlamentum, qui renuentes, aiebant accedere non prius eos debere, quam frater reginae, scilicet comes de Schalles, cum ceteris a curia foret expulsus. Audiens hoc frater reginae, comes de Schalles, mari se dedit, et tunc Riquardus dux Warweei sub sigillo regio venit ad regem, coram quo multa proposuit ac de parentela reginae multos accusavit, acclamantibus aliis ducem illum causam tractare regno proficuum et utilem. Commotus rex illum bannivit a regno cum adhaerentibus sibi. Quo mox factum est ut contra se vulgi furorem seditiosum illico excitaret. Riquardus igitur dux Warweei, navigio petito, comitem de Schalles in quodam portu obsidens et congressus, navali praelio vix captus est, sed evasit tandem cum ratibus paucis, Normanicis applicans oris. Ubi cum audisset ducem Burgundiae navigia sua misisse contra eum, continuas praedas agentem, sentiens se tandem non posse praevalere, subductis navibus apud Harfluer, iter ad regem Franciae Turonis maturavit, et coram rege deponens querelam, ut non dicam potius traditionem, sic animavit eundem ut juramento firmaret rex bellum contra ducem Burgundiae infallibiliter resumpturum, tum quia favebat Edwardo comiti Marchiae, qui se dicebat regem Angliae, tum quia Normanis intulisset motionem, ex quo debellare conatus est ducem Riquardum apud Harfluer. Quid plura? Finaliter conclusum est atque foedus percussum inter regem Angliae Henricum captivum et filium ejus Edwardum, necnon inter regem Franciae, et Parisius atque in toto regno suo fecit rex Francorum hanc confoederationem publicari. Promisit eo tunc Riquardus dux praefatus procurationem liberationis Henrici regis et filii sui introductionem, qui cum matre debebat apud avunculum suum Karolum comitem Andegaviae; et ita turbavit Riquardus de Warwyc calliditate sua regnum Angliae ut jam villa Calisiae, quae sibi denegaverat ingressum paulo ante, nunc cum pluribus aliis locis cismarinis eidem fir-

miter adhaerere cupiens, signum ejus quod in baculo peregrinantium figurabatur, publice deferret. Videns autem Edwardus rex, vulgi motionem et murmur, quantum potuit, declinavit, significans socero suo duci Burgundiae quodeunque perceperat de conatu traditionis ducis de Warwyc, mittens heraldum suum cum secretis oraculis; qui veniens apud Gandavum ubi dux Burgundiae residebat, declaravit sibi totam traditionis materiam. Post hoc obtulit duci Burgundiae signum fraternitatis praetiosissimum, exorans ipsius assistentiam contra hos adversarios praefatos, quod fideliter exequendum illi per praefatum promisit heraldum. Audito vero per Franciam ducem Burgundiae fore confederatum regi Edwardo, rex Francorum omnimode statuit invadere patriam ejusdem ducis, et quia noverat comitem Armigniaci fore colligatum duci Burgundiae, primo misit exercitum super eundem, et fugit a facie regii exercitus, capta patria sua. Deinde contra Burgundiam praesidia collocavit; similiter et contra Britones. Postea conestabularium suum ad oras Picardiae et Viromandiae collocavit. — Fit igitur maxima belli praeparatio pro sequenti anno. Nichilominus navigia ducis Burgundiae semper mare observabant, ne praefato duci de Warwyc via pateret in Angliam transfretandi.

---

Anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXIX<sup>o</sup>, Francorum rex capi fecit cardinalem suum Andegavensem Bahue, qui fuit episcopus Verdunensis, et Parisius sententiam suam in parlamento locavit, licet summus pontifex impertinens id fore significaret. Deinde familiares quosdam favorabiles Burgundis, ut dicebat, eiecit a facie sua, et exaltavit homines viles, sicut quemdam barbitonsorem suum, de Tielt ex Flandria natum, militem creans, fecit eum prae ceteris eredia reputare, et hic tandem, arte qua valuit, Tornacum convertit ad partem regis, de quo multa mala acciderunt. Item dejecto fratre suo uterino, exaltavit dominum de Sancto-Petro aut Sempiere, quamvis aliqui dicerent eundem dominum fuisse filium Karoli VII<sup>m</sup> Francorum regis; et breviter rex in traditoribus aut flagitiosis plus delectabatur quam in honestis. Karolus de Francia, dux Aequitaniae, reconciliatus regi fratri suo, fecit homagium ad cautelam ut contra principes alios procederet, quos conjurasse dicebat in eum; et invaso comite Armigniaci, cogitavit ducem Burgundiae similiter impetere bello post expeditionem aliorum principum. Quod perspexit de longe dux Borbonii; ideo contraxit pacem cum rege, dimissis aliis. Misit ergo conestabu-

larium suum, scilicet comitem Sancti-Pauli, ad curiam ducis Karoli; qui dux jam in Angliam direxerat dominum de Crequi pro convocacione quae apud Sanctum-Audomaram servari debuerat, et illico dux de Warvich transfretavit ut interesset curiae, ejus adventum, dum conestabularius Franciae agnovisset, retraxit se de curia. Quapropter ipse dux Burgundiae commotus in duces de Warvich, satis opprobriose alloquebatur eundem, volens innuere quod propter ejus adventum concordia regum simul et ducis Burgundiae fuerat impedita. Nam conestabularius Franciae statim seiscitavit ab illis de Sancto-Quintino et Ambianis an se reddere vellent, et mox domino Philippo de Cordes, ballivo eorum fugato, reddiderunt se regi; similiter illi de Veromandia, postea Roya, deinde Mondidier, etc. Expresse igitur de liga ducis Burgundiae recesserunt conestabularius Franciae, comes Dampmartin, etc.; et soluta conventionem a Sancto-Audomaro, cum indignatione magna recessit dux de Warvich, colligens exercitum contra regem Edwardum in campo, ubi, partibus congressis, victoria sibi cessit, captusque fuit rex Londoniae, sed dux Karolus misit ad villicum civitatis, et absolutus mox fuit rex, bannito duce de Warvich, qui priusquam intrare poterat ipsum mare, per comitem de Schalles, fratrem reginae, paene fuisset destitutus, sed evasit ipse. Mox comes de Willeby, captus bello cum quibusdam aliis adhaerentibus Warvich, decapitatus fuit. — Dux Burgundiae supra mare direxit xxx naves cum capitaneis diversis ad impediendum duces de Warvich ne peteret Franciam; sed tarde venerunt. Jam enim erat idem dux apud regem Franciae receptus; ex ejus mandato Parisius et ubique rex publicavit ligam cum dicto duce de Warvich, cui gentem et pecunias dedit ad transfretandum et ad deponendum regem Edwardum. Quod idem dux fecit, et e converso regnare fecit Henricum regem. Transfretavit autem per mediam classem ducis Burgundiae; sed fertur dominum de Vere transitum sibi praestitisse, ejus filius, comes de Bouchain, valde patri propter hoc indignabatur. Adunato igitur exercitu, dux de Warvich fugavit regem Edwardum, qui per mare venit Hagis in Hollandiam et deinde ad socerum suum Karolum duces Burgundiae. — Mater Ludovici, comitis Sancti-Pauli, Theobaldi, Cenomaniae episcopi, et Jacobi, comitis de Lyngny, fratrum, obiit, et in monasterio Caricampi juxta virum suum, Petrum comitem Sancti-Pauli, honorifice traditur sepulturae.

1470.

Anno M<sup>o</sup>CCCC<sup>o</sup>LXX<sup>o</sup>, statu regnorum turbato, nascitur Ludovico Francorum regi filius et in baptismo Karolus est vocatus. Post hoc, viribus resumptis, dux Warveci, non obstante navigio ducis Burgundiae, transfretavit in Angliam. Cujus adventu cognito, mox ad eum copiosus vulgarium accessit exercitus; itaque statuto die conflictus, ordinaverat congruere bello



cum rege Edwardo, qui cum numerosa nobilium multitudine convenit in campo, rite cunctis capitaneis ordinatis, existimans ferro temptare quod ausu temerario praesumebat ille dux perjurus et longe debilior armis ipso rege. Sed cum rex Edwardus fidem suis inesse putaret, ecce subito deceptus, frustratus et destitutus, capitaneos suos majores accepit ad partem traditionis declinasse. Sine verberibus igitur, sine vulnere mox fuga lapsus, acie relicta, cum paucis mare petiit; flanteque vento ductus, applicuit in Hollandiam, ubi cum plurima magnificentia receptus est a regente, domino scilicet de Gruuthuize; moramque traxit aliquandiu praefatus rex apud Hagis in curia ducis ibidem, donec iter faceret ad socerum suum ducem Burgundiae, qui se tunc receperat in villa de Aria; ubi cum pervenisset rex, mature conclusum est atque de modo procedendi tractatum. Interea dux Warweci pro libito cuncta disponere molitur in Anglia, regem Henricum a captivitate deliberans, qui licet ad regendum minus habilis, coronam tamen regni resumpsit. Junior vero frater regis Edwardi jam profugi, Georgius dux Clocestriae, quantum valuit, resistebat. Mutatus est igitur regni status, de quo Francorum rex gavisus fecit edicto suo contra ducem Burgundiae publicas guerras moveri. Vocavit autem Henricus rex Angliae suos nepotes in regnum: Edmundum, ducem de Sombreset, et Johannem, fratrem ejus, comitem Dorzet, qui a duce Burgundiae penes quem diu latitaverant, recesserunt, et contra juramentum, mox cum in Angliam venissent, partibus Henrici adhaeserunt. Verum Riquardus, dux de Warwyc, veluti promiserat regi Francorum, ad votum cuncta deducere nequiens, Flandriam armis non petiit, quamquam Calisiensis villa tam per terram quam per mare plurimum infesta fuit. Quibusdam intermediantibus, detecta traditione quae duci Burgundiae parata fuerat per naturalem fratrem suum Balduinum de Insulis, agentibus in hac re Johanne d'Arson, necnon Johanne de Chassa, militibus ex Burgundia, miro modo dux salvatus est per fidelem suum antiquiorem fratrem naturalem, dominum scilicet Antonium. Praefati vero, tanquam rei sive conscii maleficii, priusquam accusati essent, cursu celeri versus regem Francorum iter acceperunt, a quo veluti fideles recepti sunt, ac sub conestabulario regni locati ad invadendum secum patriam ejusdem ducis Burgundiae: quod illico declaravit deditio villae Sancti-Quintini, quam idem conestabularius Franciae suscepit, ejectis hominibus ducis Burgundiae. Nec multo post idem conestabularius cum

comite Dampmartin, immemor praestiti juramenti quod contra ducem Burgundiae nunquam arma levaret, civitatem Ambianensem pro rege similiter occupavit, ejectis hominibus ducis. Quo facto, plures de curia ducis Burgundiae declinaverunt ad partem regis Franciae, in cujus victoria sperabant. Qui rex bannivit omnes Flamingos de corona, concessio termino recedendi. Similiter ne mercantiae vinorum aut rerum omnium cursitarent, interdixit, clausaque sunt passagia euneta, et continuo cursus fit per Francos super Burgundos; et e contrario dux Burgundiae, versus civitatem Ambianis tendens, vi armorum cepit villam et castrum de Picquengy. Postea ponens obsidionem citra Sommam, jacuit ante civitatem Ambianensem. Francis ingressum et egressum observantibus ad praefatam civitatem ultra Sommam, pluribusque escharmütis et reysis perpetratis, plures ab utraque parte prostrati sunt et interfecti. Crebris etiam ictibus colubinarum et aliorum instrumentorum a civitate vexatus fuit exercitus ducis. Tandem datis treugis, coepit in Burgundia princeps Oregiae cum filio suo domino de Arguel, quem dux, anno praecedente, bannierat, necnon novus dominus de Calabria, marchio de Pons, filius Johannis ducis nuperrime defuncti, in via qua veniebatur in subsidio Burgundorum, multa mala moliri, captis locis quampluribus signanter in dyocesibus Masticoniae et Eduensi. Quibus perpetratis, venit ad regem praefatus marchio quem praefecit rex capitaneum villae Parisiensi. — Hiis temporibus, civitas Tornacensis suspecta duci Burgundiae, plurimum coartata contra quorundam nisus, neutralis aliquo tempore manens, tandem se convertit ad partem ducis. Item Adolphus vel Arnoldus, juvenis dux Ghelriae, captus est, et pater ejus Arnoldus, dux senior, liberatus venit ad nepotem suum, ducem Burgundiae, cum quo permansit in tribulatione, filium suum rebellem merito, qui patrem diu teneri fecerat in vinculis, castigando. Hic etiam juvenis dux accusatus fuit super proditione qua regi Francorum excogitaverat adhaerere. Unde, nisi convenienti tempore remedium fuisset appositum, jam in conspiratione contra ducem Burgundiae pejora mox evenissent, a quibus divina protectus gratia stetit illaesus idem dux, vir zelans aequitatem et justitiam semper. Videns autem frater regis Franciae Karolus, noviter effectus dux Aquitaniae, regem Franciae velle ducem Burgundiae penitus annihilare, recessit e converso ab eo, statimque treugis concessis recessit exercitus regis a campo similiter, et exercitus ducis Burgundiae retraxit

se. Henricus rex Angliae consimiliter treugas concessit duci Burgundiae. Nichillominus dux Warweei fortiter impugnabat partem Edwardi; unde convocato parlamento, propter ambassiatores regis Franciae qui aderant petentes observari foedus percussum inter duos reges tytulumque deleri quod rex Angliae scripserat in monetis suis, per omnia repulsam passus est praefatus dux de Warwyc super hiis quae proposuerat, et vacui reversi sunt ambassiatores regis Franciae. Coactus igitur rex, cum se vidisset illum, treugas ad annum ipsi duci Burgundiae designavit. — Decima mensis martii anno quo supra, Edwardus una cum fratre suo juniore duce Glocestre, qui cum pluribus pro eo venerat ex Anglia, per ducem Burgundiae socerum suum navibus, armis, stipendiariis ac pecunia provisus, transfretat de Zelandia, borealem petens partem Angliae, ubi cum applicuisset, accrescentibus sibi paucis, versus suam villam Eboracum iter maturavit. Sed comes d'Oxenfort in passando rivum de Trent, illum primo impedire frustra conatus est. Pergens igitur Edwardus per medium regni, subtiliter aperturam ubique optinuit, et adventantem hostem suum capitalem, ducem Riquardum de Warwyc, obsedit cum suo exercitu, qui grandis erat, in villa de Conventrey. A qua, cum dux praefatus se movere nollet, timens ducem Clarentiae quem sciebat tenere campos cum gravissimo exercitu, ne declinaret ab eo, cum frater ejus Edwardus jam praemisisset ad attrahendum eum ad partem suam, qui mox, fraterno motus amore, reconciliatus eidem regi Edwardo, recessit a duce de Warwyc, rex ab obsidione se divertens ad alliciendum eum, iter assumpsit ad obsidendam villam suam de Warwyc. Quo non comparente, rex cum ambobus fratribus suis in exercitu forti Londoniam petiit, et in die coenae Domini ante Pascha, capta turri in qua tutam se servaverat regina ipsius Edwardi, cum infantulo suo vix trium mensium cursiculo in eadem nato, cum paucis tamen intromissus est, et auctoritate regia cepit Henricum e converso regnare non intendentem, quamquam Riquardus dux Warweei cum suis conspiratoribus ad hoc eundem Henricum instigaverat. Postquam vero dux Riquardus audivit Edwardum Londoniae receptum, putavit cum omni potentia sua illum in ea obsidere, movitque exercitum de Conventrey cum xxx<sup>m</sup> pugnatorum; et in vigilia Paschae, rex Edwardus exiens Londoniam cum paucis perrexit obviam sibi et sacra nocte Paschalis diei praevenit eundem.

In Ruremunda obiit magister Dyonisius Ribiel, Cartusiensis de Lewys, uberrimus nostri temporis scriptor, qui tantus effloruit quantus aetatis hujus aetas patitur, in omni genere laudis : Post *Bibliae summarium* magistri Petri Lombardi, magni Dionysii librorum commentationes et aliorum operum explicationes edidit. — Obiit Andegavis magister Jobannes Sorethanus episcopus. Gandavi similiter obiit anno M° CCCC° LXXII°, magister Jaquery. — Hii omnes fructum in ecclesia Dei dedere perutilem.

In comitatu de Eugio successit Karolus dictus de Arthesia, filius Johannis hujus comitis decapitati; obiit ipse Karolus, anno Domini M° CCCC° LXX°, cepitque rex Francorum hoc dominium, et sic nomen Arthesiensium in illo permansit. Karolus tamen dux Burgundiae cum exercitu tunc invasit et totam patriam de Eugio in Normania vastavit (prout in sequentibus patere poterit, circa annos Domini M<sup>um</sup> CCCC<sup>um</sup> LXXII<sup>um</sup> et LXXIV<sup>um</sup> ).

In Anglia Riquardus de Novavilla, dux de Warvich et comes de Salebry conatur transferre regnum de manu regis Edwardi quondam per ipsum intrusi et dare illud fratri suo duci Clarentiae, qui duxerat secreto apud Calisiam unam de filiabus ejusdem ducis uxorem, et affirmare non formidabat illegitimum esse natum ipsum regem Edwardum, quod et frater regis ausus fuit affirmare quatenus ad coronam perveniret. Qui quidem frater regis tandem post conquestum regni de manu regis Henrici per regem Edwardum judicatus et addictus fuit morti. — Hoc anno descendit legatus dominus Lucas ex parte summi pontificis et indulgentias a poena et a culpa largitus est pro taxa praefixa denariorum, in pluribus villis Flandriae colligendo summas magnas quas, uti dixit, Romam direxit ad summum pontificem, et fere decennio fuit in colligendis occupatus; comperitque potuit esse ipsum plus gravasse populum quam principem patriae, qui tamen maxime super praedecessores suos, visus est suum aggravasse populum in utroque statu, tallis et exactionibus quadrigaliumque vectigalibus pro bellicis instrumentis, nunc ad patriam Leodiensem, nunc ad Ghelrensem aut alias subjugandas regiones. Erat enim multum avidus et ipse dux Karolus ut reduceret in ditionem suam diversas gentes, volens fortasse famam more Karoli Magni conquestibus ampliare, qui bene Parvus quoad comparationem meruit appellari. Dux Karolus mandavit ut ad eum descenderet dux Austriae, a quo comparaverat terram de Foretta, in qua misit capitaneum suum vulgari nomine Haquebach. Repperit autem dux Austriae ducem Burgundiae apud Hesdinium, cum quo parlamentum factum super comitatu Forettae quem sibi cum pertinentiis resignaverat pro mutuo l<sup>m</sup> florenorum ac solutione restarum quas idem Fredericus dux Austriae suis hominibus debebat. Quem, dum acceperat iter suum versus Burgundiam per Franciam, rex Francorum capi jussit. Verum propter ligam Frederici fratris sui imperatoris, de cujus liga rex se asserebat esse, dimisit eum.

Paulus papa conversus ad pacem cum Ytalis habendam, suos legatos misit. Nam cum Florentini quidam factionis Petri Medices, civili discordia exules, Bartholomaeum

Bargomatem concitassent, qui magnam vim habuit in Etruria, Venetis adjuvantibus, hic visus est totam subvertere posse Ytaliam; sed eum in Flaminia duccem Mediolanensem haberet obvium, habenas inhibuit et cunctando potius quam bellando annixus est vincere se debere : pugnatum est tamen in agro Bononiensi acriter. — Dum autem haec pugna fieret apud Ricardinam, si Galeatius affluisset, actum de Bargomate fuisset; erat enim tunc, componendae pacis causa, profectus Florentiam. Ferunt quoque qui eo bello interfuere, nusquam aetate nostra maiore contentione certatum, nec praelium ante fuisse plus desideratum quam tunc. Unde mox Veneti sibi caventes cohortes in auxilium miserunt, arbitrium suum deferentes in pontifice. Sed nichilominus Bartholomaeus, mutato Florentinorum statu, bellum inferre statuit Ferdinando, cui valde infensus erat, ut novos acciret milites.

Anno M° CCCC° LXX°, quarta aprilis, obiit dominus de Gouys, cancellarius dudum ducis Burgundiae boni Philippi; et ballivus de Charolois, magister Guillelmus Hugonet, fit cancellarius, qui una cum domino de Humberecourt culpabilis repertus est et reus mortis. — xx° novembris, Balduinus de Burgundia, frater naturalis Karoli ducis, una cum domino Johanne de Chassa et Johanne d'Arson, a curia fratris recedens, se regi optulit ut traditor. — vi° januarii, Johannes dux Calabriae et Barenensis ac Lotharingiae, propter ligam ducis Burgundiae intoxicatus obiit, cui successit filius ejus, scilicet marchio du Pons Nicholatus, qui similiter intoxicatus obiit. — Karolus dux Burgundiae terras comitis Sancti-Pauli sub homagio suo confiscavit, et rex e contrario terras comitis de Marle, filii primogeniti dicti comitis. Sic guerra exorta est. Deinde rex per comitem Dampmartin sommavit loca duci Burgundiae haecenus subjecta, quae se reddiderunt. Post hoc Ambianis et tota castellania se reddidit; sed cum m° Philippus de Criefueur intravit Abbatisvillam et contra regem servavit Monstreolum et Croytois, sed post occasum ducis Karoli resignavit omnia loca regi. Ambianenses ceperunt castrum de Boves, occisis hominibus ducis Burgundiae, deinde castrum de Caule in Santerre, ignem mittentes in pluribus locis. Propterea dux Karolus parato exercitu venit ante Ambianis et vi armorum cepit Pickengy; sed xxiii° julii treugae proclamatae sunt, quae parum duraverunt.

xxiiii° martii, anno M° CCCC° LXX°, rex Angliae Edwardus, cum fratre suo duce Cloecstriae, de Vere ac de Middelboreh in Zelandia versus Angliam conquestandam transfretavit. Ubi dum applicuisset, ad eum plures Theuthonici confluebant de Londoniis, etc.; et invitatus tandem frater ejus dux Clarentiae, eum perpulehra comitiva, in succursum accessit cum exercitu suo, relicto duce de Warvich cum gravissimo exercitu in comparatione regis ad x miliaria de Londoniis, et aproximavit exercitus regis, sacratissimo die Resurrectionis, ubi congressu facto, cecidit in bello dux de Warvich et frater ejus marchio de Montagu, cum multis aliis, etc. Comes d'Oxenfort, domini et barones Robertus Fordelle, Riquardus Donchel, Guillelmus Treul, Thomas Stanfordt,

comes de Welloc, dominus de Cardele, Alleclays, comes de Lincop; item archiepiscopus Eboraci, episcopus Exceestriae, episcopus Lincol et Sancti Dyonisii, magister ordinis militum, etc.; captis aliis multis. Perpetrato bello hoc, corpora ducis de Warvich et fratris sui marchionis de Montagu Londoniam sunt delata cum aliis in spectaculum. Rex vero Edwardus intrans etiam Londoniam, denuo detrudi fecit Henricum regem in captivitate ubi misere vitam finivit, et illico rex ejus filium Edwardum, principem Gualliae, bello captum occidit, matremque ejus reginam Margaretam cum aliis captivavit, occisis duce Edmundo de Zombrezet et fratre suo comite d'Orzet, comite Cestre, comite Devencher, Edmundo de Hauxdam, Johanne Vitrenor, Guillelmo Roos, Johanne Luts, Guillelmo Vaux, Guillelmo Feldine, Roberto Whienghe, Nicholao Hervy et multis aliis baronibus captis, de quibus alibi fit memoria. Hoc bellum fuit xii<sup>m</sup> in corona conquestanda, quod Edwardus perpetravit in quo sanguinem Lancastorum exstirpavit ut pacifice regnaret.

Eodem hoc anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXX<sup>o</sup>, Euboyae prima Turchorum fuit irruptio. De invasione insulae Euboyae, dictae Nigripontis, per irruptionem Turchorum, est sciendum quod patriarcha Constantinopolitanus vocatus Bessario, diebus istis fugiens a Graecia, venit Romam, ubi remansit usque ad tempora summi pontificis Pauli II, qui Pio successit: ejus tempore Rodericus Sanctii episcopus Palentinus ad eundem Bessarionem patriarcham et cardinalem Zabinum, de destructione subjectae sibi provinciae consolatorie scripsit, ex cujus epistola praescens hoc ego frater Adrianus extraxi breve compendium. Expeteret autem dicendi ordo totam explanare epistolam, si nobilissimae insulae quam Euboyam aliqui, alii Euripum et nunc vocant alii Nigripontum, calamitosam cladem referre gestarem; sed mihi pro situatione patriae potius perditio cordi fuit obstanda. Nam eam orbis plagam sitam refert episcopus Sanctii, insulam quae miro modo est accommodissima ad trajiciendas in Aziam et Europam ingentes copias (praefatam insulam reconquesti sunt Hungari, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXVIII<sup>o</sup>), ad tuendam vel expugnandam omnem Graeciam et Turquiam ceterasque archipelagi insulas, ymmo ad Ytaliam ipsam obpugnandam et infestandam. « Tanta igitur ac talis insula est, ut omni » seculo nominatissima vicinis suis non parum terrori sit, circumfusa mari Aegeo quod » Archipelagum quidam vocant. In ea enim, sicut Strabo dicit, quamplures florere » civitates quarum praecipua et metropolis Calehis erat, quam hiis infaustis ac infelicibus diebus perfidus fidei adversarius expugnavit, imperator scilicet Turchorum. » Cujus a fronte alia, versus Hellespontum, civitas est Horrei nomine vocitata. Rursus » haec insula versus continentem Beotiam respicit et Trachiam, inter quas rapidus interfluit fretus qui disterminat eandem insulam, a quo fretu multa Euripum eam appellarunt. Ille enim fretus, uti Plinius ait, septies per diem et noctem fluctus reciprocatur. Sed Livius non nisi ventorum vi contendit eum reciprocare. Item haec insula ab oriente » Ychareum habet mare, Asiae oppositum, ab occidente Mirthoum Atticae, a septen-

» trione Aegeum, a meridie Creticum mare et Caphareum respicit, habens in circuito  
» passus ccc lxx milia, viris et armis fortissima et ab olim Romanis infestissima, quos  
» verecunde domum repetere saepius coegit. Tamen, ut Livius ipse refert, consul Sul-  
» pitius et rex Attilus repentina expugnatione similique celeritate qua proci dolor!  
» modo Turchi, urbem aggressi sunt, postquam classis appulerit. Hujus post insulae  
» dominium celsum et inelutum a pluribus quam centum annis optinere Veneti, jure  
» optimo, cum ingenti fidei gloria, et a rabie Barbarorum mirifice defenderunt. Tam spi-  
» ritualium igitur quam temporalium gloriae et quietudini perfidus Turchorum prin-  
» ceptus invidens, ut illud Yzayae possit ad eam exclamari: — Veniet, inquit, dies, et  
» dicet tibi hostis: angustus est locus, fac spatium mihi, ut inhabitem in eo. Nec tacuit  
» hujus insulae futuram eladem Jheremias dicens: Omnes persecutores ejus appre-  
» henderunt eam inter angustias. Facti sunt hostes ejus in capite; parvuli ejus ducti  
» sunt in captivitatem ante faciem tribulantis. Manum suam misit hostis ad omnia  
» desiderabilia ejus; praecipitavit moenia, dissipavit munitiones et replevit sanguine  
» humiliatum et humiliatam. O principes catholici, quid tam alienum a vestra religione  
» quam ipsius religionis non sentire detrimenta! Quid tam inhumanum a pietate quam  
» patriae natali non compati! Christus quoque Lazarum flevit priusquam sorores conso-  
» larentur eundem; et Job in amaritudine visus est dixisse: Nec fortitudo tua, fortitudo  
» est lapidis; nec caro nostra aenea est.—Hiis verbis consolatoriis et aliis diversis aucto-  
» ritatibus lenire conatus est animum patriarchae antedicti. Unde et alibi de consimilibus  
» versabatur olim in discrimine. « Bizantium id est Constantinopolis, nec ulla pars Ytaliae  
» subsidium praebuit, rem omnes putabant a se alienam, et falso credebant ad se peri-  
» culum non pertinere. Modo quot imperia, quot christianorum opes et dominia in  
» fortunam Turchis cesserunt, senserunt regna et principatus Trapezunthinorum,  
» Synopensium, Mitelenorum, Peloponensium, Cariae, Ciliciae, Misiac, Pannoniae in-  
» ferioris, Epirotharum quidem regna et Miricorum et nuper adjecta dominia Euboy-  
» corum. Quia igitur sumptu L<sup>a</sup> millium aureorum in tempore perdiderunt Bizantium,  
» jam centies millesies, mille millibus non haberetur quod amissum est. Vendicatum  
» enim Turchis est ut quolibet terra marique vagare possit. Optinent omnes maritimas  
» stationes, Ambracium sinum, portum nobilissimum, et Apolloniam, loca Romanis  
» finitima et in Ytalia illuvia; praeterea terrestre patet iter ad Forumjulii. Quis igitur  
» Turchorum imperatorem non putet cupidum augendi dominii, qui de die in diem  
» auget exercitum quo sic invadit aliena ne sua tandem amittat? Certe si nec eum taedeat  
» tam ingentes sumptus, gravissimas expeditiones, millium pericula seu vulnera susce-  
» pisse in tam alienissimo tempore pro Misorum regno exiguo, pro Tribalorum mon-  
» tibus asperrimis, pro Ylliricorum penuria, non est dubium majora se facturum pro  
» Ytaliae opibus, cum soleat plerumque jaectare se decima parte majorem Alexandro  
» Magno. Ipse tamen tyrannus egressus est ab Autumanarum familia, quae minima pars

» Turehorum exstat, a parvo brevique principio annorum centum et triginta in tantum  
 » crevit ut plura citra annos xl quam superioribus nonaginta solus post excidium  
 » Constantinopolis egerit quam pater ejus et avus per omnem vitam. Horum enim  
 » Turehorum natio aliquandiu Asiam, Medeam aut Indiam, Babiloniam, Arabiam,  
 » Syriam et alias Asiae superioris provincias tenuerat. Inde tandem ab incolis in liber-  
 » tatem sese vondicantibus ad inferioris Asiae partes confluere cogebatur. Ubi cum pro  
 » Graecorum imperio varia bella temptasset, in Pamphiliam evasit, et inde ancipite  
 » Marte Ciliciam, Lyciam, Paphlagoniam et alias provincias accepit, sic quod foris pace  
 » parta, domi seditio oriebatur, quia mox dimicare ferro coeperunt pro dominiis. Erant  
 » enim inter eos septem familiae ad quas omnium rerum et factionum summa defere-  
 » batur. Haec bellorum diuturnitate fessae, quas diximus provincias sorte potius quam  
 » armis, tandem divisere. Pro Autumanarum familia vero, ex qua jam, hiis temporibus,  
 » octavus regnat, Cilicia et alia loca finitima obvenere, quae sunt initium ac tanti ter-  
 » roris origo. Deline, interjecto tempore, hujus qui nunc regnat, atavus a quo hic est,  
 » sexus ordine, regni sceptrum accepit, non viribus, non divitiis, non magnitudine fretus  
 » imperii, sed ob civiles discordias accersitus et invitatus venit in Graeciam, exercitu tra-  
 » jecto in Europam et a partibus dissentientibus provocatus, velut pestilentissimus ser-  
 » pens, sibi cum fortioribus amicabiliter imperium comparans, adeo vires suas auxit, ut  
 » volentes cum postea ejicere, non potuerunt, arbitrantibus quibusdam satis se fecisse  
 » si, foedere icto, aequis cum eo vivere legibus impetrare valerent. Atqui aliter quam  
 » opinati sunt, evenit; nam gens barbara et inops ubi simul hanc frugum dulcedinem  
 » ac divitiarum degustaverat delicias, nullum cupiditati suae terminum statuit, sic quod  
 » nec profundissimi Danubii rapacitas, neque asperitas Illiricorum montium retardare  
 » potuit Turehorum impetum, quin flumine transmisso locorumque superatis difficulta-  
 » tibus, per Pannoniam debachare possent, et mediam per Germaniam transire, Hystrios  
 » ac Forumjuliorum penetrare, depopulare ac perfoedare, floresque provinciarum in-  
 » digno carpere pollice. Proinde quid idem Turehorum imperator facturus sit, tot  
 » regnis occupatis ac priori potentiae additis, supervacuum est ambigere. Sunt enim ei  
 » vires maximae sed et immensus pecuniarum numerus et supra ducentorum milia  
 » hominum inaudita militum multitudo et talis classis quam vix omnis Ytalia posset  
 » instruere; militem habet perpetuis conductum stipendiis qui, sive domi quiescat aut  
 » foris bella gerat, idem ab aerario stipendium semper levat, nullo sui principis sumptu;  
 » est tamen adactus juramento singulis annis accedere ad imperatorem, operam atque  
 » laborem polliceri, per quod habet exploratum in fortissimi sui imperii successione  
 » perpetuis laboribus bellorum suos exercere, a quo instituto nunquam discedet, siqui-  
 » dem quod utile vel necessarium sibi quod intelligere valeat omittet, quod experientia  
 » docuit. Nam paulo post insulae dictae dedicationem, navalis Venetorum fugatus est exerci-  
 » tus, quibus cedentibus, amplissima Turehorum classis ante Brundusium trajecta exstitit



» ubi omnem ordinem sexuum in praedam everterunt. Deinde praesto classis eorum se  
 » ad multa milia quibus habundavit, in Apuliam dedit, ut in agrum Neapolitanum  
 » atque Romanum crassarentur. Implacabilem se reddidit tyrannum et immobilem mi-  
 » sericordia seu donis aut muneribus, cuncta cruore delere cupiens, dominari, sub-  
 » jugare, praesse. Nemo dubitet quin breviter totum regnum Ceciliæ peragrabit, et  
 » Romam perveniet nisi occurratur citius, quamquam putarint aliqui sibi Yperboreos  
 » impedimento fieri posse. Constat autem eum paucos Asianos adhuc infestos habere  
 » quos, ut concepit impetum facturos in eum, statuit semper bella conficere (Scipionis  
 » usus consilio multo tutius, foris arbitratus pugnare quam domi vinci), nec de una vel  
 » altera certare urbe, sed de rerum summa, tanquam qui neque superiorem nec parem  
 » pati velit. Hinc socios in fide continere studet et officio. Verumptamen magna sui pars  
 » exercitus constat ex milite tumultuario qui momento ad excidium ejus impellitur,  
 » prout exploratum habet, et turba collectitia complectitur in qua nulla mercede con-  
 » ducti plures agitant praedam, non castra sequuntur, qua si paulo diutius caruerint,  
 » domum redeunt latrones et sicarii qui facilius vinci quam vincere sciunt. Comptum  
 » est dumtaxat septuaginta milia capere stipendia de aerario, praeter xv<sup>m</sup> aut xx<sup>m</sup> qui  
 » custodientes sui imperatoris latus, cotidianam publice mercedem accipiunt. Reliqui  
 » omnes sociorum tributum a provincialibus capiunt et sustentantur exiguo, quos rerum  
 » penuria saepe arma, vestes et equos vendere cogit. Sic mirandus peditatus et equitatus  
 » Turchorum accipiendus est, neque temere jactandum est eum in agendis negotiis esse  
 » tam tremendum numerositate virorum aut pecuniae. Nam non amplius quam vigesies  
 » centena milia aureorum ex omni reddituum summa solet ad eum deferri, de qua xx<sup>m</sup>  
 » peditum sustentat et pro sumptibus suis domesticis simul : si quid superest, ad arma,  
 » machinas, tormenta bellica penitus hoc convertit. Quod igitur tam effocinata mul-  
 » titudine, is tam exiguis viribus tot sibi subjugavit imperia non mirandum magis  
 » quam dolendum est, eo quod neminem repperit resistantem, unde facile fuit admo-  
 » dum vincere, fractisque foribus, ovilia subintrare atque intra earum ovium latera  
 » versari caedibus et rapinis : quem admodum enim cedentes vehementer insequuntur,  
 » ita insequentes celeriter fugiunt, nec castris castra conferunt, sed ultro quaeritant prae-  
 » tergredi. Non tamen id actum est in illo christianae multitudinis inelito triumpho, quae  
 » nullo duce, sed tantum signo crucis armata, omnem Turchorum exercitum intra moenia  
 » Anderalbae oppidi discurrentem stricto ense caesum et victum eiecit, ipso imperatore  
 » eorum graviter vulnerato, omnibus suis praeparamentis bellicis in potestatem fide-  
 » lium redactis. Id autem ne semel accidisse videretur, cum impius et sceleratus hostis  
 » inferiorem occupasset Pannoniam omniaque armis complevisset et praesidiis, inelitus  
 » regique animi superioris Pannoniae rex, parva admodum manu, expugnato Lavitia  
 » oppido et natura et arte munitissimo, maximas Turchorum tamen copias fudit. »  
 Istis diebus mira celeritate librarii seu librorum impressores usi sunt, tradendo re-

centia doctorum et novissime gesta satis vili pretio; nam novitati studentes per illum modum extime habere denarios curaverunt. Unde factum est ut ad inferiores has partes Turchorum gesta denuntiarentur: maxime tamen Parisius in alma matre studiorum omnium comportabatur, ubi diebus hiis hoc copiavi, nec multo post monachus Dunis effectus semper quae potueram addere marginibus, adnotavi, quatenus in parte miranda contingentia posteris in testimonium asserenda relinquerem.

1471.

Anno igitur Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXI<sup>o</sup>, XIII<sup>a</sup> mensis aprilis, quae fuit saluberrimae resurrectionis dies Salvatoris nostri Christi Jhesu, valde diluculo, dux Warweci, dux Excestriae, marchio de Montagu, frater ducis Warweci, comes d'Oxenfort, dominus de Beaumont, bastardus de Fauquenberghes, necnon barones alii quamplures contra regem Edwardum in exercitu fere xxx<sup>m</sup> virorum venerunt, et ab hora quinta diei usque ad octavam atrociter pugnaverunt, multis utriusque caesis, cessitque victoria quae steterat anceps, Edwardo regi, potius divino ascribenda nutui quam humano nisui, quum exercitus Edwardi duplo minor erat suorum adversariorum multitudine. Caesi sunt autem ibi Riquardus dux et frater ejus, marchio de Montagu, moxque delati sunt in sanguine decurrenti Londoniam, ad spectaculum omnium pro signo victoriae.—Eodem quoque bello perempti sunt barones de nomine: comes scilicet Oxenfort cum fratre suo, Robertus Fordelle, Riquardus Donchel, Guillelmus Treul et frater ejus Thomas Stanfort, dominus de Cardele, dominus Alleclay, etc. Capti vero: comes de Lincop, archiepiscopus Eboracensis, frater ducis de Warwic, episcopus Excestriae, episcopus de Lincol, episcopus Sancti Dyonsii, etc. Hac habita victoria, rex Edwardus rediit Londoniam ubi prius, ut regem decet, susceptus est; quo paululum trahente morulam suam, contra Edwardum filium Henrici regis e converso captivi, quem in multitudine gravi transfretatum audivit, iter maturavit ad debellandum eum. Huic Edwardo savebant Guallia, Cornubiá, Excestria, Vonchire, Zombreset et Orzet, etc.—Venit autem praefatus Edwardus princeps una cum matre sua de Francia, et dux de Zombreset cum fratre suo multisque baronibus sibi adhaerebat contra Edwardum regem; et breviter praefati principes a facie regis formidantes, cesserunt tandem armis ac victualibus fortificati.

— Tertia maii anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXI<sup>o</sup>, regi Edwardo bellum deliberavere juxta villam Theuwsbury, in quo primo captus occubuit praefatus Edwardus, princeps Gualliae, dux Cornubiae et comes Cestriae, una cum marchione Johanne. fratre ducis de Zombrezet, et item caesi sunt illic comes de Venchier, dominus de Wenlok, Edmundus Hampdam, Johannes Vikenor, Guillelmus Roos, Johannes Luts, Guillelmus Vaux, Guillelmus Feldine, Robertus Whiemghem, Nicholaus Herby, etc. Decollati dux Edmundus de Zombrezet, magnus prior militum ordinis Sancti Johannis, Sermes Glisconsis, Guillelmus Carry, Thomas Tresermontis, Guillelmus Newbourghe, Humfridus de Wedeley, Henricus Tresham, Johannes Luts, Walterus Courtennay, Johannes Flory, Ludovicus Miles, Robertus Jaeson, Johannes Gobert, etc. Capta quoque fuit Anna comitissa Devonchire (?), uxor Edwardi principis Gualliae primo perempti, et cum ea plures alii nobiles retenti. — Porro cum in hac expeditione rex Edwardus occupatus esset, moverunt se, cum bastardo de Fauquenbergh, plures vulgares de Kendt et in suburbiis civitatis Londoniae miserunt flammam, contra quos de Londonia processit comes d'Essex cum domino de Riviers, occisisque fere 11<sup>m</sup>. in fugam ceteros verterunt, et capitaneus eorum, scilicet bastardus de Fauquenbergh ad navigia sua villam de Zandwyc supra mare ingressus est. Quem persequutus rex in gratiam recepit, nec multo post, jussu regis, obruncatus est. Sicque spatío xi ebdomadarum latissimum illud regnum divina sibi virtute subegit Edwardus rex, hostibus suis undique duobus gravissimis praeliis prostratis ac superatis. Rex vero Henricus dolore nimio, ut fertur, in captivitate diem clausit extremum, et regnum totius Angliae sic ab Edwardo, filio Riquardi, quondam ducis Eboracensis, comite Marchiae, conquestatum est, qui mox filium suum infantulum creavit principem Gualliae. Hinc diriguntur nuntii, et inter restitutum regem ac ducem Burgundiae socerum foedera renovantur amicitiae. Dolet Francorum rex, et non minus terret eundem haec nova lex; facies omnium immutatae sunt. et de periculis erepti gaudent Flandrenses supra modum.

Hoc anno, summus pontifex Paulus II subito defunctus est et solus inventus in cubiculo ante aerarium suum. Qui Venetus fuit, sed Venetos non dilexit, prout compertum est, ex quo constat per litteras suas Venetiam Turcis vendidisse. Huic successit cordiger devotus et doctor solempnis Parisiensis, vocatus Sixtus Quartus. — Fredericus imperator et rex Roma-

norum fere octogenarius, concilium fecit Ratisponae super negotiis regnorum Hungariae et Bohemiae, quae regna filio suo Maximiliano deberentur ex parte matris Lanceloti, quae fuit soror praefati Frederici. Post cuius obitum, Mathias invasit regnum Hungariae et Genchiericus regnum Bohemorum; quo Genchierico turpi morte divinitus percusso, praefatus Mathias regnum illud sibi usurpavit, similiter capto Victorino filio regis Genchierici defuncti. Hoc anno defuncta est duxissa Elisabeth, filia Johannis regis Portugaliae, mater ducis Burgundiae Karoli. Post cuius obitum paulo post, ingens stella caudata et mobilis orta est, girum faciens ab Oriente per Meridiem in Occidentem.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXI<sup>o</sup>, audita victoria regis Edwardi, rex Francorum stupefactus, inventis quibusdam mediis, si fas sit dici in christianum quod familiaribus quibusdam demonum colloquiis usus, ad destructionem domus Burgundiae et omnium conjuratorum principum de sanguine regio pedetentim conatus est ad effectum perducere. Unde magnam guerrarum provisionem fecit, quia in Ambianis collocavit comites Sancti-Pauli et Dampmartin, qui, eum non bene concordessent, direxit veteranum capitaneum Salaxart, cum armata. Versus vero Burgundiam, direxit dominum de Sempiere, constitutoque capitaneo Ludovico de Balinghem, magnam sub eo direxit armatam ad Campaniam defendendam contra comitem de Rossiaeo, mareschallum Burgundiae; sed Francis ad ducatum Burgundiae anhelantibus, in quodam congressu dominus de Couchy prostratus fuit. Dominus autem de Renty, filius domini de Crouy, comitis Porcennae, pro tuendis locis in Arthesia suscepit stipendia de manu ducis Karoli; sed non adhaesit eidem eo quod filiam comitis Sancti-Pauli comestabularii cepisset uxorem, quare conversus est ad ligam regis. Postea Philippus de Comines, secretissimus secretarius ducis Karoli, similiter conversus est ad regem, et plures quos rex corruperat, recesserunt de liga Burgundorum. Deinde circa festum Omnium Sanctorum dux Karolus in Sancto Oudemaro congregavit nobiles, ubi dux Ghelriae vetulus Arnoldus venit absolutus a captivitate filii sui, qui vendidit ducatum suum duci Karolo. Nec multo post ejus filium fecit suum captivum primo in Vilvoorda, deinde castro Curtracensi. — Eodem anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXI<sup>o</sup>, xvii<sup>ma</sup> die decembris, obiit nobilis et excellentissima domina Yzabel de Portugalia, filia regis Johannis, ducissa Burgundiae, cujus, exequiis celebratis, in Gonay corpus per aliquot dies remansit; postea filius ejus dux Karolus deferri fecit cum corpore patris sui Philippi boni ducis in Bur-

gundiam. Quo tempore tanta ventorum tempestas invaluit ut signum cometæ qui apparuerat, terribiliter in effectu dare videretur divinas comminationes. Nam postea quam apparuerat, undique bella serpere coeperunt. Misit enim rex Francorum circa finem martii in quadragesima Berry heraldum suum ad ducem Karolum sub dolo quod si concordiam vellet, ipse paratus daret aliquo fideli directo. Dux misit dominum de Quiney et sacpius iterando direxit; tandem annales treugæ ad exitium sunt concessæ.

Edwardus dux Eboracensis, comes Marchiæ ac dominus Ybernici, filius fuit Riquardi ducis Eboracensis, filii Edmundi ducis, quarti filii quondam Edwardi regis, et sic a sanguine regio descendens. Edwardus comes Marchiæ, licet intrusus esset in regnum, adhuc vivente Henrico VI<sup>o</sup>, tamen postea, scilicet anno Domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> LXXI, post fugam ipsius ex Angliâ, auxilio Karoli ducis Burgundiæ, comitis Flandriæ, ex Zelandiâ navigans, armata manu regnum recuperat, interfecto filio Henrici regis, qui rex etiam mox obiit, et grandem duobus bellis interitum fecit victor ubique.

Hæc de audita Turchorum rabie, præcipue Calchidis obsidione, quæ post Bizantii excidium in octavo decimo evenit anno videlicet M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> LXXI; quo tempore terribilis aspectu cometes apparuit qui, secundum astrologos, circa festum Agnetis transiit quasi ad Orientem, supra Coloniam, in opposito Libræ, caudam emittens xxx vel xl graduum versus Occidentem, unde signasse dicunt oppressionem bellicam quam dux Burgundiæ paulo post paravit in Ghelriam, Lotharingiam atque Sueviam et Alemaniam. Circa vero festum sancti Basii, stans in Ariete, caudam suam versus Pliades emisit, quandoque bipartitam caudam habens et miranda prænosticans, post terminum vi ebdomadarum disparuit, unde sequentibus post annis effectus ejus evenit.

Sixtus IV<sup>us</sup> natione Januensis, de ordine Fratrum minorum, dudum Parisius doctorisatus, electus fuit anno Domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> LXXI<sup>mo</sup>, decima mensis augusti. Cujus tempore post variam morborum insolentiam et indispositionem planetarum apparuit exhalatio de materia incensa in aere per modum stellæ caudatæ, de qua mirabilia conjecturabantur. Quidam enim eam dicebant esse verum cometam; alii econtra, propter mobilitatem suam, quia fere universi partes respiciebat suo motu; alii signum divinitus asserebant quod a sexcentis annis non comparuerat. Qualitercunque autem fuerit, hoc tamen evenit ut maxima febrium secuta est vexatio, diversaque morborum inflammatio, regnorum ac principum periculosa turbatio et omnium fere statuum mutatio.

Hujus anno secundo imperator Turchorum pæne totum exercitum capitanei magni soldani perdidit in bello de Oseneasay. Similiter Alfonsus rex Portugaliæ insignem sibi contra infideles comparavit victoriam, transfretando in regnum barbarorum. Hujus etiam tempore, Fredericus Almanorum imperator et filius ejus Maximilianus una cum fratre imperatoris Turchorum, qui quorundam instinctu, relictis omnibus, Romam petierat et Treveris advenit, collatione principum fidelium animatus, contra fratrem suum Turcorum imperatorem bella disposuit cum fidelibus attemptare. Ipse vero Fredericus

imperator cum Karolo Burgundorum duce parlamentum satis longum illie celebrando, tandem infecta re discessit et publice post ingentem magnificentiam mutuo exhibitam se hostem declaravit, misso filio suo versus Ludovicum Francorum regem, ipsius ducis adversarium. Quid autem inter eos causa discordiae fuerit, suspiciantur alii contra velle Caesaris ducem Burgundiae suscepisse dominium ducatus Gbelriae, necnon comitatus Forettae, sed et anhelasse eundem ducem ad imperium, ut dicebatur, et hinc cum toto suo exercitu sese contulisse in obsidionem villae de Nuehenis juxta Coloniam. Quam cum fere annum obsidisset, nec imperator una cum suis posset obsidionem hanc impedire, quamquam marchio Brandenburgensis irrueret et Coloniensibus tamen convenientibus in pugnam, per legatos summi pontificis concordia facta est inter eundem imperatorem et Karolum ducem, sic quod praefata villa, cum esset de dominio Gbelriae, duci Burgundiae resignata sit anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXV<sup>o</sup>; qui fuit annus jubilaeus, sanctissimo papa confirmante quod de cetero de xxv<sup>to</sup> in xxv<sup>to</sup> celebraretur. Verum quia novus dux Lotharingiae Renatus, comes Valdemontensis, ipsi duci Burgundiae stanti acietenus in conspectu Frederici III<sup>ii</sup>, Almanorum imperatoris, juxta praefatae villae obsidionem, litteras diffidentiae porrexerat, percusso foedere, facto tamen armorum concursu cum imperatore, dissoluta obsidione, totum exercitum suis ordinatis capitaneis praemittens in Lotharingiam, paucis assumptis ad regem Angliae apud Calisiam transfretatum cum exercitu descendit et cum eodem rege Franciam ingressus est, bellaturus, nisi Deus aliter disposuisset, contra regem Francorum, Qui, conventionem facta pacis cum Edwardo rege Angliae, detecta fraude Ludovici comitis Sancti-Pauli, conestabularii Franciae, postquam pacatum Anglorum regem a se dimisisset, et ducem Burgundiae verbis ad treugas vocasset, eodem anno LXXV<sup>to</sup> ut supra, Parisius eundem Ludovicum comitem ac conestabularium suum captivum deliberatum de consensu ducis, ad quem confugerat, tanquam reum lesae majestatis jussit ignominiose decollari. Cujus mors cuncta mox sibi bella temptata reddidit adversa duci. Nam quamquam Lotharingiam gladio conquestus, fugato Renato, aciem et arma convertisset in Suevos, turpiter tamen ab illis in fugam coactus est, amissis suis et defensivis omnibus bellicis illic derelictis cum ingenti confusione suorum. Quos nec denuo veritus idem, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXVI<sup>o</sup>, cum extrema sui ipsius aggressus est ingloria; tertio relictis Suevis, et ad Lotharingiam se convertens, quam recuperavit, interim Renatus, comes Valdemontensis, dux Lotharingiae, villam ejus de Nanchyo obsedit, in qua quidem obsidione vallatus a Suevis et Francis missis in succursum eidem Renato, pugna inserta cum paucis adversum gravem multitudinem hostium, in vigilia Epyphaniae paene cum omnibus reliquiis, paucis servatis captivis, occisus est. — Cui Maria successit unica ejus filia, quam Ludovicus rex petit pro filio suo; sed quia non erat consonum rationi maritali filiam ei ejus pater consensisset aut conspirasset in mortem patris conjungendae matrimonialiter, ideo rex illico Burgundiam utramque, necnon

comitatus Arthesiae, Pontivi et Boloniae, Flandriae et Hannoniae, conabatur invadere; ac de facto invasit villas et castra, multa suscipiens et despolians priusquam descendit Maximilianus, dux Austriae, qui cepit eam uxorem. Licet rex nisus est matrimonium illud impedire, tamen summus pontifex Sixtus ipsum confirmavit anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXVII<sup>o</sup>. Quo matrimonio circiter in fine mensis julii apud Gandavum consummato, divina comitante gratia, necdum ex integro revoluta anno, peperit praedicta nobilis Maria viro suo Maximiliano de Austria filium Brugis, quem imperatoris nomine de sacro fonte levavit Adolphus de Ravesteyn, frater Johannis ducis Clivensis (et Philippi nomen indidit) et Petrus comes Sancti-Pauli ac Briannae, nomine regis Edwardi Angliae, una cum domina Margareta, sorore dicti regis Edwardi, relicta Karoli ducis Burgundiae. Rex igitur ad treugas dandas sese optulit, nato filio, quem Philippum de Austria mox appellaret; sed dum ad restitutionem villarum ac patriarum instantia fieret, ad requestam partium annuit rex nichilominus. Exeuntibus armigeris regis, aut ignem aut desolationem et spoliationem pluribus locis prius intulerunt et inferre minabantur. Sed anno LXXIX<sup>o</sup>, prout historiae deducunt, ipse dux Maximilianus cum capitaneis suis tam Burgundiam quam Arthesiam, eladibus cruentissimis illatis ac susceptis, nisus est recuperare, pluraque recuperasset nisi traditio quorundam obstetisset, et in Bommy apud Guinegate Francorum plusquam xxv<sup>m</sup>, eodem anno, ceciderunt.

Haec de contingentibus sub pontificatu Sixti IV<sup>i</sup>, quoad turbationem regionis nostrae, cum apud aliorum regiones longe plus admiranda sub eodem pontifice contigerint. Nam anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXXI<sup>o</sup>, postquam Rhodum impugnasset et miraculose sit defensum, ipse magnus Turcorum imperator apud Constantinopolim obiit; et inter se filii dissensionem mox habebant, sic quod cum christianis unus ejus filius contra fratrem suum bella pererudelia temptaverit.

Paulus II<sup>us</sup> qui et Petrus Barbo dicebatur, natus ex sorore Eugenii IV<sup>ti</sup>, Romae moritur apoplexia solus in cubiculo, nemine vidente, eum eo die lactus consistorium tenuisset, pontificatus anno sexto, mense decimo, quinto kalendas augusti, M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXI<sup>o</sup>. Qui tanquam alter Aaron in publicum forma humana augustiore prodibat et inspicere tamen ab omnibus volebat et admirari; omnia beneficia suo tempore venalia fuerunt, nec redimendarum pensionum usum improbavit; ad munificentiam tamen et liberalitatem interdum pecuniis utebatur, natura nimis in agendis rebus praeposterus.

Ad hunc pontificem Sixtum Hermolaus Barbarus, patritius Venetorum, diversa scripsit opera, cujus haec verba luere : « Octavo decimo aetatis anno, duos libros *De* » *Coelibatu* conscripsimus pueriliter; undevigesimo, Themistium ex graeco convertimus, vigesimo octavo, Dyoseoridem; tricesimo autem dialectice Aristotelis universam; quadragenario in scholis, quaecumque Aristoteles conscripsit, logica, physica, » theologia, rethorica ac poetica absolvimus, graecis praecipue expositionibus usi, » unde omnis excitata et consummata est philosophiae cognitio. »

Ad hunc pontificem, qui vocabatur prius Franciscus de Savona, qui cardinalis fuit, se ignorante, factus, descendit legatus Venetorum et Galeacae ducis, recitans qualiter Turchorum imperator a christianis duo sibi subjugaverat imperia, regna quoque et provincias xx<sup>ti</sup> iii et plus quam trecentas lxxx civitates, in utriusque sexus abominabilem confusionem. Lamentabile est quot calamitates passi sunt fideles, in quibus primitiva viguit ecclesia per Salvatorem nostrum in suis apostolis et discipulis dudum fundata. Sed quum Romani spem in hunc pontificem ex ordine mendicantium fratrum sancti Francisci, de relevatione Ecclesiae plurimam ponebant, in honorem ejus hoc versiculos tradiderunt :

Ecce iterum humanum pascet genus aurea quereus,  
 Reddita quae populo tempora, Sixte, tuo;  
 Quae populo glandes dederat, nunc florida quereus  
 Aurea poma dabit tempore, Sixte, tuo.  
 Non aurum, non nobilitas, sed vivida virtus,  
 Sixte, tibi imperium pontificale dedit.  
 Discite ab exemplo quantum valet ardua virtus :  
 Hac meruit Sixtus pontificale decus.

Contra hunc pontificem Romani commoti fuerunt eo quod Venetis favorem gerere videretur; et episcopus Cracoviae contra eum aliquos articulos deponere praesumebat, eum citando ad concilium celebrandum, anno Domini M° CCCC° LXXXIII°. Antea tamen errorem episcopus cognovit suum; et vocati sunt cardinales, ex quibus Ferrius de Clungy, Burgundus, Tornacensis episcopus, Romam petens ad eundem pervenit; sed postquam vix duos menses stetisset et aliqua pro Dunensi ecclesia de coadjutore perpetuo tractasset, defunctus est illic. De Paulo II°, qui prius Petrus Barbo vocatus est, scripsit Bartholomaeus Platina.

Edwardus rex Angliae coronatus, tamen vivente adhuc rege Henrico, anno Domini M° CCCC° LVII, e contrario post mortem regis Henrici coronam resumpsit, hoc modo. Nam Riquardus de Novavilla, comes Salesbèriensis, nepos ejus, bannitus cum Riquardo duce Eboracensi, patre praefati regis Edwardi, Calesiam intrans, prodicionem cogitavit in regem Henricum, quam usque ad sui confusionem explevit, procurando videlicet intrusionem Riquardi; sed, eo eum filio suo primogenito interfecto, scilicet Edmundo, filius suus secundogenitus ipsius ducis Riquardi, Edwardus videlicet modo regnans anno M° CCCC° LXXI°, successionem in regno bellis sibi continuis procuravit, adhaerentibus sibi regni nobilibus. Hic tamen ut traditor non est reputatus; sed comes praefatus uxorem habens nobilem ducissam de Warwye, filias duas genuit ex ea, et per omnem modum libenter dedisset unam ipsi Edwardo regi intruso, qui simplicis militis filiam ducere maluit. Ex hoc tunc quaesivit occasionem contra Edwardum intrusum



regem, et ad regis Henrici partem, ejus capitaneus factus fuit, continuo declinavit, equidem plures. Bannitur comes Warweeii, qui se apud regem Franciae Ludovicum XI<sup>m</sup> contulit. Revertitur in Angliam contra regem Edwardum pugnaturus et eum expulit. Is ad sororium suum Karolum ducem Burgundiae et comitem Flandriae venit, a quo subsidio habito, rediit in Angliam et comitem de Warwye bello impari devicit, Henricum regem capit quem mori fecit et filium ejusdem regis Henrici, bello excepiens, interfecit; ac sic regnum sibi, sive juste sive injuste, conquestavit. Habuit enim duos filios quos frater ejus, ut regnaret, interfecit, relictis tribus filiabus, quarum primogenitam comes Richemont rex Angliae duxit, post interemptionem Riquardi regis, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXXV<sup>o</sup>.

Haec de gestis per fratrem Adrianum But, priorem de Dunis indignissimum, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXI<sup>o</sup> conscripta sunt.

## 1472.

Anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXII<sup>o</sup> dux Karolus, Ambianis et Sancto-Quintino per regem captis, in Ghelriam perrexit et, stantibus treugis, interea rex comitem Armigniaci, qui de liga ducis fuit, interfecit.

Januenses abstulerunt Euboyam, quam Nigropontem vocant, a Sarracenis iterum captam anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXII<sup>o</sup>.

Reges Hungariae et Poloniae pariter contra Turchorum imperatorem pugnantes, ipsum in fugam verterunt, et fratrem ipsius captivum direxerunt ad Fredericum imperatorem Alemanniae anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXII<sup>o</sup>.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXII<sup>o</sup>, exspiratis annalibus induciis inter regem et ducem Burgundiae, dux Burgundiae, mox exercitu collecto, quasi ad obsidendum Ambianis, perrexit ante Belvacum, ubi cum parum profecisset, fautoribus regis captionem villae dissuadentibus, traxit se cum exercitu in Normaniam et ante Rothomagum, ubique per loca gyrum faciens, fere mille septingenta villagia redegit in favillam, et inedia cogente, propter hiemale tempus reversus, e contrario treugas ad annum de rege suscepit. Deinde Brugas veniens misit fratrem suum Anthonium de Burgundia et Adolphum de Ravesteyn ad sedandam motionem in Chyrixzee, quia communitas dominum de Cattendyeke occidit. Creavit vero comites dominum Guidonem de Humbereourt comitem de Meghen et dominum Philippum d'Embryes, et dominum Anthonium de Crouy de Symay fecit comitem. Post hoc, cum dux Ghelriae Arnoldus apud Gravam decessisset, dux Burgundiae Karolus, collectis viribus, ad dominium sibi subdendum perrexit. Villa igitur Neumagensis voluit pro sorore ducis Adolphi captivi se servare, quae fuit ducissa Bavariae, sed tandem se reddidit. Eodem anno rex Francorum terram comitis Armingniaci

cepit et effugavit comitem qui ad fratrem suum ducem de Nemours, deinde in Arragoniam perrexit, qui reversus se opposuit regi; sed per treugas dolo concessas in quadam villa super altare petens vitam defendere, transfossus et occisus fuit.

Ætas hujus anni mirabilis siccitatis fuit, unde pestilentia regnavit in calidis climatibus, maxime in Francia et Burgundia. Rex Francorum in fratrem suum, scilicet Karolum ducem Aquitaniae, suspicium gerens eo quod ad matrimonium filiae ducis Burgundiae animum appulisset et filiam regis Hispaniae Henrici renuisset, fecit eum rex vita privari tanquam conjuratorem et reum lesae majestatis. Similiter et episcopus Parisiensis de liga fratris sui, innaturali morte Parisius decessit, nec pro eo fieri preces voluit rex <sup>1</sup>. Edwardus rex Angliae dominum de Montpenny eum Scotis transfretare cupientem impedivit, et rex Scotiae animadvertens dolum regis Francorum contraxit treugas cum Anglicis et Burgundis; similiter rex Arragoniae, Johannes, et princeps Navarrae, Fernandus. Rex etiam Edwardus pro recompensa honorum susceptorum a domino Ludovico de Gruuthuze, principe de Steenhuze, tradidit ei ducatum de Wincestre in Anglia cujus postea titulus exstitit: Ludovicus de Brugis, dux Wincestre, princeps de Steenhuze, etc.

## 1473.

Anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXIII<sup>o</sup>, treugis stantibus inter regem Francorum Ludovicum et Karolum ducem Burgundiae, mediante comite Sancti-Pauli qui procuraverat has treugas, ad finem ut complaceret duci Burgundiae, de quo denarios acceperat, etiam ad requestam regis Angliae, cui de secretissimis negotiis multa significare consueverat ob amorem neptis suae reginae Angliae quatenus inter has treugas dux dominium Ghelriae conquestaret, quod et fecit. Nam ex Anglia susceptis stipendiariis, post obsidionem cepit per compositionem villam Neumagii, quam nunquam in suam obedientiam redigisset, si non occasio fuisset siccitatis anni. Unde sicut ex antiquissimis historiis fertur, hanc esse patriam in quam Franci descendentes a Siccambria consederunt, de quibus Karolus Magnus ortum habebat, ea re Karolus, parvus in comparatione, temptavit rem difficilem posse perficere, nec sine causa a Deo fiebat ut sicut in aere magna crux Sancti-Andreae perspiceretur, sic et in lapillis repertis qualitereunque supra Mosam in arena dum ruperentur, intus apparuit eadem forma crucis.

Hoc eodem anno, postquam novus dux Lotharingiae, marchio du Pons, a civitate Methensi repulsam passus esset, eo quod armis eam petierat et nequirit ingredi, quo

<sup>1</sup> Il s'agit ici de l'évêque de Paris, Guillaume Chartier, mort subitement le 1<sup>er</sup> mai 1472, après une procession qu'il avait ordonnée pour obtenir

du Ciel la réconciliation de Louis XI et du duc de Guyenne.

nescitur eventu, intoxicatus obiit, et ei successit filius comitis de Vaudemont, qui primo ligam ducis Burgundiae servavit, postea instinctu matris reliquit. Obiit episcopus Tornacensis dominus Guillelmus, abbas Sancti-Bertini, cui successit Ferrieus, prothonotarius Cluniacensis, cujus frater sedem Morinensem occupavit; et in Burgundia frater cancellarii, episcopus Masticonensis, fit cardinalis. Dux Burgundiae, vocatis ex Ytalia multis, quorum ductores comes de Campo Basso et Jacobus Galeoth, perrexit Treveris ad parlamentandum cum Frederico imperatore, ubi de ducatu Austrasiae, Bavariae, Austriae, Ghelriae fecit ei homagium, et de filio imperatoris cum filia ducis Burgundiae matrimonium proponebatur. Deinde Coloniensis episcopus contra Nuchiam invitavit ducem Burgundiae, eo quod illa villa rebellis sibi erat. Quapropter relicto imperatore, propter terram de Foretta cum appenditiis moto quod comparasset eam, dux Burgundiae descendit in obsidionem predictae villae de Nuchya. --- Andegavensis dux Karolus, frater Renati, obiit, et in villa Andegaviae Johannes episcopus Soretanus obiit, qui miraculis ibidem clarus requievit.

Hoc anno M° CCCC° LXXIII°, dominus Johannes de Swave, miles, Turehorum victoriam optinuit miraculose.

Romae, propter Achayae perditionem, corpus sancti Andraeae translatum est, et reliquiae plures aliae a perfidis, tanquam a porcis margaritae, conculcatae sunt, de quibus, suis locis, recitabitur; sed quum de tam terribili signo (de cometa) mentionem notabilem hic feci, notandi sunt ejus effectus in epilogatione brevi. Primo per Angliam et maxime per marinos, crux Sancti-Andraeae clara die pendens in aere videbatur, ex quo praenosticabatur aut adjutorio ducis Burgundiae regem Edwardum gladio regnum Angliae conquestandum esse, vel maxima ducem debere perpetrare, qui tandem grandia molitus est ad exitum suum, eo quod retento duce Gheldriae, nepote suo, Adolpho, principatum ejus invasit, anno Domini M° CCCC° LXXIII°. Quo anno rex procuravit, adversus eundem ducem adversantem sibi, plures insidias. Nam idem rex Ludovicus fratrem suum Karolum de Francia, ducem Aequitaniae, mori fecit, similiter et Johannem, comitem Armigniaci, eorum dominiis confiscatis sibi. Deinde procurata mors exstitit juvenis ducis Lotharingorum, filii Johannis ducis Calabriae, eo quod adhaerebat domui Burgundiae.

Anno M° CCCC° LXXIII°, Ravennae obiit dominus Bessarion, cardinalis Nicenus et patriarcha Constantinopolitanus, vir alti consilii multaeque prudentiae, post *Defensorii Platonis* aliorumque complurum voluminum editionem. Post quem etiam Walterus Hond, Anglicus, vir celebris et multae reverentiae, non sine linguae fructu et post multorum librorum editionem, obiit.

Anno M° CCCC° LXXIII°, Karolus dux, intoxicato duce Lotharingiae, nepote suo, regis ut fertur instinctu, continuatis treugis, Treveris, Frederico III° imperatori, homagium fecit de ducatu Ghelriae.

Anno Domini M° CCCC° LXXIII°, obiit Bergami reverendus in Christo pater Franciscus de Regatiis, episcopus Bergamensis, anno regiminis sui xxxiv<sup>to</sup>, qui clarus habebatur in conciliis tam Bononiae quam Basiliae celebratis pro unione Ecclesiae sanctae.

*De morte Henrici de Zomeren, anno M° CCCC° LXXIII°.*

Die, cithara, Henrico carmen miserabile Zomern;  
Eulogium extincto, tybia nostra, refer;  
Moeror et attonitis comitatus luctibus horror  
Perstrepat in Sixti domate pontificis.

1474.

Anno M° CCCC° LXXIV°, dux Burgundiae, Karolus fere per totum annum in obsidione Nuchyae fuit occupatus, non obstante tempore hyemali, nam de quodam Ytalico modum ceperat plus convenire campos tenere in hyeme quam aestate. Tempore igitur obsidionis venit ad eundem duces rex Denemarchiae Christianus, cujus frater erat in villa praedicta una eum comite Asseliae capitaneo et aliis rutheris Almaniae qui viriliter defenderunt locum contra duces Burgundiae, cui Colonienses plurimum cum duce Brandenburgensi contrariabantur et dampna non pauca suis intulere. Tandem vocato Frederico imperatore, cum putaretur obsidio levare, non sine elade quorundam, legatis summi pontificis intervenientibus, concordia reperiebatur. Dum tamen acietenus staret dux Burgundiae contra exercitum Almanorum, misit heraldum suum dux Lotharingiae noviter effectus, nomine Renatus, et diffidavit duces Burgundiae, qui continuo suum exercitum ingredi fecit Lotharingiam ad devastandam eam gladio et igne. Ipse vero dux Burgundiae cum paucis descendit in Flaudriam, et deinde ad regem Angliae, socerum suum.

Bernardus Justinianus, Venetorum orator, recitat Turchos abstulisse a christianis duo imperia, quatuor regna, xx<sup>ti</sup> provincias et plus quam ducentas civitates. — Istis diebus frater quidam de Curtraco natus et in Observantium Fratrum ordine professus, fratres haereticos Maronitas, habitantes circa montem Libani, in Syria, convertit ab erroribus et fervidos devotione reddidit, postque multa miraculorum signa dedit. Idem ipse frater Grifo in Cypro feliciter decessit circa annos Domini M° CCCC° LXXIV°.

Anno M° CCCC° LXXIV°, praedictus dux Burgundiae, Karolus apud Fredericum III<sup>um</sup> imperatorem parlamentum celebrans Treveris, ejus inimicitias incurrit. Unde mox villam de Nusya circumclusit et vallavit, in ejus obsidione, dum ad arma contra dictum imperatorem et ejus nobiles paratus astartet, intervenientibus legatis summi

pontificis Sixti quarti, paucis fuis aut prostratis in comparatione sicut possibile fuit, per Dei gratiam concordia proclamabatur.

Johannes comes Eugiae, cognomento de Arthesia, moritur, anno Domini M° CCCC° LXXIV°.

Anno M° CCCC° LXXIV°, Karolus dux, contra praefati imperatoris et aliorum Almanniae principum ligam, Nuehyam obsedit, ubi plurima passus est dampna tam ab obsessis quam ab imperatore et Coloniensibus.

## 1475.

Anno M° CCCC° LXXV°, Karolus dux, cum Edwardo rege Angliae, Ambianis et alias villas recuperare sperans, reum putans Ludovicum comitem Sancti-Pauli declinantem ad partem suam, remisit Parisius ubi, decollato eo, majora dampna, bellis Suetonum ad quos perrexerat, longe perpressus est.

Anno igitur Domini M° CCCC° LXXV°, dux Burgundiae per monasterium de Dunis eum paucis iter fecit ad regem Edwardum Calisiae applicatum eum exercitu magno, eum quo idem dux Burgundiae, quasi Franciam oppugnaturus, intravit usque Ambianis. Promiserat enim conestabularius Franciae comes Sancti-Pauli sibi dare ingressum aut Ambianis aut in Sancto-Quintino; sed eum exercitus regis Angliae vidit duces Burgundiae adesse sine potentia, nec comparere conestabularium ut adimpleret promissa, se deceptos dolo aestimabant, et continuo Francorum rex praevenit priusquam transitum ultra Sommam temptarent Anglici, praesentavitque regi Edwardo secum admitti parlamentari de bona pace, quia mirabatur adventum ejus. Convenientibus igitur eis ambobus, non longe a Piekengny, juxta Ambianis, supra Sommam, concluderunt treugas inter eos ix annorum, sub quibus dux Burgundiae comprehendebatur, et ibi detexit rex Angliae dolum conestabularii qui sponderat ingressum praebere. Mox eum mandavit rex, sed renuens venire perrexit ad duces Burgundiae qui nec eum videre seu loqui eum eo voluit; sed sicut a rege Francorum litteras accepit, capi eum jussit in Montibus Haemoniae atque deliberavit eum regi, per quod ipse dux notam contraxisse visus est infamiae. Cancellarius enim Burgundiae coepit onus aut se dixit in mandatis habere quod eum usque Peronam captivum duceret, et ibi rex miserat dominum de Sempiere, qui concite Parisius eum duxit captivum, et articulis in parlamento contra eum depositis, in Gravia decapitatus fuit, xix decembris, anno M° CCCC° LXXV°. Pilare quoddam in loco truncationis factum mox fuit eum titulo lesae majestatis, ratione ejus decapitatus exstitit, unde et in latino sculptum aerea lamina fuit ad perpetuam memoriam.

Detegit in bellis animos nil fortiter ausa  
Seditio, tantamque fugam meditata juvenus.

Anno Domini M° CCCC° LXXV°, magister Alanus de Rupe, Brito, qui Gandavi pluribus annis in domo Praedicatorum steterat, obiit in Zwollis, mirabiles editos libros in honorem gloriosae Virginis relinquens. Inter ceteros unum *De psalterio beatae Virginis* composuit, quem Reverendo in Christo patri Ferrico de Cluniaci prothonotario, transmisit, qui post breve dierum tempus, primo Tornacensis episcopus, deinde cardinalis effectus est, et obiit anno M° CCCC° LXXXII°. — Alios etiam libros edidit de reformatione ordinis sui ceterarumque religionum, praesertim in Rostyeh, ubi doctor effectus steterat. — Post quem frater Henricus Herpe, perdevotus et humilis doctor apud Fratres Minores in Machlinia floruit, qui *Præceptorium magistrale, Sermones* de dominicis et sanctis totius anni, ceteraque multa complevit memoriae digna. — Consequenter magister Leonardus de Nogarello floruit, qui composuit officium de Conceptione gloriosae Virginis Mariae, pro quo Sixtus papa IV<sup>us</sup> indulgentias magnas est largitus, quod officium per universum orbem acceptatur a Christi fidelibus. Tempore ejus Baptista de Mantua, Carmelici ordinis lumen singulare, scripturae stilum aureum applicando, versu et oratione claruit in dies excedens opera sua modernos, ejus exstat *Dyalogus de vita beata, Consolatorium hujus temporis, Introductiones in doctrinam Scoti*, necnon complura quae, vivente ipso, publice fabrefacta leguntur.

Impressus est hoc tempore Platina hystoricus *De vita pontificum Romanorum* usque ad Paulum II<sup>um</sup> inclusive. — Exstant *Cronica* cujusdam Anthonii, item *Fortalitium fidei*, in ejus libri fine de Johanne Portugaliae rege multa leguntur insignia, qui quidem genitor erat dominae ducissae Burgundiae, uxoris Philippi boni ducis et comitis, etc. Item Theodricus Pauli senior, canonicus apud Gorkem, opera sua *Cronicas temporum modernorum* distinxit. Magister Robertus de Lito, praedicator veritatis insignis habetur, qui publicavit cardinalem Bonaventuram nuper canonizatum a Sixto IV<sup>o</sup>; utiles etiam tractatus dereliquit. Verum non quod insignes hujus viae et vitae magistri faciunt, sed quod potius facere debeamus, imitemur.

## 1476.

Anno M° CCCC° LXXVI°, Karolus dux inglorius descendens a Suetonum congressu, contra Renatum, ducem Lotharingiae, in obsidione de Nanchy, conserta dispari pugna, prostratus est, Francis et Suetonibus coagentibus. Sic nobilis domus Burgundiae paene destructa remansit, in Maria ejusdem occisi ducis filia unica superstite, quam rex Franciae petiit filio suo dari uxorem, sed patriae consentire noluerunt. Ideo rex, anno M° CCCC° LXXVII°, maximas guerras admovit eisdem.

Anno Domini M° CCCC° LXXVI°, secundum aeram Romanorum, a Nativitate Domini nostri, sanctissimus in Christo Sixtus papa jubilaecum celebrare coeperat primum nunc

de xxv<sup>to</sup> anno terminatum in festo Natalis Domini nuperrime, quo secundum aeram Franciae adhuc duravit annus LXXVI<sup>m</sup>; et eodem hoc anno dux Burgundiae totam Lotharingiam suae ditioni stare coegit, homagium de multis nobilibus cum juramento suscipiens apud Nansy. Deinde versus Burgundiam pergens, reliquit patriam sub capitaneis, domino de Bevers et comite de Campobasso et ceteris Longobardis, et contra Suetones bellum instituit, primo in Granson, secundo apud Morath, et ubique Suetones victoria sunt potiti, de quibus bellis in suis locis. — Ipso die sancti Stephani dux Mediolani per quemdam in ecclesia, dum incumberet orationi, interficitur. — Eodem anno Francorum rex Perpignant amisit contra regem Arragoniae Johannem, cujus filius scilicet Fernandus princeps Navarrae, Henrici regis Hispaniae sororem potitus uxorem, succedere in regno Hispaniae conatur: quod regnum Henricus moriens reliquit filiae suae et regi Portugaliae Alfonso, qui propter gravissimas bellas contra eundem Fernandum gestas, amisso praelio grandi, descendit in Franciam. — Dum Karolus dux Burgundiae versus Zaboudiam contraxisset exercitum, eo quod Suetenses totam terram comitis de Rommont, fratris Philippi de Zaboudia, comitis de Bresse, vastassent et Gebennam pacem cum aliis locis spoliassent, invitatus a ducissa Zaboudiae ad defendendam patriam ascendit usque ad montem Sancti-Bernardi ut transiret commodius in Suetiam cum omnibus instrumentis bellicis adductis; sed non solum ea in congressu amisit, verum et omnia jocalia. Fugam arripuit, amissis nobilibus suis, et velut furibundus in suos, recollectit eos ac instauravit bellum secundario. Priusquam tamen ad secundum congressum pervenerit, loca quaedam accepit et defensores suspendit. Deinde accordari sibi villae de Fribourch et Brisach petierunt; sed ipse dux animo conceitatus renuit, et in obsidione villae de Morath residuum totum bello perdidit, ubi comes de Marle, primogenitus comitis Ludovici, conestabularii Franciae nuper decapitati, mansit et plures alii nobiles de quibus historia partialiter agit. Per fugam ipse dux Karolus salvans se applicuit in ecclesiam de Nazareth ubi mansisset [circumventus] a persequentibus nisi Lucenburgenses ad auxiliandum advolassent. Accedit autem hoc bellum in vigilia beati Johannis-Baptistae, anno M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> LXXVI<sup>o</sup>. — Porro dux Lotharingorum, Renatus juvenis, interim villam de Nanchy recuperavit, ejecto domino de Bevers, capitaneo ducis Burgundiae. Mox ipse dux Burgundiae direxit ad Flandriam pro succursu ad recuperandum Nanchy, et sub capitaneis domino Hymberto, comite de Nassou, et domino de Bergis, ex Brabantia et aliis partibus, fere un<sup>m</sup> diriguntur cum collectis pecuniis ad stipendia persolvenda. Sed cum ad extremum exitium duraret obsidio villae dietae, tempore hyemali, ignorans dux Karolus ad vitam ejus tollendam conclusionem esse per regem Franciae datam, qui fecit duces Lotharingiae cum Suetonibus et Francis expugnare duces Karolum, corruptis capitaneis mercede conductis per eundem duces Karolum, in vigilia Trium Regum, conserto praelio, miserabiliter oppressus dux Karolus cum multis baronibus sibi adhaerentibus occubuit, et a multis qualiter occubuerit ignoratur. Prostrato igitur

Balduino de Burgundia, fratre ducis, alter frater naturalis Anthonius de Burgundia cum pluribus acceptus est captivus ac Francorum regi deliberatus. Mox rex Francorum, paratam habens armatam, Burgundiae ducatum accepit et plura loca de comitatu. Deinde tot villae se regi dederunt tam in Picardia, Arthesia et Hannonia, quod lamentabile est referre, quia penitus capitanei de parte quondam occisi ducis conversi sunt ad ligam regis. — Eodem anno rex Portugaliae Alfusus arrestatus fuit per regem Franciae, cujus filius coronam accepit, aestimans patrem nunquam se visurum; sed tandem rex dimisit eum, et coronam suam resumpsit, guerrasque gessit contra Fernandum novum regem Hispaniae; sed dolo suorum, quae conquestaverat super eum, amisit. Deinde qualiter concertaverint haec regna, longum esset asserere. Hoc tamen plurimum Fernando regi ad possidendum regnum Hispaniae cessit, quod ex regina sua, sorore regis Henrici, filium suscepit. Nichilominus rex Portugaliae filiam ejusdem Henrici duxit uxorem, licet bastardam esse dicebatur, natam de judayca nobili domina. De quibus omnibus in suis patebit locis. Puteo tamen supervixit, et sic unicus ejus filius Alfusus successit, qui pacem cum Fernando rege fecit, anno Domini M° CCCC° LXXX°. — Post mortem ducis Karoli, relicta sola Maria filia ejus orphana, rex Francorum qui eam de sacro fonte levaverat, dixit omnem patriam confiscatam sub homagio regali situatam. Quapropter statim accersitis nobilibus a rege, pro domina Maria de Burgundia petierunt, si quid forefactum esset, reparare. Sed noluit audire Francorum rex, nisi in propria sibi filia deliberaretur, quod cancellarius libenter vidisset. Qua occasione de quibusdam accusatus, captivus in Gandavo factus, ipso die jovis in Coena Domini ante Pascha, decollatus est, et eum eo similiter dominus Guido de Humbercourt et dominus Johannes de Melle, servato electo sedis Morinensis in captivitate, qui dimissus aufugit ad regem Franciae. — Brisagum capitur, ante quod oppidum Karolus dux Burgundiae bellum horribile fecit, anno Domini M° CCCC° LXXVI°.

1477.

Mox quidam de filiis comitis de Vaudemont, Renatus nomine, propter ducatum Lotharingiae, cujus se dicebat dominum, diffidavit praedictum ducem Karolum, qui eum non posset simul expedire tam grandia, propter regem Angliae socerum suum Edwardum, qui apud Calisiam transfretaverat, anno Domini M° CCCC° LXXVII°, armata directa contra Lotharingos, descendit parvo comitatu in occursum. Ubi, dum convenissent, rex Angliae pacem requisivit a rege Franciae, cui detexit causam sui adventus, et mox culpa traditionis in caput Ludovici comitis Sancti-Pauli, conestabularii regni Franciae, conversa est, factisque treugis inter reges, transfretavit alter regum in regnum suum, et admisit alter ducem Burgundiae comprehendi sub treugis, ea conditione quod



comes Sancti-Pauli deliberaretur in manus regis, quo per cancellarium Burgundiae deliberato, rex decollari mandavit, et dux Burgundiae totam Lotharingiam conquestavit, eodem anno M° CCCC° LXXVII°. Relictis nichillominus apud Nancy capitaneo domino de Byevers et pluribus aliis, versus Burgundiam suam traxit se cum exercitu ad Suetones debellandos, qui invaserant dominia ducis Zaboudiae ac filiorum ejus, comitis scilicet de Rommont, etc. — Ducissa igitur Zaboudiae cautelose per suos directos evocavit ducem Karolum ad perpetranda gloriosa sicut animo recondita noverat inesse.

Dux igitur Karolus peragrande et montes et valles cum ingenti labore, traductis bellicis instrumentis quorum copiam secum ascendere fecit, transivit et venit in Sueviam ubi duobus gravibus bellis ab eis exceptus est, sic quod inglorius fugam coactus est arripere, nedum machinis aut suis amissis rebus, sed derelictis nobilibus multis in mortem, et quod urgebat pectus nobile, dolens amissam et recuperatam audivit Lotharingiam, cujus dominii nobiles sibi juramentum praestiterant anno superiori. Nil igitur in Suevos agere plus cogitavit, sed repetere principatum pro quo suo nimium infelici descendit omine de Burgundia; atque eodem anno scilicet M° CCCC° LXXVI°, quo passus est a Suetonibus ad extremum fortunae belli, passus est suorum non solum eladem sed traditionem, quam in ocausu suo concepit esse veram, a diebus aliquot machinatam per comitem de Campo Basso, Ytalianum, qui, dum bello maxime temptaretur, reliquit eundem. Ait gloriosius mori quam perpetuo defamari fuga belli, sicque nobilis ipse dux Karolus ad effectum signalis quod apparuit, perductus est violento gladio. Utinam hic ultimatus ejus effectus fuisset! Sed proeh dolor! timendum restat ultione Dei quaedam latere, quod omnes qui praenosticare possunt, sibi reservatum ignorant. Porro circiter xi<sup>a</sup> aut xii<sup>a</sup> die praecedente, per quemdam civem suum in ecclesia Sancti-Stephani, dux etiam Mediolani fuit interfectus; nec multo post bonus dux de Nemours Parisius publice decollatus est de mandato regis Ludovici, qui mox bello contra filiam ducis Karoli furorem evomit, in cujus auxilium Adolphus dux Gheldriae liberatus, a Francis qui Tornaci fuerant intronissi, circumventus, similiter occisus est anno Domini M° CCCC° LXXVII°. Quo quidem anno dux Clarentiae, frater Edwardi regis Angliae, sublatus exstitit, accusatus crimine lesae majestatis.

Karolo duci Burgundiae successit filia ipsius, domicella Maria, contra quam Francorum rex Burgundiam, Arthesiam, Picardiam et Flandriam continuo petiit bello sibi vendicare. Sed, vocato Maximiliano, qui cepit eam uxorem anno Domini M° CCCC° LXXVII°, propter motiones quae fiebant in Gandavo, Brugis et alibi, vix optinuit villas de Arthesia, Sanctum-Oudemarum quam rex obsedit et Ariam; alias autem rex cepit, misso forti garnisonno in Tornacum ad Hannoniam et Flandriam destruendas. Sed avertit Deus intentionem regis, licet, Casleto cremato, ubi de Flamingis victoriam ceperat, ultra Lizam plura dampna praedis et igne perpetraverit, et quamquam de Tornaco Franci similiter victores Adolphum Ghelriae ducem prostraverint, tamen finaliter prope Alde-

nardum dampnabilem dietam sortiti sunt; et ita sequenti anno, nato Philippo de Charoloys, inducie treugarum unius anni cum xl diebus ad finem pacis inter ipsum regem et ducem Austriae Maximilianum, Flandriae comitem, sunt concessae, anno M° CCCC° LXXVIII°, et per annum durabant. Tunc iterum ad guerras ventum est, et commissum est bellum grande in Bomy juxta Veterem-Villam, ultra Morinum, etc., anno M° CCCC° LXXIX°, ubi bene x<sup>m</sup> de Francis et m<sup>m</sup> de parte ducis periere.

Maria, filia sola Karoli ducis Burgundiae extincti bello juxta Nansy in Lotharingia, successit patri suo, anno Domini M° CCCC° LXXVI°. — Haec multa perpressa mala superavit in brevi regem Francorum Ludovicum adversantem sibi, per auxilium mariti sui nomine Maximiliani, ducis Austriae, filii Frederici III<sup>ii</sup> imperatoris, cui genuit filium nomine Philippum, anno Domini M° CCCC° LXXVIII°; tradidit autem comitatum Namurensensem nepoti suo Philippo, filio Anthonii avunculi sui, bastardi de Burgundia, qui mutuavit a principe Orengiae pecunias super eum. Unde post mortem ejusdem dominae Mariae, anno Domini M° CCCC° LXXXII°, praefatus princeps Glauco voluit pro se tenere castrum Namurensense.

Anno DCCCCLVI° Burgundia cesserat filiae quae nupta fuit Roberto, fratri Hugonis Capet, regis Franciae. Per quod patet succedere posse filias in ducatu, cujus contrarium Ludovicus rex asseruit anno M° CCCC° LXXVII°, contra Mariam filiam Karoli, et sui praedecessores ipsum ducatum filiae dudum adjudicaverunt ex Eudone relietae.

Anno Domini M° CCCC° LXXVII°, Francorum rex ad totam patriam gladio subjugandam anhelavit, et Tornacum regi mox adhaesit, ante quam civitatem Adolphus dux Ghelriae fuit prostratus. Deinde multa mala perpetrata sunt, donec Maximilianus, dux Austriae, filius Frederici imperatoris, duxisset dominam Mariam uxorem. Quae quidem praedicto viro suo genuit primogenitum Philippum, anno M° CCCC° LXXVIII°, ut in hoc versiculo patet :

ECCĒ VOĪS PROLES COELO MOX EXIIT ALTO.

Post obitum metuendi ducis Burgundiae, etc., scilicet Karoli comitis Flandriae, etc., qui de corpore suo solam filiam heredem reliquit, Mariam nomine, non valuit haec filia jus in successione ducatus Burgundiae et aliorum dominiorum sub regno Franciae situatorum optinere. Sed Ludovicus rex Franciae, circiter anno Domini M° CCCC° LXXVII°, traxit illico praefatum ducatum cum comitatibus Burgundiae, Cbadrolotano, Masticonensi, Authisiodorensi, Pontiviensi et Arthesii, magnamque partem Hanoniae. Insuper ad Flandriam et ad villas annexas omnibus viribus anhelavit. Unde graves bellorum insultus pro se servandis praefatae patriae, signanter Flandria sustinuit, sicut in sequentibus aliquantulum tractatum reperietur in fine copulatorum istorum, quemadmodum frater Adrianus corporalibus perspexit oculis, hujus libelli quondam fietor in monasterio Dunensi.

Karolus dux Burgundiae, egregii ducis Philippi filius, ultra vires in altum extendere famam quaerens, post conquestum Lotharingiae ceterarumque provinciarum, reversus de Suetia, ubi duobus bellis gravissimis humiliatus erat, cum eos subjugare temptasset, in obsidione villae de Nanchy, sitae in confinibus Lotharingiae, praeventus bello, succubuit. Cujus nobilis unica filia Maria successisset in paternis, nisi Francorum rex continuo praevenisset; et ideo, relicta liga sanguinis, conjuncta fuit Maximiliano duci Austriae, filio Frederici III<sup>i</sup>, Almanorum imperatoris, qui propinqua affinitate carnis sibi, ratione matris, Edwardi Portugaliae regis filiae, attinebat. Hic princeps magnus et unicus filius imperatoris propter distantiam regionum in gravissimis bellis paucam assistentiam habuit. Ideo rex primo Burgundiam ei abstulit, deinde Arthesiam et aliquas alias terras. Et miranda de guerris habitis referri possent, si euneta rite notarentur, quae supervenerunt post annos Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXVI<sup>o</sup>.

Comitatus Alostensis et terra de Denremunda, cum terra Quatuor Officiorum, in feodum ab imperatoribus olim observabantur, ad quas terras rex Francorum se jus non habere respondebat, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXVII<sup>o</sup>; sed asseruit Flandriam atque totam Arthesiam cum Picardia sibi cessisse, sicut et Burgundia tota, per confiscationem hereditatis ducis Karoli.

A gente Gothorum descenderat Karolus Burgundiae dux, etc., comes quoque Flandriae, qui bello cecidit, sceptri dum servat habenas insanus, Francorum rege Ludovico decipiente, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXVII<sup>o</sup>.

Machtildis, comitissa Arthesii, relicta Ottevini, pro jure paternae hereditatis vexata nimium, mortua erat Parisius, ubi placitaverat contra nepotem suum Robertum, filium Philippi de Arthesia. Qui Robertus, si bene deduxisset partem defensionis suae, fortasse optinuisset; et hac de causa Ludovicus XI<sup>us</sup> rex Francorum allegavit pro se comitatum Arthesii non debere separari a corona, post mortem Karoli ducis Burgundiae, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXVII<sup>o</sup>. Unde rex omnem occupavit comitatum, dempta villa Sancti-Oudemari, quae adhuc stetit anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXXII<sup>o</sup>; sed Aria se reddidit eodem anno.

Pronosticatum dudum fuerat, ex relatu ejusdam fratris Johannis de Bassigneyo, de quodam Judaeo in monte Thabor, anno Domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> XLII<sup>o</sup>, quod maxima guerrearum commotio fieri, exigente malitia hominum, debebat, et a tempore illo regnum Francorum subjacuit valde regibus Anglorum, qui se tytulo duarum coronarum insignire praesumpserunt, dicentes juste devolutum regnum Franciae fore ad regnum Angliae, tum per successionem, tum per conquestum principis Gualliae, filii Edwardi Magni, cujus mater filia fuit Philippi Pulchri Francorum regis. Nam post Philippi aetrium filiorum obitum sibi invicem in corona succedentium, non relictis masculis heredibus, Edwardus Magnus quoad descensum ejusdem sanguinis in ambabus coronis jus retinuit, quod ab eodem adhuc praetendunt repetere reges Angliae; sed penitus detrusi

fuerunt a regno, diebus hiis, per Karolum VII<sup>mm</sup> Francorum regem. Cujus filius ei succedens Ludovicus ad aliorum exterminia revocare conatus est per matrimonialem ligam filiae suae cum primogenito filio moderni regnantis Edwardi regis Angliae; qui quidem rex se satis difficilem reddidit, aliquo tempore, propter sororem suam conjugem illustrissimi Karoli ducis Burgundiae, etc. Quo in conflictu perempto, facilis ad ligam dieti Ludovici Francorum regis secreto videbatur, licet idem Edwardus occasione illa fratrem suum ducem Clarentiae mori fecerat anno M° CCCC° LXXVII°.

Ab imperatore Karolo magno, anno Domini D° CCC°, Brando, monachus Dunensis, tertium volumen Chronodromi incepit, et continuata pars ejus per additionem putatur in Karolum ducem Burgundiae, Lotharingiae, Lemburgiae, Brabantiae, Lucemburgiae ac Ghebrae, comitem Flandriae, Hannoniae, Arthesiae, Burgundiae, Namurensis, Hollandiae, Zutphaniae et Forrettae, dominum quoque Frisiae, Saliniensis et Machliniae, marchionem Saeri Imperii, qui in conquaestu Lotharingiae succubuit anno Domini M° CCCC° LXXVI°. Igitur a Maximiliano, filio Frederici III<sup>ii</sup> Romanorum regis et imperatoris, quarta pars restat addenda. Nam hic filiam unicam dieti ducis Karoli, Mariam nomine, sumpsit uxorem, anno Domini M° CCCC° LXXVII°. — Nichilominus Francorum rex Ludovicus XI<sup>mm</sup> invaserat utramque Burgundiam et alias circumjacentes patrias sub dominio Burgundorum existentes. Item, paucis villis demptis, ad se traxit totam Picardiam, terram de Pontivo, terram de Bolonia, necnon paene comitatus Arthesiae et Hannoniae, spoliatis villis de Atrebato et Cameraeo, etc. Verum provisione facta de filio qui genitus sit ex dietis duce Maximiliano et ducissa Maria, treugae concessae sunt anno Domini M° CCCC° LXXVIII°.

De effectibus illius signalis cometae qui apparuit, anno Domini M° CCCC° LXXVII°, secundum usum Romanorum, multa dicenda sunt eo quod abhorrent omnium corda audientium, quemadmodum exprimere pro parte praesumpsi de vicinis regnis ac principibus Franciae scilicet et Angliae. Quid autem de regno Castiliae seu Hispaniae dicendum est, non cum veritate possem enarrare, nisi quod propter bella quae evenerunt per mortem Henrici regis Hispaniae, rex Portugaliae Alfonsus expulsus, praeliis fortasse cupiens interesse nepotis sui Karoli ducis, descenderat ad regem Franciae, anno Domini M° CCCC° LXXVII°. Quo repatriante per mare, dum ad manus filii sui promoti in regem pervenisset, e contrario filius patri cessit et regnum Alfonso dimisit, qui proposuerat in opinione sua Terram Sanctam cum XII militibus visitare ac cuncta relinquere, eo quod Fernandus dudum princeps Navarrae, filius Johannis regis Arragonum, totum regnum Hispaniae, cum sorore defuncti regis Henrici, contra jus occuparet, et falsitate nobilium deceptus Alfonsus auxilium aliunde coactus sit conquirere; sed Fernandus in tempore praevaluit, qui, cum prolem masculinam ex regina sua suscepisset, anno Domini M° CCCC° LXXVIII°, quasi perpetuo stabilitus in regno permansit, quod cum filia regis Henrici, rex Portugaliae deplanxit, de quibus omnibus patebit. Ad prosequendum alios

effectus cometes, quid mirabilius auribus unquam insonuerit, audiamus. Nam eodem anno praenotato scilicet M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXVIII<sup>o</sup>, Maximilianus dux Austriae, etc., de conjugue sua nobili Maria de Burgundia, filia Karoli, filium suscepit; sed moti nobiles curiae de patria contra nobiles de Almania quos adduxerat Maximilianus, insurgere coeperunt, et quod evenit tandem patebit. Dux etiam Clocestre contra fratrem suum Edwardum regem Angliae arma levavit. Verum haec non tantum sunt ponderanda quam sint bella quae diebus istis summus Christi vicarius Sixtus IV<sup>us</sup> movit contra Florentinos, in quorum deletionem idem Pontifex vocavit Ecclesiae filium regem Ceciliae Ferdinandum, eo quod cives urbis Florentiae manus emiserant in ecclesiasticos, praecipue in cardinalem et episcopum Pisanum, adhaerentem illis de Paschis, qui libenter nummularios de Medicis annihilassent, quod non poterant perficere, licet tempore consecrationis in altari per illos impetiti tam inboneste et illicite fuerint Medicinenses, sic quod Laurentius succubuit gladio, fratre suo Cosma de Medicis evadente, qui mox, convocatis suis, irruit et quoseunque reperit tenentes ligam de Paschis vel mutilavit vel suspendit in magno numero, de quo flagitio summus Pontifex commotus, fulmine spirituali emisso, ad vindictam anhelavit, cum omnibus mediis persentiret solo gladio temporali fore subjugandos rebelles. Florentini vero petierunt a rege Franciae assistentiam qui mox inhibuit suis Romam accedere pro confirmatione seu gratia beneficiorum; sed, pragmatica sanctione revocata, substraxit obedientiam summo Pontifici, misitque gentes in auxilium Florentinis obsessis, sub ductore Philippo de Crieveeuer, supremo capitaneo de Arthesia, qui Philippus solebat pro domo Burgundiae, a qua discesserat, antea fideliter persistere; sed ipse, sicut alii traditores, contra domicellam Mariam de Burgundia, mox ut pater ejus succubuerat, conversus est ad regem ut eam destrueret. — Aliter de cometa quidam dixerunt, effectus ejus non duraturos annis quatuor aut quinque ad majus, sed per experientiam, sicut in resolutione satis tarda videbatur, sic etiam et effectus tarditate successerunt. — Ad gloriam igitur fidelium christianorum, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXVIII<sup>o</sup>, inclitus Hungariae rex, nomine Mathias, contra Turehos victoriam magnam reportavit, occisis fere XL<sup>m</sup> et captivis multis acceptis, ipsorumque fugato turpiter imperatore. — Item ad effectus quos versus Occidentem produxerit, generaliter referri posset quod evenit post concertationem regis Portugaliae Alfonsi contra Fernandum principem Navarrae, filium Johannis regis Arragonum, qui sororem Henrici, regis Hispaniae, duxerat uxorem, quo viam universae carnis ingresso circiter anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXV<sup>o</sup>, regnum ejus ingressus, occasione conjugis id sibi contigisse credens, vi et armis optinuit contra ducem Alfonsum qui filiam saltem putativam Henrici defuncti atque cum ea delegatum regnum occupare conabatur; et sicut fidem nobilibus inesse putavit illius regni, sic aggressus, guerram instituit duram, donec destitutus perfidia suorum, fuga se salvasset in descendendo pro subsidio ad nepotem suum Karolum, ducem Burgundiae, quo in obsidione de Nanchy

derelicto, venit ad curiam regis qui diebus aliquibus retinuit eum; et interea Ferdinandus conquestabat totaliter sibi regnum Hispaniae, in quo confirmatus hoc supradicto anno M° CCCC° LXXVIII°, filium natum de regina suscepit. Sicque motus guerrarum illie mitigatus est, quia rex Francorum etiam contra eundem novum regem de limitibus regni Navarrae certabat; sed induciis acquievit.

1478.

Hoc anno Domini M° CCCC° LXXVIII°, leaena Gandavi peperit foetus duos : quod a pluribus in portentum magnum dicebatur contigisse; nam catulis delatis supra Burgum, ubi comes Cadrolatanus Philippus educabatur, ferebatur ipsos puero arrisisse. — Eodem anno Turchorum imperator in brachio fortitudinis suae vindictam accepit ab ipsis Ungaris, et regna Dalmatiae, Croaciae, ceteraque dominia sub imperio devastando hostiliter invasit, Frederico III° imperatore non resistente. Quapropter exosum populo sibi subiecto sese reddidit, et Veneti eum Turcho foedus percusserunt.

Circa natale Domini festum, Francorum rex Ludovicus a Suetonibus refutata sua stipendia reacecepit; et Brugis a Burgundia descendit princeps Orengiae, dominus d'Arguel, succursum repetens in denariis quos expendit Burgundiae comitatum defendendo pro ducissa Maria de Burgundia, cui dux Maximilianus annuit restitutionem sibi fieri : qui de novis capitaneis constituendis provisionem fecit et ad Buseum-Ducis juxta markam Gheldriae se transtulit, ubi aliquandiu eum Ghelrensibus de concordia parlamentum habuit, praecipue per quem modum filius Adulphi ducis Gheldriae reponi posset ac reduci ad paternam hereditatem, unde difficultates graves exortae sunt. Johanne duce Clivensi conclusionem factam renuente, tandem accordatum est, rege Francorum in aegritudinem lapso. Qua necessitas sibi fuit auxilium implorare propter tiliarum inflationem ac ventris distensionem et ad Sanctum-Eutropium profectus est; unde dixerunt eum plures hac molestia defunctum, ejus contrarium mox post festa natalia docebatur, eum ubique fortificavit se pro patria Arthesiae defendenda contra suos adversarios. Nuper enim comes de Schalles, frater reginae Angliae, de Terra Sancta descenderat, in quam tetendit, post avunculi sui, comitis Sancti-Pauli, jacturam Parisius perpetratam. Quem ut rex audiret transfretatum in Angliam, timuit motionem eum posse perficere, eum a concordia treugarum regum Franciae et Angliae facta anno superiori sese substraxerit. Sed dominus de Hauwart, camerarius regis, sic laboravit pluries transfretando quod pacem procuraverit inter duos reges, nec ausus est dictus comes impugnare Francos. Nam maxima dona rex Francorum optulit tam regi quam reginae Angliae, ceterisque nobilibus regni, sub cautela servandi semper amicitiam eorum et quod de guerris se non intromitterent, quas rex Francorum in Burgundos et

Flamingos gerebat. Nam, quamquam treugas dedisset, nichillominus infregit eas, et in Burgundiam anhelans, eam post dampnabiles reysas fere totam acquisivit hoc modo : mareschallus enim Burgundiae pro denariis misit dominum d'Arguel qui et princeps fuit Orengiae, versus Flandriam, et Brugis diu mansit donec collecta sibi xvi<sup>m</sup> pro stipendiis praestarentur. Cui, dum per Lotharingiam iter faceret, in occursum sibi venit episcopus Methensis qui dixit capitaneos regis civitatem Dolensem occupasse fraude Suetonum intromissorum, propter Suetones ex parte regis, ea parte obsidionis jacentes, qua mutuo colloquebantur; et oblatis xii<sup>m</sup>, ignorantibus civibus partes assignatas defendentibus, ut moris est in oppugnatione, dum fieret ferventissimus insultus, intranei Suetones corrupti promissis extraneos Suetones intromiserunt ad portam quam debebant defendere, sicque factum est ut a tergo cives ad murum per intraneos interficerentur, unde crudelissime saevientes gladiis quoseunque defensores repertos tam nobiles quam cives occiderunt, ubi mareschallus captus est cum aliquibus capitaneis; sed dominus Glaudo de Vauldre, similiter in Rochefort praecooccupatus, reddidit compositione castrum et ad Basileam se transtulit ubi dominum d'Arguel reperit et plures fugitivos de nobilibus ex Auxona, Salinis et Besunchio.

Obiit, hoc anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXVIII<sup>o</sup>, magister Ægidius de Roya, doctor sacrae theologiae, postquam Dunis xviii annos complevisset in professione, sub dompno Johanne XXVII<sup>o</sup>.

*Epitaphium magistri Ægidii de Roya.*

Dunis erat monachus stabilis fideique minister,  
 Uber in artibus exstat Ægidius ipse magister  
 De Roya natus, meus, antea quam moreretur,  
 Praeceptor : supplex Deus hinc sibi propitietur!  
 Omnia tempora gesta, prioraque quando fuere,  
 Utiliter nimium fateor, per eum patuere.  
 Jherusalem Novae tumulo jacet atque quiescit.  
 Tempora pessima, secula perdita qui modo nescit,  
 In leve condit opus, gratis ex quo mira resolvit,  
 Et Cronodromonis vocat hoc quo tempora volvit.  
 Moribus hic humilis fuit, actibus hic perhonestus.  
 Siccine vivite simplice tramite, quique potestis.

Nota quod varias additiones in circonfrentiis frater Adrianus extraxit de volumine conflato Lovanii circiter anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXVIII<sup>o</sup>, quo tempore defunctus est insignis doctor sacrae theologiae, magister Ægidius de Roya, qui Dunis eum praefato professus fratre stetit xviii annis.

Brugis eodem anno Philippus de Austria natus est xxi<sup>a</sup> junii, comes de Charolois; sed anno necdum completo, rex Burgundiam totaliter invasit, et ideo dux Maximilianus,

inducis expiratis anno LXXIX<sup>o</sup>, cum exercitu pergens ultra Morinum, bellum grave commisit contra Francigenas, ubi fere xxii<sup>m</sup> perierunt; et totum conquestasset praefatus dux, hac obtenta victoria, si processisset. — Dominium de Bethunia a Maria de Burgundia rex substraxit eodem anno.

## 1479.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXIX<sup>o</sup>, post Pascha, rex Francorum, accepta Burgundia totali, priusquam exspirassent induciae treugarum, pacem fecit cum Fernando, novo rege Hispaniae, Arragoniae ac Navarrae; et mox bastardus Sancti-Pauli, dominus Haurbourdin, cum domino de Boussut, subtiliter castrum de Cameraco ceperunt, Francis emissis a civitate, nec mora de manibus etiam Francorum ceperunt Bohain et Crieveeuer. Sed Philippus de Cordes, capitaneus regis super Arthesiam, collectis armigeris, aliqua recuperavit, et antequam exspirarent treugae, fortiter munivit passagia totius Arthesiac, misitque rex thesaurum et jocalia pretiosa regi Angliae, navigio praeparato apud Boloniam; sed comes de Rommont factus generalis capitaneus maris abstulit navigia regis Francorum cum bonis et apud Hagam recondidit plurima. Deinde mandatus venit Brugis et restitutionem dare noluit Anglicis dicentibus jam illa bona non Francorum sed Anglorum regi pertinere. Comes vero praefatus versus Sanctum-Oudemarum ad duces Maximilianum iter accepit et, mediantibus bonis illis, circa xxii<sup>o</sup> julii contra regem cum praefato duce praeliaturus campos elegit. — Eodem tempore princeps Orengiae litteras direxit praefato duci Maximiliano ne prolongaret treugas cum rege Franciae, quia jam eum villis de Friboreh, Brisach, Basiliae et ceteris tractatum inierat ut auxiliaerentur ad conquestandum ea quae tam in ducatu quam in comitatu rex occupaverat.

Si consequenter effectus cometis relucens pro anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXIX<sup>o</sup> referri debeant, ad aeternum cessit opprobrium quod Venetiani cum imperatore Turchorum foedus inierant, cujus filium cum apparatu bellicoso intromiserunt ut Ytaliam armis impeteret, eo quod Ferdinandus rex Ceciliae et Arragoniae contra Florentinos summo pontifici Sixto IV<sup>o</sup> tulerat auxilium: de qua materia suis tractari posset locus ad longum, quia lamentabile fuit quas Ecclesia tribulationes perpessa diebus istis fuerit, audire. Serpebant ubique bella tam in Oriente quam Occidente et Meridie. De vicinis et contiguis, praecipue Flandriae limitibus, hoc est sciendum quod dux Maximilianus sollicite procurare coepit ut ad ligam amicitiae Gheldrenses ac Leodienses traheret ut, illis pacatis, arma contra suum adversarium, regem Franciae, deportaret. Unde direxit dominum Guillelmum de Clugny, Tornacensem episcopum, cum aliis deputatis ad eos pro tractatu seu bono medio pacis; sed difficulter Gheldrenses consensum adhibere de treugis, duce de Brunneswye regente contradicente, qui contra Clivenses et Brabanti-



nos continuare guerras petiit. Leodienses vero repetebant omnia cum emenda restaurari sibi, per Karolum duces Burgundiae dudum ablata; sed relaxata sunt eis tributa, privilegiaque condonata reparandi Dynantum vel alia demolita cum ampliatione Trajecti supra Mosam, etc., unde satis neutraliter se tenere promiserunt, quamquam Francorum rex ab eis requisierat transitum ad Lucenburgiam occupandam. Antequam igitur expirassent induciae quae stabant inter regem et duces Maximilianum, multa ac varia de legatione contigerunt responsa data tam a regibus Angliae, Scotiae, Hispaniae et Aragoniae, qui direxerunt ad curiam dieti ducis suos Brugis, ubi praefatus dux renovat ordinem Aurei Velleris. Tandem, institutis capitaneis et communitate vocata, dux Maximilianus apud Sanctum-Oudemarum deliberavit de bello contra regem Franciae temptando. Fecit igitur adduci de Insulis machinas ad obsidendum Morinum, in quo latitavit regis Francorum armata fortis; et erat capitaneus pro Francis in Morino, dominus Sancti-Andraeae, Normanus, ad quem dux Maximilianus heraldum suum direxit ut ei locum quem injuste tenebat, amicabilem resignaret. Ipse vero respondit quod post Deum, neminem quam Francorum regem dominum haberet. Admovit igitur exercitum et machinas dux praefatus, et circiter xxviii julii civitatem praefatam obsedit cum xxv hominum, cujus capitanei Petrus de Lucenburgo, comes Sancti-Pauli, Jacobus comes de Rommont, frater reginae Franciae, Philippus de Burgundiae, Philippus de Ravestejn, Johannes de Fiennes, dominus de Hautbourdin, bastardus Sancti-Pauli. Audita obsidione Morinensi, rex Francorum heraldum primo, deinde nuntios ad duces Maximilianum direxit ut ea conditione tractarentur treugae quod resignaret rex Hesdinum, Bethuniam et alia loca. Nichilominus capitaneus regis, Philippus de Cordes, alias de Crieveeuer, collectis fere xvi aut xviii, per modum insidiandi descendit prope Morinum ad impugnandum exercitum ducis, qui dum a suis quid agendum esset seiscitaret, consuluerunt quidam treugas dare, quidam vero dixerunt non expedire, cum jam in Burgundia princeps Oregiae cum capitaneis Almaniae recuperasset aliqua loca, dietamque pro se, mediante divina gratia, optinisset. Nec mora litterae confirmationis hujusmodi supervenerunt de manu dieti principis, rogantis instanter duces Austriae, Burgundiae, etc., ne contraheret aliquas inducias cum rege Francorum. Circa igitur initium mensis augusti, rex, collectis multis, descendit; sed dum audisset duces Austriae ab obsidione Morini, relicta sufficiente provisione pro continuatione facienda, introrsus ascendisse cum fere x aut xii electorum virorum ut ubicumque debellare posset tam regem quam suos, rex iter retorsit et Philippo domino de Cordes, dieto Crieveeuer, cum ceteris capitaneis commisit ut bellum deliberarent ipsi duci Austriae. Circa igitur vii augusti, dux praefatus et sui convenerunt prope Bomy ut Francos debellarent, quod factum est perpetrata caede magna. De quo versiculus iste :

— Bellum apud Bomy in dominio Veteris-Villae, quod dominium pertinuit Philippo de Burgundia, domino de Bevere, hoc modo perpetratum est. Rex in propria non comparens, misit loco dolphini sui, regentem ipsius, dominum de Lude, eum copia permaxima virorum, qui dum apud Hesindeum applicuisset, ibidem concilium tenuit magnus ille capitaneus, cum Philippo de Cordes ac ceteris capitaneis de diversis locis Arthesiae qui eum garnisonis sibi commissis ibidem advenerunt, et deliberatione capta per triduum, concluderunt ordinationem aggrediendi ducem Maximilianum et ejus exercitum in obsidione vel alias, jam certificati apud se ne posset evadere manus eorum; sed longe dissimiliter evenit effectus belli. Nam dum capitanei ducis praefati persentirent adesse Francos et campos ad duo miliaria servare, suaserunt solvendum obsidionem a Morino et in praecinctu praecoccupare Francos. Circa igitur horam post meridiem a Morino se dimovit exercitus et cum aliquantis levioribus machinis ad pugnam praecessit, majoribus apud Ariam directis. Subsequabatur autem apparatus curruum cum rebus ac victualibus, quos invasit garnisonus a tergo de Morino, domino Philippo, dicto de Ravesteyn deputato pro defensione non occurrente; unde magna strages et dampna plurima fuerunt illata nostris tunc occupatis contra Francos, qui ab hora quarta diei sabbati, quae fuit vii<sup>a</sup> augusti, nostros impugnaverunt usque ad decimam horam. In crepusculo noctis irruerunt autem super ultimam custodiam, et pacifice primam transire dimittentes ex qua potior pars fugam inivit, relictis instrumentis suis, quibus ipsi Franci nostros impugnabant continuo donec, recuperatis ipsis, pars nostra jam victoriae propinquior appareret, quum, dimissis equis, dux Maximilianus cum picariis fortiter instabat ut equitatus Francorum qui ab utraque parte cum alis suis obpugnare quaerebat eumdem, non posset in eum praevalere. Fiebat igitur in acie ducis fortissima resistentia. Sic tamen a Francis laecessita est ut ad penetrandum prope vexillum ducis conarentur, et illud conculcatum est praelio, quod relevavit ipse dux, flexis genibus, adhortans suos ne desererent ipsum. Agentibus igitur Brugensibus et Flamingis, repulsi sunt inde Franci; sed circa octavam horam iterum convenientes, impetum fecerunt in jam doctos et animosos resistere, capitaneis adunatis ipsius ducis; et ibi, si fortior insultus per Francos aestimabatur dari, totis viribus a nostris resistebatur, et in fugam omnes conversi sunt post gravem caedem eorum, atque caede non parva fuerunt usque ad decimam horam noctis insequuti, rebus bellicis atque suis victualibus relictis. Unde compertum est quod etiam populus terrae planae mactaverit plures, audita victoria ducis Maximiliani. Fertur igitur prope xv<sup>m</sup> vel ultra periisse de Francis, sed ejusdem ducis griffarius suis litteris affirmavit esse prostratos xii<sup>m</sup> aut xiii<sup>m</sup> virorum pedestrium et iii<sup>o</sup> lanecatorum, etc.; de nostris autem vix ii<sup>m</sup>. Cecidit igitur supremus capitaneus Francorum, dominus de Lude, secumque plures de Dolphinatu, quorum necdum nomina reperta vel delata sunt ad nos. Sed hoc verum est quod frater domini de Renty ceciderit inter ceteros Arthesienses et Philippo de Cordes adhaerentés, qui fugam

petiit cum paucis et apud Boloniam intromissus naves suas mari mox commisit. Dieta haec divino nutui pro victoria fuit attributa, cum Franci fere  $ii^m$  lancearum et pedestrium  $xv^m$  adduxerant supra ducem Maximilianum, qui vix  $viii^o$  lanceas ac  $x^m$  hominum secum habuisse refertur. Fuerunt autem vulnerati plures ex nostris, praecipue comes de Rommond, et ceteri omnes una cum duce sese receperunt in Aria. Et quia dominus de Maingny, capitaneus Bethuniae, ceciderat in bello, illi de Sancto-Paulo sese reddiderunt duci Maximiliano, deferentes thesaurum dieti capitanei apud Ariam. Similiter dominus de Creequ gratiam requisivit, qui plures ex Francis fuga lapsis occidi jussit. Ceciderunt in bello de Vieuville apud Bomy : dominus de Lygny, ex Hannonia, dominus Ludovicus de Schura, dominus Jacobus de Halewin, supremus ballivus villae Brugis, in cuius locum dominus Rolandus de Halewin successit; cecidit magister Anthonius de Halewin, dudum regens Hollandiae, Galienus Cohus, ballivus de Bergis Sancti-Winnoci. Item ducis praefati magister artelgeriarum Balduinus Quistebout, ballivus terrae Quatuor-Officiorum et quamplures quorum nomina sequuntur : marchio Antwerpiensis, filius comitis Louchart de Lueenburgia. Adrianus de Polinehove rediit. Item cecidit dominus de Elverdinga, filius Cornelii de Burgundia, Flandriae suwereyn, et Balduinus Quistebout fuit reservatus a rege propter amorem villae Gandensis, quem rex apud Aurelianis promovit, deditque sibi conjugem nobilem atque locupletem. — Captivi facti bello de Bomy : primo de nostris, magnus comes Polaniae, ducis camerarius, dominus Johannes de Gruuthuuse, Judocus de Baenst, dominus de Merve, frater domini de Moerkerke et quamplures quorum taentur nomina, quorum occasio fuere domini Philippus de Ravesteyn et dominus de Mangoval; nam fugientibus ipsis, primo Franci sunt insequuti posteriores et, pluribus occisis, paucos servavere captivos ex resistantia nimia, quoniam furor incallescibat in pugna. — Sciendum de praedicto bello quod dominus de Mangoval cum  $c$  lanceis, et similiter Philippus filius Adolphi de Ravesteyn, cum totidem, necnon usque ad  $iii^o$ , sese substraxerunt. Unde dux Maximilianus et sui perdiderunt joecalia sua quae tulerunt Morinenses. Perdidit autem dux sigillum suum et omnem suppellectilem de vasis et catheris pretiosis ac torquibus. Significavit autem hoc dux capitaneis de Morino, quatenus si restituere vellent aut non, super hoc responsum darent; sed quid actum sit, in sequentibus patebit. Nam plures nobiles eum  $viii^o$  lanceis ab utraque parte vexare coeperunt eos et impediunt succursum fieri, saltem in hominibus et victualibus, ad quod inardebat Parvus Salazart, miles creatus, qui una eum aliis varios agebat in eos cursus nocte dieque; cepit enim commissarium regis, qui denarios ejusdem putabat in Atrebatum deferre, ubi rex recolligebat dispersum exercitum. Nichillominus apud Ambianis et alibi rex iterato ad invadendum instituit exercitum magnum valde, qui propter epidimiam dissolvebatur in brevi; nec potuit rex convocare nobiles occasione perieuli talis per totum regnum invalescentis; sed ignobiles et extraneos ad bella coegit, scilicet Suetones.

Hoc anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXIX<sup>o</sup>, dum bella geruntur in terris, non minus in aquis adversati sunt invicem homines; nam instante piscationis tempore, pro captura diversorum piscium et maxime allecium, Hollandini, Zeelandrini, Flamingi conjunxerunt se, fere classe m<sup>o</sup> navicularum, sub conductoribus magnarum navium quas partim villae, partim domini paraverant, signanter dominus de Vere maris admiraldus et ceteri. Pro defensione igitur piscatorum, circa septembris initium mari se dederunt, quod percipientes Franci de virtute providi ad praeliandum, quasdam maximas naves praeparando, praemisissent parvas et veloces naviculas quibus mox renuntiata fuerunt nova quod aliquae naves Hollandinorum pro reparationibus necessariis fuissent juxta Scherenbouch in Anglia. Applicantes igitur Franci primo cum parvis, deinde cum magnis navibus, et imparatos omnes Hollandinos reperientes, eorum aliquas naves combusserunt, occisis et captis reliquis. Post hoc aggressi pisces ex ipsis plures ceciderunt et se defendentes in mari cum navibus submerserunt. Postea rex Franciae sciens mare tranquillum direxit nuntios ad Edwardum regem Angliae, quatenus assistere sibi dignaretur in bello quod iterato ducere paratus erat contra Flamingos, qui cum eorum duce denuo paraverunt Morinum invadere. Sed Anglorum rex suam exeusationem egit maxime propter epidimiam regnantem, qua de filiis suis unum amiserat; nam tam invaluit illa pestis ut in brevi x<sup>m</sup> hominum apud Londoniam periisse referantur, unde nec locus patuit in regno suo quem non invasisset infirmitas hujusemodi. Proinde rex Edwardus pacem cum rege Scotiae stabilivit, dans unam filiarum ejus filio dicti regis, et comes de Schalles cepit sororem regis Scotiae sibi conjugem ad majorem pacis confederationem, non obstante quod apud Berwarvie pater regis dicti magnam partem Angliae substraxisset; et si supervixisset, sicuti conjuraverat, totam Angliam occupasset, sed ietu bombardi percussus obiit: cui nomen Jacobus, cum media parte faciei rubea, de quo rege suis locis patet.

De Anglia. — Tumba Richardi quondam regis Angliae, sicut a multis videbatur, se aperuit, et quasi pendens absque retinaculo lapis desuper in aere levabatur, in quo portentum alicujus miraculi credebatur. Erat enim hic rex miserabiliter occisus; anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup>.

Item in eodem regno completa propheta fuit anno quo supra, quando scilicet cornix nidificaret in cruce lapidea, quae supra plures gradus lapideos erecta stat in vico, quo itur in palatium, tunc illico strages et humani sanguinis fluxus evenirent per bella et dissensiones, quae a brevi tempore maxime regnum illud expertum est. — Eodem hoc anno rex Edwardus, ob intolerabilem epidimiam, tota aestate se tenuit in campis apud Northumberlandt.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXIX<sup>o</sup>, prima octobris, apud Ariam dux Austriae Maximilianus ordinavit exercitum sub diversis capitaneis qui de locis diversis advenerant, duce scilicet Juliacensi et Barbato Ardenensi atque Apro ex Almania. Unde comes de

Rommont oppugnando castrum de Malannoy cepit illud, aliquibus ex fervore muros ascendentes occisis et aliquibus ex pulvere combustis, unde tam capitaneus loci, quamvis esset nobilis et offerret pro vita multa se daturum, quam omnes satellites sui fere lx jugulati sunt. Quo facto, castrum de Bleties demolitus est. Idem comes et villam de Lilliers conflagrari fecit. Quae cum fierent, a Bethunea et a Morino garnisonus exivit et quosdam de domo Philippi de Burgundia, filii Anthonii bastardi, praevenit, quos captivos abduxit; et hii conclusionem significaverunt, qualiter dux cum exercitu suo, relictis dietis villis, ascensurus esset ad alia loca, et sequutus est garnisonus a tergo ducis exercitum ultra Pernes prope villam Sancti-Pauli in qua fere v<sup>o</sup> Suetones intro-missi fuerant, et ibi comprehensus est. Villa etiam sese cupiebat in gratiam assumi, cum non jam Philippus de Crieveueer aut aliquis ex parte regis appareret ad resistendum exercitui Burgundorum; sed proehdolor! exercitus praecipue Flamingorum propter ventorum et pluviarum tempestates atque ceterorum solationum incommoda, quae pati more suo noluerunt, reditum aliis vociferare coeperunt, sic quod, datis signis, recessit ipse dux Austriae cum toto exercitu et venit, pergens ante Attrebatum, Insulis, ubi, dissoluto exercitu, remisit plures in propria, plures vero retinens ad oras tuendas, diversis in locis, per villas Flandriae locavit. — Haec omnia consilio Methensis episcopi facta dicebantur, qui cum ipsis capitaneis Francorum de Morino ac de locis aliis Arthesiae subtilem colloquendi modum adinvenerat. Disperso igitur exercitu, mox dominus Sancti-Andreae et Johannes de Bellay, ex Morino vocatis aliis stipendiatis regis fere ad viii<sup>m</sup> hominum, occidentalem Flandriam ingressi, nemine resistente, ceperunt castrum primo de Sparlake, deinde totam terram dictam den Houck, multa perpetrantes enormia. Temptabant etiam Suetones qui cum ipsis erant, ripariam juxta Gravelingam transire, qui, misso igne, defensores Flamingos in Brugboreh coegerunt; sed, adveniente comite de Romont, ipsi sese omnes retraxerunt, et ob aquosa terrae itinera certifficati de pauca resistantia danda, cum hiis qui apud Attrebatum sub domino de Baudricourt et aliorum locorum capitaneis exierunt, se junxerunt. Isti transeuntes Pontem Wendin venerunt usque Carvinum prope Tornacum, sperantes ingressum a civibus sibi non denegari, qui confederati tamen Flamingis, non admisserunt eos. Quamobrem omnem circum-circa regionem depopulati sunt usque Duacum, quam villam a victualibus ministrandis per Insulenses et alios impediunt, mandavitque rex jugulari captivos et igne ac gladio consumi territorium Insulense. Mense novembri de Bruxella descendens dux Austriae venit Gandavum, facturum petitionem in provisionem defensionis patriae contra Francigenas. Qui cum exposuisset suam querelam ex defectu denariorum, suprenus decanus officiorum ex ore civium villae loquens, requisivit audientiam sibi fieri: qui graviter ferens petitionem ducis iterato de pecuniis agentis, adjunxit velle computationes collectarum pecuniarum agnoscere priusquam assentiret eidem. Cui dux perditionem patriae desiderare subjunxit, et continuo respondit, nisi provideret aliter, ipsum accusandum

potius esse per quem malum eveniret : « Assunt, aiebat, hic, et audiunt qui fraudem » in armata nuper moliebantur, nec aliud secreto petunt quam Flandriam regi Francorum subjugare. » — Tum dux : « Vos eam sic tradetis. » — Et mox decanus : « Sit nobis ipsius defensionis cura; vos autem domi cum conjugate residete. » — Dux ergo dietam aliam statuit in principio decembris scilicet apud Denremundam, ubi convenerunt membra patriae; sed supra Gandenses interea constituitur dominus Johannes de Dadizeele, supra Brugenses vero dominus Johannes Junior, dictus de Nova-Curia, qui West-Flandriam tutaret, eo quod ante villam Sancti-Audomari crebro Franci de Morino cursus agerent, et nisi, ut praefertur, auxiliarentur in brevi, abbas Sancti-Bertini missus a civibus dietae villae asserebat ultro se resignaturos villam capitaneis regis Francorum. Super hoc ergo status communis Flandriae providere curavit et taxavit universas villas ac territoria, sic quod ad sonum campanae quilibet accinctus occurreret sub constitutis capitaneis a comite, unde parati numero CL milia hominum inventa sunt. Hoc mense certificatum fuit litteris ex Francia per quosdam favorabiles regem veraciter, divino forte nutu, in lepram incidisse. Quapropter Anthonius bastardus de Burgundia suscepit onus cum Philippo de Crievecuer refrenandi rebellionem comitatus, quam primum videretur expediens aut oportunitum. — Anno quo supra M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXIX<sup>o</sup>, domina ducissa Maria filiam est emixa, XI<sup>a</sup> januarii, cui nomen Margareta, eo quod antiqua ducissa Burgundiae, domina Margareta, eam levaverit de sacro fonte cum domina de Ravesteyn et principe Oregiae, apud Sanctam-Gudulam. — In fine novembris armata grandis de Attrebato descendit ante villam de Insulis, et suburbia cum molendinis circumquaque combussit, arbitrato quod sic Insulenses a ministracione victualium quam armata manu Duacensibus consueverant porrigere, desisterent. — In principio decembris terra Flandriae de Houek ab Anglicis occupatur; eoque villa Sancti-Audomari resignare se ipsis maluit quam regi Francorum, qui tam abhominanda perpetrari mandasset in omnibus locis atque villis Arthesiac; sed capitaneus villae praefatae, dominus Philippus de Burgundia, plurimum obstetit et omnimodo dissuasit, dicens per dominum Philippum de Cordes capitaneum Arthesiac fideliter observandum ne civibus hoc eveniret quod timebant.

IX<sup>a</sup> decembris dominus Johannes de Dadizeele collectis viribus ascendit montem de Casleto, cujus adventu comperto, cuncti Francigenae fugam celerem arripuerunt et paulo post reversi sunt de Morino; sed apud Balliolium, ne procederent, insultatum eis fuit. Mansit autem praefatus Johannes in monte per XV dies et licentia vit Flamingos, collocatis n<sup>o</sup> Anglicis, et apud Rugerschure dominus Ludovicus Crane cum ceteris hominibus se transtulit; sed audientes Francigenae decessum exercitus continuo territorium repetunt, et primo combusserunt Ruminghem, deinde loca citra Lisam, nec ausi sunt reliqui ipsis occurrere. Sic cursus facti sunt a Nativitate Domini fere usque ad exitum februarii, priusquam exercitus Flamingorum adumari potuit, quamvis plures super

hoc conventiones observarentur. — Diebus istis, filius imperatoris Turehorum in gravi multitudine transitum habens ex Cypro atque per Venetiam in Polaniam et Ytaliam, descendens provincias subjectas imperio seu sedi apostolicae coepit impetere gladio et subjugavit fortalitia plurima, partim deditioe, partim demolitione, factaque fuit inter Christianos et Turehos crudelis effusio sanguinis et in oppugnatione strages non parva Turehorum, quorum imperator juravit Romam se capturum in manu forti. Quapropter Sixtus Pontifex cum Florentinis composuit et Fredericum imperatorem advocavit ut cum Ferdinando rege Neapolitano se Turebis objiceret; sed a vicinis regibus et principibus infestatus, vix se defendere valuit. Postquam igitur Florentini pacem adepti essent cum Romanis, Veneti sunt ab eisdem impetiti, de quibus alibi.

Nota de Renato rege Jherusalem ac Ceciliae qui in artato loco Provinciae degens picturis ymaginum operam praestitit, contentus lare suo pro regnis amplissimis, et obiit.

Ad meridiem, Barbari ex Africa non solum inferioris maris insulas sed ipsa quoque Ytaliae littora classibus infestant; in Occidente magnam Beticae partem quam vocant Granatam mari occupant et Hyspanos reges agitant.

## 1480.

Anno dominicae Incarnationis M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXX<sup>mo</sup>, Maximilianus Austriae dux atque comes Flandriae, status patriarum suarum apud Gandavum iterato convocavit et conclusit devastationem totius Arthesiae proximo vere faciendam: quod abeuntes quidam significaverunt regi Francorum, qui mox de Burgundia et aliunde revocans capitaneos illos, per omnes villas Arthesiae collocavit. Verum dum dux Britanniae cum villis resignatis regi tractaret, in expiratione treugarum, sese, relicto rege, converterunt ad duceem, eligentes se potius defendere quam jugum ejus sustinere. Sic guerra nova coepit, Anglicis ad partem eorum satis se inclinantibus. Sed quid evenit, patebit in sequentibus. — Eodem anno domina duxissa Maria de Burgundia peperit filiam apud Bruxellam Brabantiae circiter xii januarii. Ipso die beati Anthonii confessoris, in eodem mense convocavit dux Austriae status patriarum suarum apud Machliniam, eo quod villa de Aria per dominum de Gapalmes pene tradita fuerat in manus Francorum qui cotidie cursus agebant in Casletenses; et vocato capitaneo dietae villae, scilicet Philippo de Burgundia, fuit institutus dominus de Cohem, qui dietus est etiam dominus de Axella. Primo igitur de Ghelrensibus iterum tractatus observabatur de pace contrahenda, quamvis difficulter in ea dux Clivensis assentire vellet propter locorum resignationem; percussum tamen foedus erat. — Apud Bruxellam circiter xvi<sup>m</sup> januarii, nuntii regis Hispaniae Fernandi sunt admissi, qui ligam requirentes renovari pristinam, dixerunt comitem Funsensem ab avunculo suo rege Francorum descivisse et adhaesisse praefato

regi propter regnum Navarrae, in quo comes a Fernando germano suo fuerat institutus. Nichillominus rex Francorum pro III<sup>o</sup> Fredericum, regis Neapolis filium, praetulit. — Eodem hoc mense, Francigenae Casletum combusserunt denuo; sed defensum reliquerunt castrum, et mox de territorio Bergensi fortificaverunt locum iterato contra eos, cum v<sup>o</sup> hominibus. Quidam secretarius nomine Oliverus a curia ducis Austriae, comitis Flandriae, se retraxit et ad regem ivit per Calisiam cum litteris sigillatis per eundem regem. Mox dominus Philippus de Cordes, alias Crieveeuer, ingressus Calisiam, cum consilio regis Angliae contraxit secrete novam ligam; quo audito, plures colubrinarios destinavit dux praefatus in villam Sancti-Oudemari. — In fine mensis januarii, filius domini de Bergis supra Zoman, dominus Cornelius se retraxit cum domino Ludovico de Crane, in castro de Rugheseura. Quod audiens capitanei de Morino castrum obsederunt. Sed illico gentes domini Corneli faetae obviam exceperunt eos, et, interfectis fere LXXV<sup>o</sup> Francigenis, in fugam verterunt. Eodem tempore, Haquebae factus captivus in Morino cum XIII hominibus evasit et apud Sanctum-Oudemarum detulit ferramenta captivitatis suae, qui, mox exiens cum suis, cepit capitaneum a quo captivus ipse pridem tenebatur. Quam reyszam bastardus de Walseapple fertur perpetrasse, cujus avunculus dominus Galterus per quosdam a captivitate Francorum liberatus, jam pridem evaserat, credentia facta de XII<sup>o</sup> librorum grossorum. Quamquam igitur aliquando fortuna nostris arriserit, nonnunquam tamen graviter mordebat eosdem et hoc subtiliter. Ex comitatu Guisnensi in quem Angliei Francos admisere, pro cursibus agitantes circa villam Sancti-Oudemari vel Gravelingam, atque hac occasione repulsis Anglicis de loco illo, locatisque apud Casletum, dominus Rolandus Halewyn cum suis ingressus est. — Soluta consilio quod apud Machliniam et apud Antwerpiam dux celebrabat, iter versus Hollandiam fecit, et versus Sanctum-Oudemarum plures stipendiarii sunt directi, Philippo de Burgundia, domino de Bevere, misso Namureum, sicut dominus Karolus de Saveuze retulit Dunis hospitatus XX<sup>o</sup> januarii.

Circa idem tempus ex Anglia descendit magister Johannes Gros, audientarius ducis, et a rege Edwardo secreta plura suscipiens, retulit inter cetera quod regina dieti regis advocavit unam de filiabus ejus in praesentia, dans intelligere quod pro ea praefatus magister venisset ex Hispania, quatenus conjugio filio regis Hispaniae copularetur: quae respondit se nolle ducere neque Francum, aut Hispanum, sed Burgundum. Ex quo rumor exiit quod juneta fieret Philippo de Burgundia. Quid autem evenit, ad lucem tam cito non prodiit, liga treugarum duorum regum perdurante.

Fredericus, primogenitus filius Ferdinandi regis Neapolitani et Ceciliae, vocatus a rege Francorum in regnum, tradidit in dotem matrimonii quidquid juris habuit in terris dudum regi Renato nuper defuncto subjectis, eo quod ipse Renatus rex eum heredem suum reliquisset, et pro III<sup>o</sup> coronarum invadatum sibi eum praefatis terris tradidit comitatum de Rouehillione, sicque nova lis ibidem exorta fuit. — Circa finem



mensis januarii, gentes domini de Fiennes et comitis de Nassau, infractis Francigenis, pene ad c equestres prope Tornacum, in via quae ducit ad Insulas, prostrati sunt. Comes vero de Nassou Cameracum ingressus est cum domino Cornelio Bergensi, cujus frater factus est episcopus Cameracensis, Henricus nomine. — In principio februarii, anno quo supra, capitanei ducis Maximiliani se fortiter disponebant ad defendendam Flandriam, inter quos praecipui nominati sunt comes de Rommont, Parvus Salazart, dominus de Mengoville, dominus de Fiennes; Philippus de Burgundia, Cornelius de Bergis, bastardus Sancti-Pauli, dictus de Haubourdin, Philippus de Ravesteyn, dominus Oliverus de la Marehe, qui relictam domini de Humbercourt apud Gandavum decapitati duxerat, et dominus de Symay cum pluribus aliis capitaneis tam in Hannonia quam partibus aliis, sic quod ad numerum xvi<sup>e</sup> lancearum absque Flamingis et pedestribus reperirentur, per diversa loca dispersi. Sed cum ad gravamen vulgi morarentur, exiit rumor de maxima infirmitate regis Francorum, quapropter retardabantur, et interea Philippus de Cordes, capitaneus Arthesiae, collectam undique traduxit armatam ad loca pro rege occupata tuenda ac defendenda. Sic favorabilis aura dolo paratos a bello retinuit. — Philippus de Burgundia, dictus dominus de Bevere, etc., audiens accusationem quorundam, repetiit Flandriam, et xi<sup>e</sup> februarii Dunis hospitatus, perrexit ad villam Sancti-Oudemari, cujus erat capitaneus. Sed a civibus intromissi fuerant capitanei, videlicet Salazart et Chanterayne, qui parum pro ordinatione sua fecerunt, eo quod in ore vulgariū esset suspicio satis infixa, quod unus esset adhaerentium episcopo Methensi qui traditionem in patriam praesumpsisset: sed quid veritatis exstiterit, plane nesciebatur. Verum quia dominus de Veris continuam motionem in Hollandia foveret adversus illos cognominatos Cabeliaux, fidem nonnulli eum praestitisse regi Francorum asserebant, prout episcopus Methensis egisset. Unde in manu forti de loco qui dicitur Comitum Haga fugatus exstitit in Goudam per illos de Delft atque Leyda; alia dominia ipsius in Zelandia dux Maximilianus confiscavit. Nec mora dux Maximilianus apud Buseum-Ducis accedens, sic tractavit ut pacem haberet cum ipsis Ghelrensibus, licet quidam stare contempserint ordinationi ejus, quos in manu forti cepit, et eorum loca demolitus est. — Deinde circiter xiii februarii venit apud Goreum ad ingrediendam Hollandiam, ubi dominus de Veris cum dominis de Montfort et Brederode gravem motionem ac seditionem exercebat; et cum in Dordracum compulit, ex qua villa saepius ad nocendum parti ducis exhibat. Sed plures ex Hollandia confluebant ad ducem, et Goreensi castro quodam occupato supra Mosam, dampna Dordracenses intulere, fuitque magna tumultuatio per totam Hollandiam. Gentes vero ducis undique ad malum discurrerant, et Driel funditus everterunt. — Circa finem februarii plura de longinquis regionibus audita sunt: videlicet quod Mathias, rex Hungariae, memorabile bellum contra soldanum aut imperatorem Turquorum gesserit, in quo lx<sup>m</sup> cecidere Turquorum; item quod pacem Florentini fecerant et Venetiani cum rege Ferdinando, quae treugarum induciae prolongatae sunt

inter reges Hispaniae et Portugaliae; sed quod dolendum erat, relevata est guerra per regem Scotiae contra regem Angliae, ratione limitum quorundam locorum in divisione regnorum situatorum et signanter quia primogenitum suum rex Scotiae dirigere vellet cum x<sup>m</sup> in adiutorium regi Franciae. — Salazart et gentes domini de Bevere, capitanei de Sancto-Oudemaro, plures reysas fecerunt in Boloniensi et praedam multam agitabant. Quod dum regi Franciae significatum esset, illico suos misit heraldos praecipue in Cameraeum, ut se darent pacifice, salvis bonis et vita eorum: qui cum requisissent respondendi tempus et se necdum paratos avisassent, per alterum heraldum mandavit extremam necdum in eos ultionem sed in omnes Flamingos deletionem. — In principio igitur mensis martii per omnia loca villarum Flandriae renovatae sunt excubiae, et ad mare se Franci parabant, contra quos comes de Romont exisset nisi detentus fuisset gravitate vulneris quod acceperat nuper bello de Bomy. Nemine igitur comparente Franci mare servabant infestum, donec sedata fuerit Hollandrinorum ac Zelandrinorum commotio; nam principalis capitaneus ducis Maximiliani, dominus de Sanctrayne cepit Rotterdamme, et exinde navigia processerunt contra Francos supra mare. Capta villa praedicta, dux Maximilianus ingressus est Dordraeum amicabiliter, civibus assentientibus ut ejus adventu dominus de Vere cum adhaerentibus se retraheret, quod et idem fecit cum excusatione valida quam exponi coram duce petiit: audita ea, dux indulsit et approbavit quidquid proposuerat cum conditionibus certis eum obligantibus ne declinaret amodo ad aliquam partium, sed se neutralem servaret. Interea concordia partium conclusa fuit apud Buseum-Ducis ubi, legationes aliquorum Ghelrensiū atque Clivensium audiens, dietam statuit comparendi pro decisione totius difficultatis materiae, quae ad longum aliunde declaratur, quamquam partialitas deleri nequirit. — Rex Francorum audiens quod satis aegre tulisset rex Angliae copulam filiae suae cum filio seu dolphino Franciae, insuper et quod querela regis Angliae multum urgebat ad videndum semel dolphinum, neque crediti sunt nuntii ejusdem regis, quod aliquis superstes filius haberetur, et, ad dominum cum impatientia reversi, dixerunt favorisare regem Angliae Burgundis et quod matrimonium inter ejus filiam et ducis Maximiliani primogenitum esset conclusum, continuo commotus rex Francorum in arma volavit et descendit in Arthesiam, praemittens heraldos in Cameraeum ut civitas illa se redderet: quod nolentibus Burgundis intrinmissis, experti sunt pro tractando de pace regem heraldos tribus jam vicibus emisisse. Tandem super bono pacis dux Maximilianus suos convocavit, et Fredericus de Clugny, Tornacensis episcopus, eo quod cardinalatum adeptus esset, huic adesse concilio renuit, unde suspicio subiit cum adhaerere velle regi, qui Guillelmum electum Morinensem, fratrem praefati episcopi, promoverat in Pietavensem episcopum. Res igitur in pendulo mansit procedendi, etc. Et discursus armigerorum utriusque partis fere per totam fiebat quadragesimam. Nam supra Lisam fere 1.<sup>a</sup>, exeuntes de castro Steeghersbrigghe, per ipsos de Bethunia captivi facti sunt, aliquibus ex ipsis occisis; deinde per

Salazart viii vel ix occisis ex gentibus domini Guisehardi de Sancto-Andraea, capitanei Morinensium, multa displicita perpetrata sunt; bastardus tamen de Moorbeke retentus fuit captivus in Morino. Circa medium mensis martii, Salazart, cum hominibus domini de Bevere terram ingressus Bolonesii, dampna multa incolis intulit. Circa dominicam Palmarum audiens Francorum rex tanta mala fieri per illos qui se tenebant in villa Sancti-Oudemari, misit iii<sup>o</sup> in Morinum et fortificari fecit undique, timens obsidionem illie per ducem Maximilianum esse ponendam, qui plures ex Anglia stipendiarios, annuente rege Angliae, collocaverat in villa praefata et insuper, si opus esset, rex Angliae xii<sup>m</sup> parabat ad transfretandum et mittendum. Unde rumore territi Franci significabant regi eorum ut eum omni potentia descenderet in auxilium. Per totam ergo Franciam fit armorum motio contra rebelles, uti dicebant, Flamingos et adhaerentes eis. Pro persolutione vero stipendii direxit rex plures denarios ad Bethuniam cum xlvi hominibus, quos penes Insulis occiderunt omnes, captis denariis. — xx<sup>ti</sup> sub quodam Rolando exeuntes et ipsis de Bethunia fortuito casu in via occurrentes, non longe ab Insulis quaesito praelio, primum cum incolis et accrescentibus illis de Insulis in adiutorium, totum garnizomum Bethuniensem aut prostraverunt aut ceperunt, et ex valentioribus Francis ix sunt occisi et bene capti lxxx, qui locati sunt Insulis ac retenti secure. — Unde ditatus ille capitaneus emit terras et domistadia tenere coepit, nec multo post, cum suis exiens, ingressus est Lenditum: quamquam in castro latuissent plus quam n<sup>o</sup>, tamen villam spoliavit et captivos plures cum spoliis Insulis introduxit. Apud villam Sancti-Oudemari discordare coeperunt capitanei, scilicet dominus de Bevere et Salazart, eo quod de asportatis spoliis praefatus dominus de Bevere restitutionem fieri mandaverat ipsis Francigenis adversariis, in contrarium nostris vociferantibus id non debere consentiri. Quapropter, nisi dominus de Bevere recederet, alter remanere nequaquam voluit. Sed auditis novis de Burgundia, qualiter Suetones se paraverant ex compromisso pro summa maxima conquestare tam ducatum quam comitatum, ad requestam ducis Maximiliani, convenerunt ad invicem, et de facto jam praefati Suetones v vel vi fortalitia de manibus Francorum extorserant ante Pascha, non sine strage multorum. Unde multum indignatus rex Franciae, quosdam ex illa patria stipendiarios tanquam perfidos suspendi jussit, et a Morino Teuthones illos evocavit, et alios collocavit qui circiter in fine martii sunt ingressi, quibus dum stipendia mitterentur, per eos de Duaco et Insulis in manu forti ablata fuere. — Altera aprilis, dies Paschae celebratur, et erat tunc apud Harlem in Hollandia dux Maximilianus. Nichilominus consilium ejus in villa de Machlinia tenebatur, ubi discussa sunt ac ventilata plura, signanter pro conventione Anglicorum et ducis Britanniae cum domo Burgundiae, etc. — iii<sup>o</sup> aprilis, bastardus de Moorbeke, cum quibusdam aliis, denuo captus est a Francigenis juxta Morinum, et hoc traditione mulierum emissarum ad castra de Rugerseura quo se tenebat praefatus.

In Morino captus bastardus de Roos decollatus fuit, et exivit garnizomus contra

illos de Aria, cum quibus Philippus de Burgundia clam tanquam capitaneus in insidiis perrexerat; sed Franci converterunt eum in fugam, duobus aut tribus prostratis ex servitoribus suis, qui postmodum in villa Sancti-Oudemari se tenuit, paucas reyzas agitans. — In mense maio, rex Francorum misit sub aliquo comitatu denarios versus Attrebatum, et in occursum illius comitatus, garnizonnus de Bapalmis occurrendo paene captus atque prostratus exstitit a Burgundis qui se tutabant in Cameraco, videlicet: comite de Nassou, Cornelio de Bergis et domino de Haubourdinio eum fratre suo Jacobo de Sancto-Paulo. Quod ut ad aures regis delatum esset, quo nescitur motus spiritu, misit heraldos ad ducem Maximilianum ut eum ad treugas provocaret; sed consentire in eas sine membris Flandriae noluit. Quapropter ad Brugenses et Gandenses nuntios direxit; sed haec villae remiserunt eos vacuos, excusando quod dominus eorum, apud alios occupatus, super tali materia tempus opportunum non valuit determinare pro concilio conferendo. Nam apud Hagam Hollandiae se tenuit et rebelles quosdam illius patriae coercere studuit qui ligam fecerant cum episcopo Monasteriensi, qui Gheldriam eum fratre suo commovit et excitavit ad resistendum sibi: unde cum ab una parte Clivenses et ab alia Brabantini viriliter Ghelrensibus occurrissent, ipse dux audiens repulsam episcopi necnon fratris sui in Driel, misit dominum de Perwys qui Trajectenses ministrantes victualia eisdem intercipiens in via prostravit, et alii capitanei, scilicet dominus de Chanteraines, etc., locum cum Brabantinis oppugnabant, ubi multi ceciderunt ab utraque parte, praecipue frater episcopi praedicti, sed evasit episcopus turpi fuga suis amissis. Igitur patria Ghelriae se dedit duci Austriae; sed stipendiarii quidam invitati ab iis qui dicebantur Houek, converterunt se ad villas de Gouda et Scoenhoven. Haec duae villae pertinaciter se defendere conabantur, cum domino de Vere tenentes partem de Houek. Porro dux Maximilianus usque ad finem mensis junii remansit ibidem ad has villas compescendas, in ejus adjutorium etiam Zeelandrini accesserunt et victualia praefatis locis impediunt terra marique. Tandem apud Remmerswale dieta posita fuit tractandi seu conveniendi. Sed quid evenit finaliter patebit; nam dux bannivit ex Hollandia plures de Houek, et principalem capitaneum dominum de Vere obsedit, eo quod de tractatu matrimonii inter ejus filiam et Philippum de Ravesteyn, fidem non servasset, et mandavit arrestari bona circumquaque illorum de Gouda et Scoenhoven; sed Dordracenses inter se divisi, quidam adhaerebant adhuc domino de Vere, motionem in villa sua facientes intrinsecus; sed praecepit eis dux ut convenirent, aut alias eorum bona similiter et ubicumque essent arrestari faceret. — Tertia junii, Brugis ingressa est ducissa antiqua Burgundiae, domina Margareta de Iorb, soror regis Angliae, cum amplo comitatu, habens secum plures nobiles et deputatos, qui cum ea versus Angliam ituri erant ad filiam regis Angliae ducendam ex Anglia in Flandriam ut conjungeretur Philippo de Austria matrimonialiter: quod plures approbaverunt, sed multi tamen improbaverunt, asserentes hanc ligam eum An-

glicis minime duraturam et ignotum aliquid latere quod patriae eederet in detrimentum. Miranda igitur vel in brevi mala seu valde bona voluerunt per hujus nobilis ducissae recessum a Flandria suspicari, quam princeps Orenghiae sequebatur, qui se tenerat Bruxellae; et ix<sup>o</sup> junii, x equi phalerati per monasterium de Dunis ducbantur ad Salazart in Sancto-Oudemaro, quos sibi rex Hispaniae transmisit, sed relatum est ab aliis equos esse praefatae ducissae. Quae cum audisset dominum de Hastighes et comitem de Schalles apud Calisiam applicasse, statim equi reduci sunt Brugas, et facta est difficultas dimittendi eam abire. — Hoc anno, cum dux Johannes Clivensis obsederet Waghenninghem, a Ghelrensibus praefatam villam tenentibus eum magno dampno conversus est in fugam.

Hoc anno <sup>1</sup> frater Thomas de Kempis, de monte Sanctae-Agnetis, professor ordinis regularium canonicorum, multos, scriptis suis divulgatis, aedificat; hic vitam sanctae Lidwigs descripsit et quoddam volumen metricae super illud : *Qui sequitur me.*

Anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXX<sup>o</sup>, Veneti Turcis tributum solventes, contra Sixtum IV<sup>um</sup> romanum pontificem dissensionem praesumpserunt, et quia Ferdinandus rex Ecclesiae se defensorem optulerat, ideo Turci contra eundem transfretati sunt. Ille Ferdinandus cepit uxorem denuo filiam Johannis regis Arragonum, conditione tali si prolem masculinam ex ea suscipere posset, regnum Ceciliae sibi daret, et hoc medio confederationem fecit tam cum Arragonensibus quam cum Hispanis. Erat enim rex Hispaniae, frater uxoris praedicti regis Ferdinandi. Haec facta sunt ut in subsidium Rhodians essent; nam Turcus a x<sup>a</sup> kalendas junii obsederat Rhodium, usque ad finem octobris, et multis amissis, turpi fuga reliquit omnia. — Dominus de Vere, cum adhaerentibus sibi, scilicet Montfort et Breeroode, se de Hollandia retrahens, ingressus est Trajectum, quem cives laetauter receperunt etiam cum nobili consorte sua filiabusque suis, quod displicuit graviter episcopo praefatae civitatis, domino David de Burgundia, avunculo ducissae Mariae, cujus maritus dux Austriae, Maximilianus apud Hagam existens, collectis viribus armigerorum, rebelles omnes illius patriae conabatur ad obedientiam reducere. Nam, exactionis occasione suborta, propter gravamen incolarum, partialitas de Houex se opposuit, praecipue villa de Gouda; nec valuit eos dux ad medium bonum pacis accordare nisi in virtute valida, cum Trajectenses plurimum favorizarent dietae villae. Quod ut rex Francorum, licet debilitatus esset ut in propria non valeret accedere, percepisset, mox suos adhortatus est invadere Cameracum et alias terras. Unde misit in Bethuneam dominum de Jyvelles, magnum capitaneum, de regali sanguine progenitum, sub quo Philippus de Cordes cum suis temptavit per totam Arthesiam armorum gravissimam motionem : contra quam nostri existentes in Cameraco, Bohennio et aliis locis

<sup>1</sup> Ceci paraît se rapporter à l'impression faite *Jésus-Christ.*  
à Strasbourg, en 1480, du livre de l'*Imitation de*

Hannoniae, suscepto adjutorio, se parabant, expectando succursum ex Almania juxta promissa Frederici imperatoris, patris ducis Maximiliani. Sed ad instantiam regis Francorum, dux Lotharingiae, Rhenatus de Vaudemont, patriam de Namureo coepit invadere. Quod ut Leodienses aspexerint, tumultuare coeperunt. — Eodem tempore civitas Tornacensis etiam tumultuabat, occasione quorundam satellitum comitis de Rommont, qui supra cives et incolae territorii multa perpetrabant enormia. Nam circiter tres aut quatuor, infra tempus neutralitatis praefatae civitatis, decapitati fuerunt, eo quod garcionem quemdam jusserunt in opprobrium proclamare : « Rex Francorum cum struma » sua mortuus est et jam vivet Maximilianus dux Austriae : *Vive Bourgogne! vive Bourgogne!* » — Propter diversos cursus illorum de Sancto-Oudemaro, capitanei de Morino venerunt circiter xii<sup>m</sup> junii ante dietam villam, et ibi captis aliquibus de villa, qui se non poterant in ecclesiam Carthusiensem extra villam salvare prostrati sunt a Francis; sed capitaneus Francorum pedestrium a nostris captivus in villam ductus est ante conspectum Philippi de Burgundia, domini de Bevere, qui quidem dominus, una cum capitaneo Salazart, xv<sup>a</sup> junii fuit hospitatus in Dunis et Brugis tetendit ad tractandum eum ipsis gubernatoribus villae de provisione denariorum necessariorum ad guerras continuandas. Erant enim plures sub domino de Cohem et majore seu villico Sancti-Oudemari, domino de Mota, plangentes super stipendiorum persolutione insufficienti, cum eam cumeta essent in illo loco. Porro, cum praefatus dominus de Bevere esset commissus ad gubernandum comitatum de Namureo, requisitus a quodam an aliquid evenisset incolis illius terrae, respondit se nichil accepisse per dominum de Symay, qui praefatum comitatum loco sui defendebat, sed verum esse ducem Lotharingiae cum Francis ingressum esse ducatum Lucenburgensem et duo vel tria fortalitia coegisse suae deditioi quae alias ablata fuerant a suo dominio. Sed mox supervenere nova quod omnes capitanei Burgundiae descendissent, specialiter Karolus de Amboise, gubernator Campaniae, et dominus Cren, cum fere xx<sup>m</sup>, et per Lotharingiam descenderunt atque ceperunt villam de Virton, cujus habitatores interneccioni subegerunt, et ante Lucenburgum seu Thionville se dederunt. Quod ut significaretur duci Maximiliano, mox Hollandia relicta, venit usque Bruxellas, ubi magnum congregavit exercitum, et per Namurensium patriam illuc properavit. — In mense junio tanta grandinis tempestas invaluit diversis in locis, ut lapides cadentes e caelo necesse casu suo nedum animalia sed homines reperiebantur, unde et circa villam Tornacensem ad duo vel tria miliaria destructa fuere blada viridia. — Hiis diebus in patria Leodiensium multa prodigia evenerunt ex impressionibus aeris. — Inter regem Franciae ac ducem Maximilianum aliqua parlamenta pro induciis fiebant, et ad annum rex inclinatus fuit. Quod ut tribus statibus Flandriae significatum esset, nullo modo consentire se treugis aliquibus asserebant. Unde Gandenses motionem coeperunt actitare, fortificantes portam seu cupam ubi decursus suos Liza et Scalda mittunt, sarcophagis sepulchrorum injectis ad

tenendum aquam et ad inundandum circumjacentes terras et villagia. Nam, cum pro domina Margareta de Ioreh, ducissa antiqua Burgundiae, descendisset quidam ex Anglia, transiens cum suo comitatu tensis arcibus per Waachtebeeke, tres occisi fuerunt ab Anglicis et plures vulnerati sagittis. Quod praecipue decanus supremus villae Gandensis coepit in praedieum proponere cohaerentibus, et statim ad Gravelingam misit ut receptor theloni dudum collocati ibi per ducem Philippum amplius se de exactione non intromitteret, et alibi diversis in locis, quasi mandata principis spernendo, miserunt ut nisi justitia de tali vel tali accusato fieret, ipse manum apponeret. Gerere coeperunt igitur Gandenses modum rebellandi contra principem, nec comparere volebant, dicentes se traxisse originem a nobili domo Franciae, a qua nec recedere se velle dicebant. Cumque ad Angliam praefata domina Margareta transfretaverit et ante monasterium Dunensem circa xxvi<sup>im</sup> junii fecisset iter suum, quidam declinans nobilis affirmavit in brevi miranda patriae superventura, et ob hanc causam subtiliter a Gandavo filium primogenitum ducis Maximiliani Philippum Bruxellae fuisse delatum; addiditque conspirationem aliquarum villarum factam cum Gandensibus, et hoc pro privilegiis antiquis necdum resignatis et occasione taxationum continuo gravantium in quibus expresse denegaverunt Gandenses subsidium ipsi duci Maximiliano, qui quidem dux paucis diebus apud Bruxellam, juxta nobilem suam consortem commoratus, vocatis a Gheldria, Brabantia, Hannonia et Flandria pluribus armigeris, versus Luenburgiam procedere eos fecit. Sed dominus de Symay tractavit pro treugis longis de xx annis aut pro foedere cum rege ineundo, speciale habens omni Burgundiam ducalem offerendi; sed rex comitatum requirebat similiter et contentabatur resignare villas omnes captas citra Sommam. Quid autem evenit, audietur postea. — Capitanei scilicet Arthesiae Philippus de Cordes et dominus Sancti-Andraeae Calisiam petierunt ut transitum impedirent antiquae ducissae Burgundiae, seu potius ut caperent conductores ejus, qui magno numero cum ea et ejus thesauro transfretare contendebant quasi fugientes a facie guerrarum et motuum excitatarum in Flandria. Concluserant enim civitates Flandriae principales non obedire curiae spirituali, sed quod seculares pro causis secularibus in propriis suis locis traherentur coram constitutis iudicibus, dicentes non interesse curiae spirituali cognoscere causas secularium personarum. Hinc comminationes, adustiones et excommunicationes late partialitatem fovebant et ad malum vulgus proclivum manus iniecit turbulentas.

Induciae treugarum concessae sunt a rege Francorum ipsi duci Maximiliano, pro medio concordandi quantum esset possibile spatio trium hebdomadarum, et feruntur intuitu Edwardi regis Angliae contigisse. Nichilominus in patria Luenburgensi ipsi capitanei regis Franciae remanserunt in obsidione praefatae villae, devastatis circumquaque castris et fortaliis. In pervigilio beati Petri, circa finem mensis junii, capitanei villae Morinensis cum exercitu collecto Flandriam ingressi nocturno tempore,

pervenerunt usque Heekelsbeekam; deinde spoliato loco et aliquibus ductis inaptis, ipsis in occursum facti sunt Anglici, locati supra montem Casletensem, necnon garnizoni villarum, factoque conflictu pene omnes Anglici ceciderunt, et eorum capitaneus a Francis captivus abductus est. Sed, intercepta praeda, nostri verterunt Francos in fugam, ex ipsis fere interfectis et captis xxxvi.

Ipsa nocte beatissimi apostoli Petri, tanta tempestas venti inhorruit quanta unquam a memoria hominum percepta fuerit; et cum Anglorum rex pro sorore sua quae Calisiae fuerat, quinque naves bene provisas baronibus et scutiferis ad conducendum direxerat ad portum, accidit diluculo, videntibus incolis villae, ut una periclitaretur cum omnibus hominibus; nichilominus paraverat villa x alias naves cum armigeris, et ultima die mensis junii praefata domina, navim unam ingressa, transfretavit in Angliam ubi cum honore maximo recepta fuit, etc. — Audito conflictu de Heekelsbeeka, dominus Philippus de Burgundia, capitaneus Ariae et Sancti-Oudemari, petita et obtenta licentia de curia Maximiliani, rediit ad loca sibi deputata, fidem nequaquam induciis praebens. Tamen Salazart atque capitanei de Duaco et Cameraco, videlicet dominus Johannes de Vienna et bastardus Sancti-Pauli, relictis locis ad curiam ducis, sese transtulerunt, et bellum grave accidit ante Luecnburgiam. — Gandenses in principio mensis julii plus solito murmurantes, more praedecessorum suorum, in omnibus antiquis privilegiis usurpare coeperunt executionem in praedictum dominorum ducis Maximiliani, et multa deposuere de observatis; unde timor accepit omnes vicinos, eos Brugis petitorios velle.

Comes de Rommont, generalis Flandriae capitaneus, undique fieri fecit concursum ad arma per Flandriam ut ad Arthesiam properarent. Quo audito, Francorum rex Ludovicus XI<sup>us</sup>, ad ducem Austriae Maximilianum, cum nobili sua conjuge Namurei residentem, nuntios cum litteris direxit ut credentiam adhiberet de manu sua signatis, pariformiter et ad dominum de Rommont Brugis moram trahentem, quarum litterarum tenor summam continebat: regem convenire velle pro concordia, praesentans se suumque concilium apud Duacum de pacis medio tracturum aut de treugis firmandis inter eosdem etc. — Partes igitur apud Duacum convenerunt circiter xi julii. Nam et dux Maximilianus fidem in domino de Symay reposuit, quem ad dietam cum multis aliis deputavit. Scripsit etiam Gandensibus, Brugensibus et aliis villis, quod sub domino comite de Rommont singuli deputarentur de notabilioribus ad audiendam oblationem quam rex praefatus praesentaverat ipsi duci. Unde dicebant homines, regem restituere velle cuncta, demptis quatuor comitatibus qui fuerunt per mutuum invadiati pro summa quadringentorum millium, scilicet comitatus Authisiodoris, Pontivi, Masticonensis et Burgundiae, de Dourdonio, reservatis sibi villis Ambianis, Abbatisvilla, Monstreolo, Perona, Roya, Mondidier et villa Sancti-Quintini. Ad quam oblationem dominus de Symay respondit dominum suum sic nolle consentire eam quaedam loca de propria hereditate pertinerent uxori suae ac liberis successoribus eorum. Sic varie cuncta



ventilata sunt. Née receperunt Duacenses aliquos ambatiatores, dicentes in dolo fieri conventionem, sicut exitus comprobavit. — Decanus major villae Gandensis, Johannes de Boverio, firmatus opinione, noluit theloneum de Gravelinga, neque talliationem super allecibus ipsi duci Maximiliano consentire, sed deponi procuravit per inhibitionem quod nullus reciperet sub poena capitalis sententiae et perditione bonorum, addens nolle principis sui diminutionem, sed per incolas Flandriae sibi debere restitui quantitatem denariorum, quatenus liberum iter cunctis pateret mercatoribus, etc. — Praefatus decanus, propter injuriam ejusdam capitanei comitis Sancti-Pauli, tenentis in castro de Borra quemdam bannitum ex Flandria, mandavit cum Gandavi comparere, qui cum se non satis excusare posset, bannitus fuit a patria, et ad rigorem miserat decanus satellites ad castrum occupandum.

Dominus Emberthus, comes de Nassouwe, senescallus Brabantiae, castrum de Gouda tenere loco domini de Vere permissus est, et sic Hollandrini pacificati fuerunt. Unde promiserunt mare servare tutum ad patriae defensionem cum xxiii navibus. Ubi vero rex Francorum pacem attendisset praefatorum Hollandrinorum, mandatum fecit ad omnes portus Normaniae ac Franciae, quod nullus intrare praesumeret mare, quoniam mente conceperat ad pacem omnibus mediis cum duce Austriae se velle convenire, etc. — Circa finem mensis julii sub dolo, per capitaneos regis Karolum de Amboysa et ceteros Francos, dum esset interlocutio de treugis, graviter ducatus Lucenburgiae devastatur, et Philippus de Crielcuer, capitaneus Arthesiae, cum x<sup>m</sup> descendit et juxta Sielinium consedit, exspectans undique succursum de locis garnizonatis ad Insulis obsidendum et ad invadendum Flandriam. Mox ad Gandavum dux Maximilianus secreto descendit cum paucis et eos sibi reconciliavit, sic quod sub domino Johanne de Dadizeele, in magna quantitate virorum, Francos occurrerunt, et Parvus Salazart de Sancto-Oudemaro venit similiter, et retrocedere coegerunt exercitum Francorum, qui paene destruxerunt omnia blada inter Insulis et Attrebatum. — Deinde Flamingi, captis ex Francis, didicerunt ex eis, in commissis habere mandatum a rege Flandriam ingrediendi a tribus locis: quod et fecissent, nisi Flamingos ad oras tuendas ruere eatervatim perpendissent. Unde, cum dolo sic res inchoata nullum sortiretur effectum, rex Francorum molestissime ferens pertingere se non posse ad occupandam patriam, xxx<sup>m</sup> praeparavit, ut cum illis hostiliter, tempore quo certandum erat in Lucenburgia contra ducem Maximilianum, communitatem Flandriae proximo mense augusto deturbaret. Communitas autem adunavit se contra Francos, et signanter villae partem ducis tenentes, sicut Cameracum, Duacum, Insulis, Valenchnas, villa Sancti-Oudemari et Aria, non obstante quod magna pars capitaneorum evocata se receperat apud ducem praefatum Lucenburgiam defendentem. Unde se tenebat in campis exspectans eventum omnem rerum gerendarum, et ex suis in villam Lucenburgiae fecit intrare Philippum de Burgundia, dominum de Bevere, dominum etiam Oliverum de La Marche, cum ceteris

qui pluries insultus dabant adversariis. Cepit vero dux quoddam castrum ubi et dominum Guillelmum de Norenberghe latitare cognovit, qui licet partem olim nostram tenebat, tamen conversus erat ad regem. Dominus Judocus de Lalaing, gubernator factus Hollandiae, cum certificatus esset de navibus Francorum supra mare se tenentibus, tantum egit apud villas Hollandiae, ut magno cum apparatu suas naves bene provisas in occursum mox emitterent. Sed quid perpetratum exstitit inter partes utrasque, rerum exitus approperebat. Dominus autem de Vere, pacem adeptus, ad villam suam de Vere pervenit in Zelandia, qui circa festum gloriosae Assumptionis suam navem similiter emisit ad piscatores tutandos qui de Zelandia mare petierant et paravit aliam ad invadendos adversarios. Comes de Rommont, ipso die Assumptionis, apud Bergis Sancti-Winnoci convocatis multis, versus Casletum cum illis properavit et reperit dominum Johannem de Dadizeele cum suis illie expectantem, qui dixit eos de Rugherseura obsessos. Sed cum illie exercitus Flamingorum iter arripuisset, Francos omnes aufugisse reperiunt, quamquam tentoria et papilliones ibidem fixissent. Insequuti sunt igitur Flamingi Francigenas ultra Ariam, quoniam apud Morinum jam se celerime receperant. Reversis capitaneis supradictis cum Flamingis, ordinarunt ad sonum campanarum eos occurrere debere circa castrum de Rughersehura, cujus loci capitaneus erat dominus Ludovicus de Craene, qui si opus haberet adjutorio, quandam bombardam emitteret ad intersignum adversariorum comparentium. Verum rumores paulo post iterabantur de treugis sex annorum, de quibus vulgus non adhibuit fidem; sed, si capitanei fuissent voluntarii, parati erant incendio cuncta vastare.

Circa finem augusti treugae sunt concessae sub spe concordationis et parlamentandi de bonis mediis. Nichilominus dux Maximilianus recuperavit villam de Vireton in confinibus Lueenburgiae, Francis ejectis, et iter ad Namureum denuo retorsit, ubi regis ambatiatores comparuerunt, et pluribus vicibus etiam responsa dantes et accipientes tandem apud Attrebatum convenerunt, et sic dominus comes de Rommont impetravit vii mensium inducias ad determinandum de materia litis extrapendentis usque ad initium aprilis anni sequentis. Sed villae et communitates Flandriae minus contentabantur super hujusmodi, quod sine consensu earum conclusae fuissent. Fertur enim quod comes de Rommont, cum fratre suo Philippo, comite de Bresse, has impetraverit ad cautelam, et rumor exiit de retentione domini de Cordes, scilicet Philippi de Crieveuer, quia cum dominus Sancti-Andraeae regi tradidisset, unde totius in eum culpae retorsa fuit guerrarum occasio: quid autem veritatis sit, poterit alibi clarere. Hoc autem verum est quod plures naves Francorum cum stipendiariis Scotiam petierunt, et contra regem Angliae Scoti cum Francis ingressi sunt hostiliter, quos rex Angliae bello fugavit, multis occisis, et significavit regi Franciae qualiter injuriam irrogasset et treugas suas non tenuisset. Cui respondit rex Franciae nullos contra fidem emisisse quam sibi servare quaerebat; sed dumtaxat a regno suo relegasse quosdam qui poterant se Scotis

pro stipe sociasse. Quod rex Angliae, satis ad cautelam intelligens, nuntios ei direxit, per quos significavit ut vel pacem cum Maximiliano duce componeret, aut hostem cum intelligeret usque ad mortem. — In septembri, dux Maximilianus Gandavi existens convocavit tres status et intentionem suam exposuit coram eis, qualiter in auxilium suum regem Angliae vocasset, mediante matrimonio filii sui cum filia dicti regis; et in majoris amicitiae ligam, etiam inter Karolum futurum ducem Ghelriae, filium Adulphi, et inter filiam unam ex majoribus Angliae contractum etiam fuit matrimonium. Quae quidem omnia ducissa quondam Burgundiae, domina Margareta, soror regis Edwardi, perpetrasse ferebatur. Quae plurimum laboravit ad excitandum nobiles regni quatenus proximo vere sese disponderent ad Galliam et non minus adversum Scotos interim dimicando sese defenderent cum bellicosis Ybernicis, quos sufficere dicebant una cum Wallensibus ad standum contra potentiam eorum. — Per totum igitur hoc tempus legationes crebre factae sunt, et quaecumque temptanda fuerunt pro pace pereunctata sunt atque investigata. Sed rex Francorum Ludovicus de ducatu seu comitatu Burgundiae noluit restitutionem admitti, neque de quibusdam villis Arthesiae, nisi cum conditionibus praedecessorum regum suorum, sic quod monarchiam regni sui tenere quaesivit. Quapropter ad Flandriam et Hannoniam subjugandas se praeparavit et cum Britonibus inducias renovavit. Similiter et cum Cathalanis et Arragonensibus. — Hoc anno Rhodium a Turchis, sub capitaneis Basso et Meligalo, per xcix dies obpugnatur, et milites defenderunt se tam valenter quod ex c<sup>m</sup> vix de hostibus xl<sup>m</sup> permanserint.

Circa festum Michaelis rediit ex Anglia domina Margareta, soror regis Angliae, quae versus patriam suam per Flandriam iter accepit usque in Machliniam ubi moram traxit. Et inter haec dux Maximilianus a nobili sua conjuge mandatus ut cito Namureum repereret, quia de regis Francorum mandato ibidem archiepiscopus Lugdunensis advenerat loquuturus super pace et tractaturus ad longum de concordia pacis faciendae inter regem et ipsum ducem Austriae. Nam dum rex Franciae ligam et amicitiam ipsius ducis intellexisset esse cum rege Angliae, coepit cautelose tractare si quonam modo seu medio foedus percipi posset cum domo Burgundiae. Praefatus enim archiepiscopus et legatus Avinionensis, frater ducis Borboniae et episcopi Leodiensis, avunculus erat ducissae Mariae de Burgundia, cujus occasiue factum est ut capitanei regis extra ducatum Luemburgiae sese retraxerant; unde et apud Marcham Famennae dux Austriae juramenta praestitit super ducatu Luemburgiae sicut dux Karolus fecerat, ejus praedecessor. Quae cum fierent, comes de Rommont Brugas accessit, qui interfuerat dictae constitutae in Attrebato; sed quia fidem vulgus invite dabat ei super induciis impetratis, idem se retraxit versus Duacum, asserens Anthonium de Burgundia cum Jacobo Galeothi vagare per Campaniam et aliquid praetendere velle, quod ad notitiam Francorum devenerat; cujus filius Philippus, capitaneus de Namureo constitutus, informatus fuit (et verum erat), quod dominus Guillelmus de Arenboreh publice guerram agebat contra ducem Maximi-

lianum, confederatus regi Francorum : quapropter dux affirmavit juramento cum capturum vivum aut mortuum.

Nota de Wiltenis et Frisonibus, Ultrajectensibus atque Clivensibus. — Dux Austriae Maximilianus, cum sese dominum Frisiae nominaret, nobiles ejus interrogavit quid quondam auxilii vel utilitatis praedecessoribus ejus impendissent Frisones. Inter alios magnus historiarum indagator, miles scilicet Oliverus Marchiae, respondit : « Frisiam regnum egregium quondam fuisse, in quo dudum Saxones et Wilteni, id est, » Hollandrini, Trajectenses et Ghelrenses atque Clivenses habitabant, quos Julius » Caesar inferiores Selavones appellare consueverat; nec tamen eos subjugaverat sibi. » Sed ejus successor Claudius, anno post Christi passionem xl<sup>mo</sup>, descendens ex Britannia quae nunc Anglia dicitur, per silvam Ruthenorum id est Flandrensium, eos » devicit usque ad Frisiam borealem. Ad quos Selavones, dum ob furorem Neronis a » Roma sese retraxerat, quidam Granus descendens construxit Aquisgranum, et » quidam Anthonius in Frisia meridionali construxit Anthoninam, id est Trajectum. » Sed postquam cxxi annis stetisset, Wilteni destruxerunt eam, atque de lapidibus » aliud quoddam fortalitiium extruxerunt, ex quo praedas in vicinos agitabant, quod » Wiltenbourech appellabant. Sed circiter anno dominicae Incarnationis III<sup>o</sup> LXXII<sup>o</sup>, » tempore Valentiniani, praefata gens cum eo sursum ad Renum ascendit, ad debellandos Gallos rebelles, parere Romanis renuentes, apud Francfordiam, et eos sub jugo » remisit, non sub fide Christi. Verum quia regio nimis frigida erat, Valentinianus ad » Romanos suos ascendit. Interea sub ducebus Engiste et Horeste, Frisones et Wilteni, » transfretantes, insulam Britanniae subegerunt sibi et ab Engiste Enghelant appellata » fuit Britannia. Necnon beatus Willebrordus ad hoc Engiste fertur descendisse, qui » circa annos Domini V<sup>o</sup> LXV<sup>o</sup> descendit in Frisiam; ubi regibus exactis sub duce » Lemmo tandem e contrario regiam coronam relevavit ejus filius Dibbodus. Post quem » Rissardus, vocatus vulgari nomine Ezeleore, eo quod longas aures ad instar aselli » gerebat, ejus habitatio fuit in Hollandia apud Voorborech, ejus filius nomine Valek » construxit Valekenborech, ejus adhuc fundamenta apparent juxta magni maris ripam. » Porro, dum Pippinus, pater Karoli Martelli, contra Robodum ducem exercitum » parasset, iterum atque iterum debellando devicit eum cum suis Selavonibus. Nec » mora, defuncto Pippino, Karolus Martellus rex effectus; et Wiltenos Oostfrancos » appellavit. Audiens autem Egbertus, episcopus Noorthamhumbriae, direxit sanctum » Willebrordum discipulum suum qui applicuit in Zelandia apud Westeappele, ubi » colebatur pro Deo Mercurius quem confregit. Unde et ipse per totam Waleriam » habitus est patronus sanctus Willebrordus. Post Rabodum vero Gundebaudus dux » effectus, cum Karolo Magno rege Francorum pugnasse legitur; post quem pauci » reperiuntur assumpsisse dominium super Frisones Selavos; sed Frisones boreales » plures reges habuere, inter quos Canutus, sanctus rex Daehorum, qui ex filia

» Roberti senioris Frisonis comitis Flandriae, genuit sanctum Karolum, Flandriae  
 » comitem, Brugis pro justitia martirizatum, anno Domini M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> XXVII<sup>o</sup>. » — Sed  
 qualiter ad interrogationem ducis satisfaceret objectioni factae, post declarationem con-  
 similem, dominus Oliverus dixit : « Westfrisones ad ducem Burgundiae Karolum nuper  
 » legationem in Hollandia fecisse, atque in signum subjectionis obtulisse decimationem  
 » quamdam. » — Unde satis in animo dux reposuit post expeditionem aliorum in ipsos  
 arma se conversurum. Sed quia dux Burgundiae Karolus praeventus fuit bello Sue-  
 vorum et Lotharingorum, et etiam, cum Ghelrenses, post mortem ejus, rebelles essent  
 ipsi duci Maximiliano, comparere noluerunt praefati Westfrisones ad praestandum obe-  
 dientiae sive subjectionis juramentum. Et quia trahi vix poterant Ultrajectenses sub  
 David eorum episcopo, qui fuit nichilominus avunculus ducissae Mariae de Burgundia,  
 consuluit in tempus differri qualemeunque exactionem super eos. Igitur dux Maximilianus  
 ad compescendam rebellionem quorundam qui sub domino Willelmo Arenboreh,  
 Lucemburgos et Namureenses coeperant vexare, datis induciis regi Franciae, collegit  
 exercitum in fine mensis septembris.

Ipsa die Michaelis archangeli prandium suum Dunis fecit domina Margareta, soror  
 regis Angliae, cum suo comitatu, videlicet cum domino Thoma de Montgummegny et  
 ceteris ex Anglia baronibus directis a rege Angliae versus ducem Maximilianum. Item  
 venerunt cum praefata domina Reverendus in Christo pater dompnus abbas Sancti-Ber-  
 tini, et duo nepotes ejus, milites Balduinus et Petrus de Lannoys, qui transfretaverant  
 eum praefata domina, quae circiter tria millia hominum adduxit ex Anglia in adjutorium  
 ducis Maximiliani, qui contra Willelmum de Arenboreh guerras in patria Lucembur-  
 giae servabat, eo quod ex parte regis Francorum multi confugerant ad eundem et tan-  
 quam banniti seu relegati ex Francia sibi adhaerebant. Nichilominus induciae stabant  
 trium mensium inter regem Franciae et praefatum ducem. Unde dicebatur quod ad  
 instantiam summi Pontificis Sixti IV rex Franciae posuit determinationem materiae  
 dissentionis et cavillationis inter eum et ducem praefatum in manus quatuor cardina-  
 lium, forte timens ne rex Angliae, proximo vere, finitis induciis, transfretaret super  
 regnum Franciae. — Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXX<sup>o</sup>, dominus Henricus de Bergis  
 sublimatus est in episcopum Cameracensem, et imposita capiti mitra fuit per Ludo-  
 vicum de Borbonio, Leodiensem, et Ferricum cardinalem Tornacensem, episcopos,  
 Bruxellae, prima die mensis octobris. Hujus Henrici frater religiosus nostri ordinis  
 professus in Cistertio, fuit abbas de Monte-Beatae-Mariae in Burgundia, et vocabatur  
 Anthonius, qui propter guerras descenderat, et fertur quod expectativam habuerit ad  
 monasteria quaedam, signanter in Flandria. Coeperat quoque pater fratrum de Boudelo  
 praesentio gravari naturalibus incommodis, et quidam domus nostrae frater Petrus Quieck,  
 capellanus, indulgentia patris nostri Dunensis abbatis impetraverat medio fratris sui  
 uterini noti satis in Romana curia quasdam expectativas litteras, et cum esset Gan-

densis, praevenit praefatum dominum Anthonium in exequendis negotiis, cum litteris ducis Maximiliani suaeque conjugis et abbatis de Camberone, visitatoris dieti loci de Boudeloo, sed refutaverunt acceptare quemcunque extraneum, non obstantibus quibuscunque. Tandem ad hoc fratres inducti fuerunt ut, si Dunensis pater aliquem ordinare vellet post resignationem aegrotantis libere factam, etiam ex suis illum acceptare promiserunt. Tunc nostram licet indignam personam inter alias praesentavit, prout nobilis Jacobus Grootwerek, Zandi rentarius, mihi dixit.

Anno Domini M° CCCC° LXXX°, rex Francorum, pro tractatu concordiae se submitit cardinali Sancti-Petri Juliano; et prolongatae sunt treugae propter legationes frequentes, nec cursus ammodo fiebant ab utraque parte. Nichillominus ad insequendum Willelmum Arenboreh et suos qui fugerant Methis in Lotharingia, armaturam dissolvere noluit. Nam praefatus Willelmus, traditorie susceperat summam magnam ut daret assistentiam praefato duci, sed deceperat eum et hostiliter invadere nitebatur; ejus frater dominus Johannes partes ducis tenuit, et cum episcopo Leodiensi, castrum de Louenge obsedit, quod alter frater sibi contrarians tenuit, qui aufugit, et sic tam locus ille quam Rodenae, quod est fortissimum, resignatum est. — In principio mensis octobris, cum vina renensia per Rhenum adducerentur, Ghelrenses ceperunt quaedam loca supra Rhenum, nec permiserunt descendere. Quam ob rem dux Johannes Clivensis, iterato paravit confligere. Cui dux Maximilianus in succursum misit Anglicos transfretatos nuper cum domina Margareta. Erat enim tota patria Ghelria subjecta diversis, scilicet: Harderwye, duci de Bruunswye; Supphen, episcopo Monasteriensi; Venloo, Wagheningham, contra Clivenses, Neumagium cum communitate se tenebat; Gravia contra Brabantinos custodiebatur. Sic pauca loca duci Maximiliano paruerunt, in ejus curia Karolus, juvenis dux Ghelriae, conversabatur. — Hiis diebus defunctus est Robertus de Bavaria, Coloniensis archiepiscopus, satis extraneo more penes Bonnam, nec sacramento confessionis admissio, nec fide firma, propterea sepultus est in prophano loco. — Successit ei dompnus Hermannus, frater lantgravii de Eschia, qui praepositus erat in Aquisgrano. Hic ad concordiam cum dyocesanis suis provocavit episcopum Monasteriensem, quem cives de Monster relegaverant, eo quod occupasset se in motione Ghelrensi. — Circa finem mensis octobris descenderunt dux Maximilianus et conjux sua domina Maria de Burgundia, in patriam Flandriae, de quorum adventu populus mirabiliter gavisus in spe pacis, multa largitus est munera. Nam dominus Julianus cardinalis Sancti-Petri, legatus summi Pontificis, ingressus eum comite de Rommont et illis de Vienna tractare materiam de concordia conati sunt ab omni parte. Sed nuntii et litterae Suevorum supervenerunt, qui etiam includi voluerunt, timentes accusari super morte ducis Karoli. Quod ex instinctu regis dixerunt quidam evenisse, quamobrem, iterum induciis trium mensium prorogatis, difficilis reddebatur machinatio. — Eodem hoc mense defuncta est domina de Vieville, uxor Anthonii de Bur-

gundia, obsidis in Francia, qui non parum indignatus super Flamingos, eo quod ad ejus deliberationem non laborassent, se rebus immiscuit, cujus filius Philippus residens apud ducem Maximilianum noluit interponere se. Quod, cum rex Francorum perpenderit, an fide vel dolo, cuncta praemeditatus, optulerit praefato duci, cuncta cum ratione repetenda si tamen ad regis instantiam foedus et ligam relinquere vellet regis Angliae ducisque Britanniae. Quibus in responsis dum contradiceretur, noluit rex concludi foedus nisi restituerentur sibi villae Duacum, Insulis cum castro, Aria, Sancti-Oudemari villa et castrum de Sluusa. Sic per totum hunc mensem et sequentem tractatum est, et nuntii regis Franciae post festum Omnium Sanctorum Insulis comparuerunt ad dietam, duce Maximiliano residente apud Lucenburgum. Gbelrenses stragem passi, licet inviti, cum duce Clivensi pactum inierunt; sed quia de parte ducis Austriae Maximiliani, plures cum Brabantinis Anglici patriam gravassent, trahi non poterant ut in foedus consentirent, maxime confisi in adjutorio episcopi Monasteriensis et domini Gherardi, fratris regis Dennemarchiae. — Hiis diebus apud Lucenburgum applicuerunt plures Suctones petentes stipendia trium mensium; sed cum ducis Austriae dominia tenuitate pecuniae non parum diminuta, continuitate guerrandi praecipue fuissent exhausta, Gandensibus pro libito cuncta tanquam tutoribus patriae de rebus disponentibus, vix pro uno mense stipendia fuere persoluta. Mox Suctones divisi recesserunt, et una pars castrum accepit ad depraedandum et altera mansit in Lucenburgo. Querelis igitur datis, hii qui remanserant in villa, dolum cogitantes et interim quod arma convertebantur in raptores, juncti pacto sociis pristinis, motionem fecerunt et nobiles aliquos interfecerunt; sed omnes aut occisi sunt aut captivi facti tam intus quam extra reperti. Tunc dux Maximilianus direxit ad Insulis litteras, ut ex cautela super oras Flandriae collocarentur armati. Descendit etiam Parvus Salazart et jussu domini de Bevere cepit Tornchem, in quo castro Franci pridem erant. Apud Calisiam inter duos reges Franciae et Angliae guerra proclamatur, sed non publice propter tractatum qui de pace pendebat adhuc dubius apud Insulis, cum non parva difficultas haberetur de restitutione villarum Arthesiae, quas Franci retinere volebant; aut, si fieret resignatio, dominium nichilominus Francorum rex optinere tanquam dominus supremus petiit; cui dux Maximilianus homagium praestare debuit, in qua re Gandenses, tanquam membrum Flandriae, fortiter incusserunt opiniones suas. Quapropter in Cameraco fuit altera parlamentandi dieta assignata. Cardinalis vero legatus summi Pontificis specialiter descenderat in regnum ut praedicaret crucem contra Turchos assumendam, qui nuper super christianos in multa sanguinis effusione praevaluerant, civitates et castra destruendo, sacerdotes occidendo. Cum non praerberetur ei ingressus, ad Flandriam retraxit se. Tunc episcopus Tornacensis, etiam cardinalis, ad dietam Insulis positam venit. — Dux Maximilianus postquam castrum de Rodomac (aut Louaenge), situatum in confinibus Lucenburgiae et Lotharingiae, redemisset somma mille v<sup>o</sup> florenorum Renensium, et suos ibidem

collocasset, descendit ad dietam Insulis proclamata, ubi nuntii duorum aut trium regum, Flamingi, Brabantini et Ghelrenses, comparuerunt, et nonnulli de Almania. Gandavum tamen primo petiit ubi dietam non servasse Francos intellexit et per ambages dedisse responsum, et in hunc modum Francorum regem nuntiis ducis dedisse pro responso : nichil retinere velle quod duci pertineret vel in quo sibi jus compereret, et breviter in dominos de parlamento suo statuit omnem querelam. Fit igitur remissio nuntiorum, et apud Sanctum-Oudemarum alia servanda dieta proclamatur cum prolongatione induciarum usque ad initium mensis aprilis anni sequentis. — Diebus istis Gandenses, cum dompnum Livinum abbatem de Boudeloo defunctum audissent, intruserunt quemdam Petrum Wymers, cujus pater antea decanus textorum exstiterat, et minas mortis contradicentibus irrogabant. — Die Katherinae virginis, domina Margareta ducissa antiqua Burgundiae, per monasterium Dunensem perrexit ad Sanctum-Oudemarum, factura querelas suas de viro suo duce Karolo per cautelam regis Franciae interfecto, quemadmodum fratri suo Edwardo regi Angliae nuper exposuerat. Unde turbata fuerunt media pacis componendae, quamvis comparuerant Jacobus de Zaboudia, comes de Rommont, dominus d'Arguel, princeps Orengiae, et alii nobiles praecipue domus comitis Sancti-Pauli, cum nunciis duorum regum; unde per Furnis antiqua ducissa Burgundiae retorsit iter in occursum ducis Maximiliani qui per Insulis aestimabat ad dietam accedere. Igitur Insulis consultatio super responso nuntiorum regis Franciae mature deliberatur. Nam omnino rex terram suam quam in Flandria se dixit habere, repetiit, priusquam resignaret eas quas domui Burgundiae substraxerat. Dux Maximilianus Brugas ingressus, stipendia collegit ac armigeris distribuit, quos, ad oras Flandriae tuendas, ex diversis partibus evocavit. Quo audito, in Atrebatu dieta quaedam statuta fuit ante Natale Domini. Sed quid ex hac conventionione pervenit, in sequentibus patebit. — Sicut igitur hic annus vi flatus ventorum inter ceteris intemperatus repertus exstitit, ita similiter volvebatur humani generis status. Illinc enim infideles fideles, istinc fideles conantur vexare fideles. Nam gens Turchorum, in regno Ceciliae portus occupando, terram Ytalorum temptavit invadere. Ubi cum rex Ferdinandus occurrisset, in multa sanguinis suorum effusione certare coepit et ingressum impedire Turchis instituit; sed nequivit eorum potentiae resistere, quamvis Sixtus quartus mirabilem ei praebuisset assistentiam. Unde cum ad Romanam urbem percepisset eos non parum anhelare, pontifex praefatus Avinionem citius requisivit, et nisi principes christiani populusque fidelis obviassent huic periculo, sedes Urbis translata fuisset.

Tractatus de pace nullibi convenienter inter regem et ducem haberi potuit. Quapropter dux, Natale Domini Brugis celebrans, omnem statum patriae convocari fecit, ubi exposuit regis injustam petitionem antequam aliquid de pace concluderetur. Interea supervenerunt nuntii regis Angliae, necnon ducis Britanniae, qui fidem regi Franciae firmiter asserebant falsam et non observandam. Unde turbata fuit pax, et Gandenses



offerebant se in obsequium, sed consentire volebant ut stipendia darentur extraneis, nec contribuere volebant; sed ad bellum ducendum sub suo domino parati semper occurrere reperirentur, etiam in propriis expensis, quae res placuit comiti, displicuit vero nobilibus, quod jam plusquam LXXX relegassent ex Flandria, quos dicebant in colligendis denariis duci et patriae detraxisse, pluresque nominatim expresserunt adhuc capiendos si non emendaverint, ex quibus super alios Martinus Lem Brugis accusabatur. — Cum igitur nos putaremus inducias esse conclusas inter regem Francorum Ludovicum XI<sup>um</sup> et ducem Maximilianum, proditio protinus percipitur a Francis qui fortalitia quaedam intereipere conabantur, et quia Brugis esset dominus de Bevere, necnon Parvus Salazart, capitanei villae de Sancto-Oudemaro, subtiliter illi de Morino modum invenerunt cum loco tenente Salazart, et per quaedam hastiludia circa villam proclamata inter Francos et Burgundiones, saepius locum tenens cum Francis de Morino parlamentabatur, super traditione loci, nec dubium cessisset villa Francis, qui cum VIII<sup>o</sup> lanceis se paratos ad portam praesentabant, nisi cives perpendissent machinationis dolum, qui miserunt secrete quosdam ad capiendos illos ex Francis qui significarent tempus et horam aggrediendi. Mox ipsis captis, duci Brugis nova deferuntur, et in adventu Salazart capitanei gentium quae tradidissent villam, accusatus fuit locum tenens ipsius, et cum adhaerentibus sibi decollatus. Itaque Franci confusi recesserunt a muro. Nichilominus Salazart giravit ad capiendos aliquos in via, sicut vir bello peritissimus, et repperit Flamingos ad partem regis declinatos, quos sequenti die jugulari fecit, Francis captivis reservatis qui narrabant secreta talia, propter quae dux Maximilianus terra marique festinavit indicere regi Franciae guerras tanquam perfido fractae fidei. Fuit autem ante Calisiam navis grandis ex Zelandia, fere cum VIII<sup>o</sup> viris periclitans, in qua sub induciis mercantiae quorundam debebant in Portugalam duci; sed propter rumores ortos de guerris retorsit se navis ad Zelandiam, et ordinatione ducis pro guerris ducendis adversus Francos aptabatur. Deinde propter nobiles nolentes comparere Gandavi, fuit assignata dies in campo vulgariter dicto Bulscamp, ad sciendum numerum bellicorum virorum quia cum tribus turmis dux intendebat Arthesiam invadere proximo veris tempore. Quarta igitur februarii, dux Maximilianus Gandavum ingressus, ibidem convocaverat tres status; sed quia nobiles recalcitrabant accedere, praecipue dominus de Bevere, sub tutoribus villae Gandensis, sic tractatum est ut in tribus locis Flandriae fieret armorum ostensio nemine dempto nobilium quin compareret in locis assignatis. Haec cum fierent, motio facta fuit denuo per illos de Houek in Hollandia, qui vocaverunt ex Gheldria quosdam, cum quibus per glaciem, cum acerrima congelatio nivisque multa fere durasset ebdomadum VII, villam Leydam capere conabantur, et primo sunt aggressi domum Philippi de Wassenare sub manibus, quem cum omni familia perimerunt in ea, repulsi tamen a villa fuerunt; nichilominus ignis immissus erat. Tunc illi de Busco-Ducis, cum suis peclariis Graviam aggressi, tres bloc-

domos eum propugnaculis crexerunt, sic quod ruteris exitus non pateret. Quod cum audissent illi de Novomagio, collectis armis, irruerunt in Brabantinos, et usque sub maenibus ante villam praefatam, ubique ignem supponendo comparebant, et dampna multa intulerunt incolis. — Zeelandrini perdidit caracem eorum ante Calisiam. Domina Margareta de Ioreh, terram suam de Voore, alias de Briele in Zelandia, pro guerris contra Ghelrenses exposuit ad vadium. — Diebus istis a regno Ceciliae et Apuliae Turci fuerunt ejeeti in strage maxima, recuperatis locis perditis. Reversus est a regno Franciae, comes Polanus, qui fuerat in dicta de Bommy captivus abductus, et hic de rege Franciae talia nova tulit ut adhuc spes esset habenda treugarum. Sed interea dominus de Houbourdino, bastardus Sancti-Pauli, Bouchet, castrum in terra de Marle, vix perdidisset, nisi sua valens armigerorum audacia restitisset, et dominus Cornelius de Bergis, cujus frater episcopus Cameracensis installatus erat, nuper capitaneus civitatis illius, castrum de Boheym a Francis etiam defendere curasset. xiii<sup>a</sup> februarii dominus princeps Orenghiae, Philippus de Chaalon, dominus de Symay, una cum aliis deputatis, necnon abbas Sancti-Bertini, magister Petrus Boogard, decanus ecclesiae Sancti-Donatiani Brugis, et alii plures transfretabant, quidam in Angliam, quidam in Britanniam; et dux Maximilianus consilio Gandensium atque trium statuum omnes capitaneos relaxavit. Tunc ex illis dominus Philippus de Burgundia, filius Anthonii, Gandavum accessit, ubi plane sibi dictum est quod resignaret villas de Aria et Sancto-Oudemaro, in manus trium statuum Flandriae, qui providerent de Francorum insultu melius quam ipse haecenus egerat, et praefatus Philippus se plurimum coepit defendere, dicens, si sui licentiarentur, quod ad partem aliam declinarent tales forsitan qui Flandriam gravare possent, etc.; et sic turbatio nova successit. — Apud Novomagium Ghelriae puer cum duobus natus est capitibus et aliis duplicatis membris, qui dum ad fontem delatus esset, sanguineus fons apparuit, quod portentum affirmavit gladium super ipsos casurum. Nam Franco miles quidam villam de Leerdam occupans, terram de Hoosdem et Gorkem invadens igne devastavit penitus. Haec dum illi de Busco-Ducis ad ducem Maximilianum deferrent et efflagitarent ejus auxilium, mox cives Novomagienses spiritu quodam permoti pacis et taedio vicinorum affecti similiter miserunt ad praefatum ducem, offerentes se suae discretionis; factumque fuit in concilio Brabantiae concordiae pactum inter suos Brabantinos et Ghelrenses, ita ut ab impetu cessaret utraque pars, donec concilium ducis praefati petitiones Ghelrensiarum admississet. Itaque modus et forma pro parte concordiae dicebatur, quod adhuc Karolus futurus dux Ghelriae nutriendus remaneret in curia dicti ducis sub tutela materterae suae ducissae Mariae de Burgundia, donec habilis esset ad regendam patriam suam; et penderent tributum Ghelrenses ad illud tempus annue duci Maximiliano pro expensis habitis, atque renuntiarent ligae quam confecerant cum adversariis dicti ducis, praestarent autem suis expensis centum lanceas pro guerris fovendis contra regem Franciae vel alios adversarios pro totidem temporis.

Sic relictis obligationibus aliis foedus compositum exstitit in fine mensis februarii; et in principio martii convenerunt deputati Ghebrae, coeperuntque cum duce Maximiliano tractatum pacis in Buscoducis, dieta quadam ibidem assignata. Licentiatis igitur Anglicis qui in praefata villa locati fuerant, dux a Gandavo sumpsit iter illie comparendi. Cum autem haec fierent, quidam de consortio Philippi de Crieveuer a Bolonia mari se dederunt, non obstante tamen legatione per ducem praefatum versus regem Franciae facta. Nam Gandenses ad libitum euneta gubernare praesumebant, et suasit concilium nobilium sibi, si permiserit eos patriam tractare, quod infallibiliter rebellarent tandem repetendo malas consuetudines eorum sibi confirmari. Quae res in grave praesudicium nedum sibi sed patriae evenire posset; usurpare profecto sibi relegationes nobilium et cives defendere, ceteraque jura abolita per Philippum revocare, disperdere patriam videntur apud sapientes, et solius est principis similia proponere pro justitia. Gandenses igitur de dominio quod sibi applaudebant coeperunt omnes extraneos officarios absolvere principis, et domina ducissa Burgundiae Maria, naturalis heres patriae, non parum indignare coepit adversum eos, eo quod nobiles de Burgundia secum habitantes et a facie regis declinantes a capitaneatu deposuerant, neque permittebant eos amodo gaudere stipendiis, sed ipsi denarios collegerunt atque distribuerunt ubi placuit. — Tunc ipsa domina viro suo conquesta requirebat ut cum rege Franciae pactum potius et foedus pacis iniret quam hoc permetteret diutius, quia hujus modi occasione priscais temporibus graves exortae sunt discordiae, lites et bella crudelissima, quemadmodum de suis praedecessoribus ad plenum dolose referunt historiae. Dux igitur Maximilianus instituit circa medium martii dirigere nuntios suos ad regem Franciae, et tractari res coepit ex tunc primum de pace. — Karolus dux Aurelianensis, cujus mater ex domo Clivensi processerat, ex parte cujus ipsa ducissa Burgundiae, domina Maria, magnam affinitatem sanguinis eidem duci praestitit, inclinatus ad partem domus Burgundiae, requisivit transfretari ad regem Angliae, quatenus eum eo tractare posset de rebus arduis, utputa de successione, tanquam proximior heres in regno Franciae. Nam continuo rex laborabat et capitanei regni regimen usurpare volebant quasi pro Dolphino dicti regis Franciae, qui, si superesset, inhabilis, ut dicebatur, erat. Quare, si pacem et foedus ab eo posset accipere eum domo Burgundiae, faciliter componenda res fuisset, ex qua domo pro parte matris ipse procreatus extitit. Responso igitur habito votive, curiam ingressus, coepit quosdam collaterales regis inerepare, dissuadentes tractatum pacis eum domo Burgundiae. Quod, eum aegre praefatus dux ferret, occidi fecit unum, et alios capi in praesentia regis, assumendo regimen coronae. Sic, exorta discordia, varii nuntii incurrando et transfretando pro pace laborabant; cujus occasione nuntii imperatoris et regis Angliae sese dederunt ad interloquendum eum rege Franciae, prolongatisque treugis a prima aprilis usque ad initium julii, plures delegationes nobilium atque diversarum nationum peractae sunt. Nichilominus ipsi de garnizonno Ariae ceperunt quosdam in Morinum ex Francia

venire cupientes pro succursu eorum qui villam illam tenebant et stipendia, cetera quoque jocalia quae secum ferebant, tulerunt Arienses, et captivos in Sanetum-Oudemarum duxerunt ad alios ibidem detentos. Supervenit etiam relatio de Philippo de Crieveeuer quod mari sese dedisset ad spoliandum, quia per terram impotens factus erat ad delibendum occursum bellicum prout anno superiori fecerat. Sed nichilominus capitanei regis Francorum, collectis armis, fere usque ad numerum v<sup>m</sup>, transfretando Scotiam petierunt. Nam rex Angliae publicas guerras gerebat contra regem Scotiae, qui, videns se circumveniri, significavit secrete regi Franciae pro succursu ad resistendum Anglicis, qui in gravi exercitu limites regni Scotiae ingressi, vastare coeperant aliquas terras, deinde convenerunt. — In principio mensis aprilis, cum nuntii ducis Maximiliani Parisius tardarentur et exspectarent responsa, rex Franciae pene usque ad mortem lapsus est in apoplexiacae aegritudinem, et contra ducem Aurelianensem comes Engolismensis, germanus suus, ei se voluit in regimen regni praesesse, asserens se tam propinquum in sanguine et linea regis, sicut ipse; cui, cum dominus de Boudeville favorem gereret, dux Aurelianensis eum manu propria jugulavit, et mox totius regni major capitaneus, dominus Karolus de Amboyse, defunctus est. Coeperunt igitur inter se discordare pro regimine regni seu tutela Dolphini. Interea dux Britanniae se obtulit ad serviendum duci Maximiliano; rex Angliae pariformiter obtulit eidem v<sup>m</sup> architenentes: quod, ut illi de Sancto-Audemaro et Aria perceperissent, nichil de treugis observabant. Ideioco garnizonus de Bethunea descendens cepit castrum de Steeghers supra Lizam in Flandria, eum omnibus qui se tenebant in eo. Sed dominus Johannes Cortewille principalis non extitit in loco. — Dux Maximilianus, in Hollandiam pergens, cepit Goudam et Leydam, quae villae sese pro Houek tenebant, et reformare coepit bendam eorundem hominum, numerosaque pecunia multavit quosdam, et alios aut relegavit aut capite puniri fecit. Igitur eum expeditionem in Hollandia de controversia populi sedasset, Buseum-Ducis villam suam est ingressus, ut eum deputatis ex Neumagio et patria Ghelriae concordiam inchoatam suis litteris sigillaret; quae eum ante diem Palmarum peregisset, per Brabantiam descendit in Flandriam. Tunc illi de Busco-Ducis retraxerunt se de villa Graviensi quam a multis diebus obsederant. In gratiam pariformiter fuit receptus dominus Guillelmus de Arenbouch, cujus frater se continuo servabat de parte ducis. — Unde de gestis hujus Willelmi suis locis miranda referri possunt.

Postquam dux ordinem Velleris celebrasset in Busco-Ducis, quidam rutheri Gravian ingressi sunt subtiliter, et habentes manum super cives, iterum super illos de Busco-Ducis irruerunt, ignem mittendo. Ambaciatores ducis Maximiliani, concilio Parisius concluso, cum nuntiis regis Angliae dictam statuerunt ut audientiam in presentia regis Franciae possent habere, aut alias recedere volebant. Tunc Parisienses ad regem certos deputatos miserunt, per quorum informationem, licet aegrotans esset rex, curru descendit, et tractare rex coepit cum nobilibus. Unde rex mandavit illis de Morino quod a

cursibus desisterent; qui, cum non parerent imperio, circa medium aprilis, egressi denuo spoliaverunt monasterium Clarimariense; sed ut Philippus de Burgundia et Salazart adventum eorum audissent, absque mora cum multis equestribus viam eis intereluserunt redeundi. Post pugnam igitur, multis caesis, praeda cessit Burgundis, et pavei Morinum ex Francis ingressi non redierunt, sed miserunt deputatos quod induciae servarentur, prout ipsi regale mandatum deinceps observare curarent, nichil inferendo mali. Fuerunt igitur induciae proclamatae Sancto-Oudemaro, xv<sup>a</sup> aprilis, et communicare coeperunt pacifice colloquentes et nuntios mutuo recipientes, per quos illis de Sancto-Oudemaro certificatum existit qualiter rex Angliae honorifice receperat nuntios ducis, scilicet: dominum Sancti-Bertini, dominum de Symay, etc. Exclasis igitur capitaneis, rex, cum hiis qui de sanguine suo erant, tractavit ut pax concluderetur; quibus novis habitis, fiunt processiones, et preces humiles fusae sunt ad Deum qui solus pacem inspirare, hominesque potest solus inducere. Verum cum a Parisius nuntii ducis versus Amboyse, ubi rex Franciae degens erat, pergerent, obvii facti sunt eis nuntii imperatoris qui jocundi cum ipsis communicaverunt et sine dubio regem dixerunt ad pacem inclinatam, dummodo dux Maximilianus ligam quam contraxerat cum Anglicis et Britonibus solvere vellet, alias non optinerent, nisi treugas. Itaque per audientiam processerunt, et interim dux Aurelianensis scripsit duci Maximiliano, quod favorem ei dignaretur praestare, cum domus Burgundiae a multis diebus illam de qua ipse fuerat ortus dilexerat, ad assequendum regnum post mortem regis Franciae, quia contendentem habuit ducem Engolismensem, nepotem suum, et quotquot ab eo peteret, optineret. Certare coeperunt igitur nobiles de successore, quod fuit initium desolationis futurae super regnum illud. xvvi<sup>a</sup> aprilis, ex Calisia descenderunt nuntii ducis Maximiliani, scilicet: dominus Sancti-Bertini, dominus de Crouys et de Symay; sed quid oneris habebant, non explicabant nisi praesente duce Maximiliano. — Eodem tempore, domina Margareta, soror regis Angliae, misit plures colubrinarios ad fratrem suum regem Angliae, de Maehlinia et aliis locis. Item transfretati sunt plures ex Hollandia, Zelandia et Flandria versus Angliam ut Scotiam impugnarent. Rex autem Scotiae sciens exercitum Anglicorum approximare, subtiliter omnes incolas vocavit ad tutiora, et cum bestiis et armentis ascendere fecit a facie adversariorum, sic quod ad vescendum in campis parum relinqueretur. E contrario rex Angliae navibus aptatis et provisione facta, cum victualibus praetendebat invadere, sed quia mos est Scotis ad cohortem in arma ruere et aut omnia committere fortunae vel mori, consilio baronum inventum est medium colloquendi pro pace, nec tamen uterque rex dissolvit exercitum, sed expectabant nova de responsis et interlocutoribus, et haec facta sunt propter aegritudinem regis Francorum qui Scotis confoederatus subsidium miserat in fine anni hujus M<sup>i</sup> CCCC<sup>i</sup> LXXX<sup>i</sup>. Rex Francorum fecit nuntius ducis Maximiliani, domino Judoco de Lalaing, etc., sub forma verborum dici quod, si dux pacem vellet, a Burgundia utraque recederet et ab aliis comitatibus, praeter a Bolonesio; si treugas peteret, etiam quanto tempore vellet, optineret. Sic reversi sunt.

Nota quod postea circiter xxiiii<sup>m</sup> exactis annis quam nobilis civitas Constantinopolis subjecta sit imperio Tureborum, dissentione per elimata christianorum orta, inter reges et principes christianos, Machometistae, id est Turehi subjugaverunt omnem partem Aziae et Dalmatiae. Tandem per Euboyam ingressi sunt insulam Rhodianam, et quamquam Constantinopolis nequivit se defendere contra Turehos, Rhodium tamen se tenuit, mediante miraculosa matris Christi Mariae atque beatissimi prophetae Jobannis Baptistae apparitione, ut patet, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXX<sup>o</sup>.

Qualiter autem Turehorum imperator sub titulo tributario requisivit Rhodium et qualiter Meligalo Rhodius perversus profugus transierit ad Turehū, necnon Bassa nobilis Graecus de familia Paleologues, capitaneus Trachiae et classis Turehorum, cum Demetrio Rhodiano tradere nobilem civitatem praesumpserunt, longum esset disserere; et pulehrum est audire qualiter Petrus de Albo-Busco, Alverniensis de Gaule, qui magister militum fuit ea tempestate, resistantiam dederit Turehis infra moenia ruentibus et circumquaque grassantibus, per xcix dies obsidionis, infra quod tempus Anthonius et Demetrius traditores cum Bassa magistro classis et quodam Georgio, perfido christiano qui et demembratus fuit in civitate qua se reddidit profugum, plures vexationes perpetrabant tam terra quam mari; turres et muros suis instrumentis, necnon castrum Sancti-Nicholai, quae turris Burgundiae dicitur, funditus evertentes. Tandem ejecti sunt Turehi, prostrati, demembrati plus quam xi<sup>m</sup> tempore obsidionis, et ix<sup>m</sup> Turehorum sub muris Rhodii necati sunt, qui mutuo se gladiis, ob timorem sanctae apparitionis beatae Mariae Virginis cum lancea descendente super eos una cum aliis angelis, obriverunt, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXX<sup>o</sup>. De assultu quodam qui accidit xii kalendas julii inter molam et turrim Burgundiae, quae dicitur Sancti-Nicholai, ante Rhodium, pugna Turehorum terra marique duravit a crepuseculo noctis usque ad decimam horam sequentis diei; ubi tanta per milites Rhodios dabatur resistantia quod ultra ii<sup>m</sup> v<sup>o</sup> de nobilibus et majoribus Turehorum necati aut subversi sint, et signanter gener imperatoris, de quo Bassa praepositus Trachiae tanta fremens indignatione perrexit ad Phiseon civitatem, ubi Turehorum imperator mansit, et, restaurato exercitu, descendit in obsidionem iterum. Anthonius de Albo-Busco aut Albo-Duno, frater Petri magistri militum, factus princeps Rhodianorum, expertissimus in armis, dominus Monteleonis in Alvernia, retorquens iter a visitatione Saeri Sepulehri, tam valenter se habuit in defensione civitatis, ejus muri frequenter ictibus frangebantur a Turehis, quod effatu sit dignum referre. Nam cum Bassa praepositus oratorem suum misisset ad parlamentandum eum praefato, nec ipse, nec sui quovis modo dederunt audientiam. Unde plus indignatus Bassa cum Turehis suis vii assultus dedit Rhodianis; in quorum secundo, qui duravit xxvii dies, turris Burgundiae demolita est. — De ceteris valde terribilibus in suis locis etiam historialiter tractatur, ad longum require. Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXX<sup>o</sup>, xii kalendas junii, Mahumetus Octavianus, Turehorum magnus imperator, praepositum classis Bassum

direxit ad Rhodios et illis ad plenum exposuit qualiter suus dominus non parum admirabatur de rebellione commorantium in loco illo, qualiter etiam ausi sint resistere tantae majestati, cui necdum reges, sed imperatores orbis obediebant. Subjugarat enim imperia duo et regna XII, sed absque numero principatus et provinciarum gentes. Resistentibus ipsis Rhodianis, prout ex mandato Bassus habuit, luculenter, siquidem erat vir multum expertus, exposuit, eos exhortando ut ad ejus flecterent obedientiam. Cui magister militum Rhodianorum, Anthonius de Albo-Buseo, oriundus de Alvernia, respondit: « Nos satis admirari nequimus quomodo vos tam impetuosa classe navium locum nostrum ausus estis adire; qui parati sumus ex hora hae potius mori quam foedere » quovis nos jungere vobis aut imperio vestro. » — Quo comperto responso, velut insaniciens imperator cum exercitu maximo navium descendit, et manens in portu non longe a Rhodio, Bassum ac ceteros capitaneos cum ingenti copia machinarum terribilissimarum in obsidionem loci promisit; qui descendentes in impetu primo dederunt assultum in turrin Sancti Nicholai, quam piae memoriae nobilis animi princeps Philippus dux Burgundiae, dictus Bonus, exstrui fecerat annis superioribus. Hanc turrin per XXVII dies, die noctuque, ietibus qualibus vice III<sup>m</sup> V<sup>o</sup> magnorum lapidum demoliti sunt cum ruina maxima murorum civitatis ab illa parte. Igitur V<sup>to</sup> kalendas augusti adversarii muros ascenderunt, et quos resistentes poterant invenire, prostraverunt incessanter, erigentes supra muros signa sua; sed in ortu solis pro casu multorum christianorum venit cum suis magister militum juxta portam Ytalorum, ubi cognoverat adversarios ingressum inchoasse; transiliens per hortos latenter irruit mox super illos qui scalas crexerant jam ad intrandum in manu valida, ubi pugna commissa fuit, caesisque Turchis in vico Judaeorum ex magna parte pugnando manu ad manum recepit ietus quinque magister, ex quibus unus mortalis exstitisset, nisi medicorum illico succursu remediatum se viriliter crexisset. Itaque retrocedentibus Turchis, postquam duabus horis milites et intranei se nobiliter defendissent contra XL<sup>m</sup> vel amplius juxta muros et infra muros in plateis, finaliter quo valuit impetu, alter alterum non expectando praecipiti sese dando saltantes ultra per fugam, mutuo se occidebant ex festinatione ac praee timore, post terga non respiciendo; de qua suspicione milites subito de lapsu stupefacti, postmodum experti causam fugae tam inopinatae didicerunt. De occisis Turchis in vico Judaeorum reperti sunt infra muros III<sup>o</sup> vel parum ultra, ex eorum numero qui muros transierant altitudinis XX pedum. Porro dum insequerentur eos milites, spectaculum factum est extraneum, ignorantibus ipsis militibus quis eosdem timor invaserat, persequendo et occidendo a tergo quousque pervenissent ad loca quibus in obsidione se firmaverant; quibus locis derelictis, ceteri territi fugam celerem arripuerunt. Fessi mox milites ad praedam redeuntes traxerunt secum omnia reperta sicut equos et captivos plures, arma, vexilla auro et argento perornata, ceteraque rapuerunt utensilia, quibus vietrici manu per ruinas ingressi sunt in civitatem suam. Cadavera vero Turchorum

ultra III<sup>m</sup> V<sup>o</sup> per campos dispersa remansere, et reperiebantur XV<sup>m</sup> letali vulnere sauciatorum; ex quibus eum ad naves reverteretur Bassus praepositus IX<sup>m</sup> sibi defecisse confessus est doctissimorum ad praelia militum. Captivi tandem visionis miraculum in tanta stupefactione mox enarrabant, dicentes se perlucidam in aere cruce[m] primo vidisse, necnon benedictam Dei matrem Virginem Mariam cristallo clariorem apparuisse cum lancea et scuto vibrantem, quam sequebatur habitu simplici, more villani, beatus Johannes Baptista cum innumera militum armatorum sequela habentium lanceas extensas in aggressu velocissimo, velut in pressura fieri solet exercituum mutuo se petentium. Quae visio sic terruit adversarios ut pro nulla re poterant ad manendum stare seu militum illorum expectare sagittas et lanceas, quibus tam grandis exercitus XI<sup>m</sup> dispergebatur et ad salvationem aufugere cogebatur. Bassus autem dolens in proprio portu fuga lapsus convocatis suis dedit consilium si quid superesset de bonis et grandibus illis machinis et instrumentis, quibus Rhodium oppugnandum erat, injectis navibus, versus Liciam per mare tetendit. Antequam tamen disponendo recesserat, illustris animi Ferdinandus rex Neapolis aut Ceciliae, duas magnas subsidiarias per mare naves Rhodanis direxit. Quarum duectores dum dubitassent ingredi portum, visis adhuc navibus adversariorum, qui quidem mox intelligentes ad succursum obsessorum Rhodanorum fore directas, statuerunt impugnare eas. Velis tamen extensis, una portum ingressa, altera cogebatur ob incursum declinare portum, ictibus gravata lapillorum; tertio postea die salva reversa cepit ingressum eum suis. Fuerunt plurima bona pro confortatione vel solatio Rhodanis militibus per eas exhibita. Nam et summi pontificis Sixti IV<sup>i</sup> necnon praefati regis Ceciliae litterae principales datae certificabant in brevi suscepturos eos a Christi fidelibus et ab ipsis indilate subsidia promissa paternali salutatione pontificis qui cordis affectu verissimos Ecclesiae filios exhortabatur ad confusionem inimicorum fidei fortiter certare, penitus superni ignarus auxilii quod milites precibus gloriosae Virginis et beatissimi Johannis Baptistae e caelo susceperant in fine obsidionis dierum LXXXIX. Post quos dies applicationis eorum in maxima confusione muros reliquerunt et ad imperatorem legis Machometicae transfretarunt. Ubi ploratus et ululatus ex traditione res gesta vertebatur prae dolore, sicut accipiebant christiani. Perversus ille cecidit in infirmitatem corporis apud Constantinopolim et ad opprobrium sibi illatum vindicandum filium suum misit eum exercitu; quem Venetiani sub pacto receperunt et ei transitum permiserunt in Italiam. Qui captis locis multis, usque Tharentum quod occupavit paucis diebus, pervenit. Cui Ferdinandus rex occurrere non tardavit. Itaque filius pro subsidio mittens ad patrem aegrotantem, sicut ex epistola patet, ipse magnus Turcus iterato bellum christianis et Rhodanis signanter rebellibus dedisset, sed mortem subiit. Cui successit primogenitus ejus patri equivoetus, licet alter filiorum geminus a multis postularetur. Tandem inter fratres bellum evenit.

Bartholomaeus Platyna de laude Ludovici (imperatoris) sic inquit : « Utinam nostris



» adhuc temporibus viveres, Ludovice (scilicet anno Domini M° CCCC° LXXX°), quo  
 » tuis maxime censuris et institutis indiget Ecclesia, quae adeo se in omnem effudit  
 » luxum atque libidinem, ut inspiceres coccinatos et trabeatos non homines, sed equos  
 » et jumenta; non in asinis, ut Christus nostri dogmatis auctor et unicum bene vivendi  
 » in terris exemplar, sed in equis perferocibus ac si ex hoste triumphum ducerent,  
 » videres incedere pontifices. Quid de cibis aut ciphis vero attinet, diceres, cum siculae  
 » dapes et chorinthea vasa, etiam si attalica vidères ornamenta, nullius pretii esse possent  
 » in illorum respectu. »

Brugis supra fundamenta murorum molendina aquaria constructa sunt, anno Domini M° CCCC° LXXX°. — In vigilia Philippi et Jacobi, anno Domini M° CCCC° LXXX°, post Paseba, Brugenses indignati Antwerpiensibus, sequentibus annis statuerunt nundinas suas observare eum extraneis et inhibuerunt civibus suis ad alias nundinas transire, unde comparabant teloneum contra dominum Petrum comitem Sancti-Pauli, pro magna summa denariorum xviii annis, et concluserunt imperpetuum ita suas continuare nundinas, datis xxx diebus omnibus absque talliis comparere volentibus, ad destructionem nundinarum de Antwerpia et Bergis in Brabantia, eo quod offenderant cives villae Brugensis; et ad hoc perpetrandum dederunt liberum accessum Anglicis ut panni lanei in ipsis nundinis Brugis venderentur, quod a multis annis non erat concessum; etiam ad Anglicos alliciendos novas falas erexerunt. — vii<sup>o</sup> maii, dominus Guillelmus de Beydren cum vi<sup>o</sup> armigeris per monasterium nostrum iter accepit versus Calisiam ut inde transfretaret ad dietam regis Angliae, quam regi Scotiae circiter xiiii<sup>o</sup> mai assignaverat ut bello rex uterque cum gente sua discidium terminaret. Itaque dum inferioris clymatis orbis angulares christiani bellant, Turchorum exercitus infra Ytalianam cursitat et usque Tharentinam urbem, licet infelici pugna, pervasit limites; nam ex eis feruntur occisa xi.<sup>m</sup>. —

Altera Philippi et Jacobi, tanta tempestas ventorum inhorruit et frigiditas exstitit ut infinitas bestiarum et armentorum greges perirent et aesquinantia periclitarentur homines ex vi ventorum. Unde quidam voluerunt ex conjectura futuram dicere traditionem in Flandria. Nee ab re res evenit. Agentibus enim domino Nicholao de la Marehe, Jobanne de Rabodenghes, bastardo de Vieville, cum ceteris, tradita fere fuisset villa Sancti-Oudemari Francis.

In mense mayo dominus Egbertus, comes de Nassouwe, diffidatus a comite de Wertenburch, ad Lucenburgiam, ubi loca praefati comitis invasa fuerant, tetendit. Et dominus Johannes de Egmond a Dordraeo praecipue postquam se retraxerat, in Hagam se recepit ubi plures de Houek decapitari fecit, quemadmodum aliis in locis perpetrarat. Eodem mense descendit ex Anglia dominus de Arsy, deputatus ad responsa ferenda de regno ac negotiis regis Angliae, qui retulit Scotos partem intrasse regni eum tanto exercitu ut ultra lxxx<sup>m</sup> virorum numerus armatorum aestimaretur, et rex Angliae non minori numero properabat adversus eos in pugnam. Quid autem actum sit suis in locis patebit postea.

— Rex Francorum campos elegit cum dubitaret Anglicos Normanniam posse ingredi. Nam rex Hispaniae confederatus fuit Anglicis, sicut et Britones; unde collegit rex Francorum exercitum gravem, sed ubi tendere vellet, nemo tam cito percipit. Hoc mirum accidit in Burgundia, videlicet quod in castris Divionis per vicus sanguis et aqua ceciderint simul in portentum rerum fiendarum. Nam cautelose rex Francorum expectans expectavit exitum rei de bello Scotorum contra regem Angliae; cumque fortunam belli Scotis inclinatam audisset, ad Cameraacum iter retorsit et misit Anthonium de Burgundia versus Boloniam, ceteros vero capitaneos eum armigeris ingredi fecit Attrebatum, Hesdinium, Morinum, Bethuneam et alias villas Arthesiac. Quod ut Gandensibus innotuisset, statim ad Hollandiam nuntios pro duce Maximiliano direxerunt ut descenderet, et publicabant primo Gandenses guerram; demum xix<sup>o</sup> maii Brugenses, postpositis nundinis, ex falis proclamari fecerunt guerras in Francorum regem, ut ferro, flamma et igne fieri invasio, etc.

— Circa hoc idem tempus, comes de Noorthumbelant in Anglia praeveniens in obsidione cujusdam castris contra Scotos, temere pugnans suos pene dereliquit, et ingressi Scoti Angliam, coeperunt devastare eam. Cui rex occurrit, et gravis caedes commissa fuit, et xx<sup>o</sup> maii transfretatus princeps Orengiae ex Anglia descendit, qui pergens ad ducem Maximilianum invenit eum filiumque suum Philippum apud Buseum-Ducis, ubi celebrabat fraternitatem Aurei Velleris, cui filium suum tunc optimates praesentabant, et impendit ei torquem illius ordinis, statumque sibi sicut principi ordinavit, et a Ghelrensibus tutor acceptus est in omnibus villis, praeter Venloo, quam villam quidam tutor, veteranus miles, servare voluit, sed eum in eodem loco dux obsedit. — Dux etiam Maximilianus dedit Willelmo de Egmont et fratri suo Frederico ordinem, necnon aliis, sed inter seniores illius ordinis quosdam deleri iussit ad ligam regis Franciae conversos; ex quibus Philippus de Cordes alias Criefeuer, armiger Arthesiac, tanquam perfidus, abjectus fuit, et subrogati v vel vi propter quos aliqualis discordia fuit inter curiales, ita quod in arma ruerent Almami contra nobiles de Flandria, quam discordiam sedavit mox Adolphus de Ravesteyn. — Circa finem junii treugae sunt iterum prolongatae ad annum, et laboratum est pro cursu mercantiarum; sed rex Francorum consentire noluit, ymo premere Flandriam fame gladioque secrete disposuit; nam per totam Flandriam gravis bladorum penuria fuit et cruciati sunt pauperes supra modum, et nisi provisionem mare ministrasset, proximi quamplures visi fuissent praefame morti dediti. — Supervenere blada mox de Britannia et Austria; atque Venetiani praebuere subsidium, per quos nuntiatum est certissime imperatorem magnum Turchorum Constantinopoli migrasse, iii<sup>o</sup> maii anno LXXXI<sup>o</sup>; ejus filii propter discordiam ab invicem recesserunt, et maxima junior bella cum Graecis et christianis in fratrem praeparavit. — Eodem tempore dux Glocestre, frater Edwardi regis Angliae, Scotiam cum exercitu et navigio ingressus, primo villam de Leet cepit et conflagravit. Cui dum exercitus Scotorum occurrisset, statim concordia commissa fuit, de quibus suis locis, sed non duravit.

Hoc eodem tempore natus est ipsi duci Maximiliano filius alter in Bruxella, qui mox obiit.

Nota pariformiter de discordia disposita ad guerram contra ducem Maximilianum, anno Domini M° CCCC° LXXXI°, propter Philippum de Gaesbeke, dominum de Heurne, etc., ejus, ut dicebatur, occasione ballivus villae Gandensiae, quondam dominus Johannes de Dadezele, sic vulneratus fuit in Antwerpia ut moreretur. Item, quia praefatus Philippus conabatur discordiam facere inter Gandavum et Brugis, ideo hannitus fuit a Flandria, sed noluit exire villam de Brugis, multis nobilibus sibi adhaerentibus. Unde multum commoti Gandenses scripserunt duci Maximiliano quod eorum privilegia dignaretur salvare, per quae poterant relegare eos qui contrarii reperiebantur dictae villae. Respondit dux libenter favere, dummodo ex hoc non displiceret suis nimium, eum esset perplexus, si recederent ab eo, totam suam patriam esse tradendam adversariis. Igitur multae legationes factae sunt, in quibus dominus Ferricus de Clungniaco, cardinalis et Tornacensis episcopus, multum laboravit ad concordiam, quia de necessitate compellebatur dux nobilium suorum assistentiam implorare, tum ob Trajectenses qui rebellabant et filium ducis Clivenses intromiserant, tum quia rex Francorum ad invasionem Flandriae totis viribus anhelabat, et ad nutandum Gandenses attraxerunt alias villas Flandriae, deputatos mittendo in Franciam ut regi reconciliarentur, oblatis locis aliquibus. Sed quia rex cupidus non contentabatur oblatis, vacui rediere nuntii villarum, qui, vix oras Flandriae pertingentes, audierunt a Philippo de Cordes Ariam acceptam pro summa denariorum, quam in parte susceperant Johannes de Cohem et dominus de.....<sup>1</sup> dictam villam resignando M° CCCC° LXXXII°.

Johannes superstes dux Clivensis gloriose usque ad annos Domini M° CCCC° LXXXI°, moriens et relinquens filios quinque et filias, ex filia Jobannis de Burgundia, comitis Nivernensis, Stampes et Registeti; ejus primogenitus Johannes filiam Palatini Thuringiae et Hasselhae cepit uxorem, anno Domini M° CCCC° LXXXI°, praesente duce Maximiliano, et apud Coloniam sponsalia celebrata fuere; nec multo post idem dux Johannes obiit in senectute bona, relictis tribus filiis quorum senior Johannes, ei succedens in paternis, a duce Maximiliano repetiit partem Ghelriae, cui denegavit Maximilianus eam quia pater consueverat in pensam tenere; quapropter aliquae sunt discordiae renovatae. Alter filiorum a Trajectensibus vocatus est contra David de Burgundia episcopum Trajectensem, qui debellavit eum. Tertius vero plurimum instetit ad sedem Leodiensis civitatis, eum Ludovicus episcopus eorum, lepra perfusus, esset occisus. Quidquid enim postmodum evenit, testantur scripturae. Haec enim meo tempore facta sunt, anno M° CCCC° LXXXII°, quo Ludovicus ille nobilis episcopus de stirpe Bourboniensi, a Wilhelmo Arenbergensi est interfectus in insidiis. Wilhelmus enim Arenbergensis officialem ejusdem episcopi prius interfecerat, et postea dominum suum, eo quod impune delictum remissum sibi fuerat. Hujus frater Everardus partem domus

<sup>1</sup> Le nom est resté en blanc.

Burgundiae tenuit contra regem Franciae; sed e contra Willelmus ab ea recedens, ad omne facinus facilis, Leodienses commovit et ad partem regis traxit fratrem. Alii vero fratres hinc inde dispersi sunt.

Villa Dordraci diebus meis subtiliter fuit accepta per quemdam militem Johannem de Egmunda faventem, ea in tempestate, Maximiliano comiti Flandriae, anno Domini M° CCCC° LXXXI°.

Turci, ab ortu solis usque ad Hungariam et Apuliam, invaserunt omnia regna usque ad annos Domini M° CCCC° LXXXI°; quo anno Constantinopoli eorum imperator obiit, relictis duobus aut tribus filiis, qui pro regnis invicem certavere; senior tamen apud imperatorem Fredericum III<sup>um</sup> veterem confugit in Almaniam, aestimans ejus filiam sibi forte conjugio copulandam, et christianus est effectus. Verum quia Fredericus a Mathia rege Hungariae et Bohemiae vexabatur, ad pacem convenit cum fratre suo, cepitque partem imperii Graecorum.

Dux Brabantiae cum Leodiensibus in multa strage dimicat, et cepit dux Leodium, quod in caede suorum amisit; cepit etiam villam de Dalem, quam adhuc optinet. Deinde successionibus temporum a Brabantinis recesserunt, donec Karolus dux Burgundiae, Brabantiae, etc., reduceret eos; sed, eo sublato bello Lotharingorum ac Francorum, iterum sub Maximiliano et ejus filio Philippo duce, vix e cunabulis educato, post mortem matris suae Mariae, filiae dicti ducis Karoli, rebellavit, occiso eorum episcopo, avunculo dominae Mariae de Burgundia.

Africa a Belisario duce primi Justiniani c et LXX annis Romano paruit imperio, quae postea a Sarrachenis una cum Bethica Hispaniae, quam Granatam nunc vocant, in Christi nominis ignominiam, annis VII° et LX sub Turchorum imperio mansit; sed a Fernando, rege Hispaniae, recuperatur anno Domini M° CCCC° LXXXII°.

Ludovicus de Borbonia, factus episcopus Leodienses per avunculum suum Philippum ducem Burgundiae, etc., anno Domini M° CCCC° LVI°, rexit fere XXVI annis, et per insidias illi factas occisus est, anno Domini M° CCCC° LXXXII°. Cui successit Johannes filius comitis de Heurne apud Hulst, in observantia Minoristarum degentis; sed habuit competitores, filium primo Willelmi de Arenbergio et Anthonium de Crouy: ipse tamen confirmatus erat.

David, episcopus Trajectensis, filius illustris ducis Burgundiae, Brabantiae, Lemburgiae et Lucemburgiae, comitis Flandriae, Arthesiac, Burgundiae, Hannoniac, Hollandiae, Zelandiae et Namurensis, rexit gloriosius omnibus praedecessoribus in pace xxxi annis. Deinde circiter anno Domini M° CCCC° LXXXI°, Trajectenses rebelles facti, per ducem Maximilianum, quem episcopus vocavit in auxilium, obsessi fuerunt, et bello victor obtinuit archidux Maximilianus civitatem. Sic ex Dordracio et Trajecto trajecit aciem in Gandavum, et ipsum similiter oppidum invictissimum, totius Flandriae caput, obtinuit anno Domini M° CCCC° LXXXV°.

## DE INSIDIIS REGIS FRANCORUM IN DOMUM BURGUNDICAM.

Parisius in scolari de Dunis in venerabili collegio Sancti-Bernardi relicto, de gratia reverendissimi in Christo patris domini scilicet Johannis abbatis ejusdem praectati monasterii Dunensis, motio facta fuit inter Francorum regem serenissimum Ludovicum et fratrem ejus Karolum ducem Bituricensem, cujus querelam contra praefatum regem sustinuerunt principes illustrissimi Karolus, dux Borboniae, et Franciscus, dux Britanniae, apud quem dictus frater regis confugerat : qui de Britannia litteris missis attraxit secum illustrem ducem Burgundiae Philippum ac filium ejus unicum Karolum, quamquam eundem regem dux Philippus introduxisset post mortem patris regis Karoli defuncti, anno Domini M° CCCC° LXI°, quoniam ab illo tempore quorundam suadela sinistrae suggestionis quaesierat rex occasionem adversus fratrem suum, qui ducatum Normaniae sibi dixit contigisse; et forsitan, cum rex nondum haberet filios sed filias, ideo ducatum petiit ne matrimonio filiarum in principaliori portione regni diminueretur. Praeter dictos ergo principes traxit ad ligam suam ducem Borboniae, Karolum, ducem Calabriae Johannem, ducem de Nemours ac principem de Orenzia, similiter principem Navarrae qui postea factus est rex Hispaniae, una cum comite Armigniacensi. Praesentis rex istorum ligam, arma collegit, et ob guerras Leodiensium in propria Philippus dux Burgundiae mandatus a fratre regis, venire distulit; sed ad diem conveniendi statutam ceteris principibus, filium suum Karolum comitem Chadrolatensem direxit cum exercitu fere x aut xi<sup>m</sup>. Rex autem praevenit, ac ducem Borboniae primo bellis aggressus est et ipsum expulit et humiliavit, obviam descendens Karolo comiti, filio Philippi ducis Burgundiae, quem, priusquam advenirent colligati principes, bello excepit ultra Parisius, sub castro Montis-Henryei, anno Domini M° CCCC° LXV°. Bellicoso concursu patrato, quo plures ab utraque parte ceciderant, vix comes Karolus graviter laesus evasit; et reliquit rex campum, Parisius petens illico, ubi se fortificavit contra principes obsidionem praetendentes, quod tamen non egerunt; sed apud Conflantium frater regis una cum duce Borboniae, comite Chadrolotano Karolo, cum quo venerat Ludovicus comes Sancti-Pauli, comite vetulo de Dunoyis ac ceteris de sanguine regali parlamentum tenuit et petitionem fecit, datis induciis, negotiandi, accordandi et conveniendi; factumque fuit ut frater regis obtentum super ducatu Normaniae sortiretur et per duces Britanniae, Borboniae, etc., Rothomagum introductus est, ubi parva mora residentiam fecit. Ad requestam autem comitis Chadrolotani, Ludovicus comes Sancti-Pauli regni factus est connestabularius, etc. Pacatis ceteris principibus, rex in propria conduxit Karolum comitem versus paternam hereditatem; in quam veniens arma convertit in Dynantenses; et mox audivit fratrem regis expulsam a Normania, nichilque regem velle de tractatu facto per principes observare, quin etiam fratrem suum apud ducem Brita-

niae velle persequi gladio, gravissimo exercitu praeparato. Sed, Philippo duce Burgundiae moriente Brugis, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXVII<sup>o</sup>, profectus est Karolus, jam successor effectus, in exercitu magno; cui rex Francorum in osculo pacis obviam venit non longe a Perona. Quorum exercitibus pacifice conjunctis, iterato pax illic inter eos est conclusa conditionibus multis repetitis ac alias tractatu Conflantis declaratis; in quo etiam rex contentabatur de matrimonio ducis Karoli contrahendo cum sorore Edwardi regis Angliae. Verum in perfectionis foederis nexum, idem rex Ludovicus cum praefato duce Karolo perrexit ad Leodium evertendum, eo quod totiens ipsi duci Philippo ac moderno duci Karolo rebellionem post varios pacis tractatus infregissent et ostendissent Leodienses. Post cujus patriae vastationem, rex in Franciam iter torquens, reliquit connestabularium suum Ludovicum de Lucemburgo, comitem Sancti-Pauli, quem exosum Anthonius de Burgundia, frater ducis Karoli, quo motu nescio, valdeque suspectum semper habuit, praesentiamque, quantum potuit, declinavit suam, quamquam ad Sanctum-Oudemarum cum ceteris nobilibus Angliae properaret descendere, ubi dux curiam Velleris Aurei more praedecessorum suorum servavit. Quia tamen illic de Anglia suus adversarius advenerat, videlicet dux Riquardus de Warvie, tertius rex Angliae, relicta curia ducis, ad regem properavit, et secreta quaedam denudans, partem ducis Karoli palam dereliquit. Tertium ideireo regem appello Riquardum, quoniam in Anglia tantae reputationis ut detruso rege Henrico fecit loco sui regem Edwardum de Iorch, comitem Marchiae, et e converso procurante ipso, fugato Edwardo, Henricus restitutus fuit. Hic etiam ex Anglia bannitus, receptus fuit a rege Francorum Ludovico, cujus filium sacro de fonte levavit una cum Edwardo profugo principe Gualliae, filio regis Henrici, quem, transfretando contra conatum ducis Burgundiae, reduxit in Angliam, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXIX<sup>o</sup>. Quo tempore, regnum ipsum Angliae motionibus multis turbabatur, et obtentum sine dubio pro se perfidus ille dux Riquardus habuisset, si Francorum ligam minime observasset, quia fugatus rex Edwardus unica navi, clam acie relicta, per mare vectus applicuit apud Hagam Comitum in Hollandia. A qua Flandriam ingressus, cum socero suo duce Karolo de recuperando regno concilium celebravit. — Interea civitas Ambianis sese resignavit Ludovico connestabulario Franciae; similiter villa Sancti-Quintini, Viromandensis, etc. De qua re dux Karolus attonitus tertio Franciam aggressus est gravi cum exercitu. Sed praefato Ludovico intermedio, treugae per annum concessae sunt. Itaque transfretato rege Edwardo pugnatum est duobus insignibus bellis in quorum primo prostratus fuit praefatus dux Riquardus cum adherentibus sibi, retruso denuo rege Henrico Turri juxta Londoniam. In secundo vero bello princeps Gualliae captus et occisus exstitit una cum comitibus de Zombrezet et Dorzet, Margareta matre principis Gualliae, quae filia fuit Renati regis Ceciliae, captiva retenta, cujus mox nobilis vir Henricus rex in captivitate, de consensu e converso regnantis Edwardi, fertur extinctus misere, dum ex utero matris suae Katherinae, filiae Karoli

sexti Francorum regis natus, rex Francorum simul et Angliae fuisset quinquaginta et novem annis pacificus. Edwardus rex, recuperata corona, contra regem Franciae duci Burgundiae coepit adhaerere. Qui quidem dux quarto Franciam ingressus cum exercitu copioso, cum non posset Ambianis rehabere, capitaneis regis eam servantibus, profundius intrans, Belvaecum temptavit accipere, ubi similiter repulsam passus, Normanniam intravit et usque ad Rothomagum pervagavit, cuncta ferro et igne vastando; sieque reversus per Viromandiam, denuo treugas annales accepit, fratre regis interveniente, qui una cum Ludovico comite Sancti-Pauli, connestabulario Franciae, media convenientia de pace componenda reperit. Unde breviter rex fratrem suum fecit ducem Aequitaniae, hoc salvo quod eum filia unica regis Henrici matrimonium iniret, ut sic coronam Hispaniae posset obtinere, quamquam de filia unica ducis Burgundiae Karoli verba jam intervenissent; sed nullam cum domo Burgundiae rex ligam eum habere voluit. Ymmo comitem Armigniaci ferro delevit, ejus patrias sic usurpando. Ducem vero Johannem Barensen ac Calabriae primum expedire, postea filium ejusdem, eo quod de liga essent ducis Burgundiae, subtiliter procuravit non ferro sed poculo. Postremo fratrem interire veneno similiter perpressus est. Dexteram continuo regni alam auferre, rupto foedere, anhelavit rex, undique quaerens insidiari nobili domui de Burgundia. Sed princeps Navarae, loco patris sui Johannis regis Arragonum, guerras maxime nocivas sic gessit. Quapropter permisit ducem Karolum conquestari Gelriam et adire sub Aquilae grandi adjutorio Treveris, ubi Fredericus tertius, imperator Almannorum, post immensam pompam nobilium ibi congregatorum de parte ipsius Karoli, parlamento celebrato, minus quiete duci consentiens, in ducatu Gbelriae confirmavit, quem ab Arnolde duce nuperrime defuncto comparaverat, cujus filium captivum fecerat dux Karolus in Curtraco. — Permisit ergo rex Francorum haec omnia, sub silentio majora molitus, missis hinc inde suis et muneribus attrahens quosdam collaterales ducis, videlicet Balduinum de Burgundia, fratrem naturalem ejusdem ducis, Philippum de Cominiis, aliosque plures perfidos corrupit ut sinistre continuaret obsidionem quam idem dux Karolus posuit ante Nuchiam, anno Domini M° CCCC° LXXIII°, quae per annum duravit ferme ad gravissimas expensas et dampna suorum. Cujus obsidionem cometa praemonstravit horribilis, cujus effectus de die in diem ex indispositione firamenti ac qualitatibus hominum prodiit; nam ab Oriente caudam traxit in Occidentem. Forsan caput Orientis quod Turci, proch dolor! servant praeter spem humanam, processurum in Christianos occidentales discordes ac tumultuantes invicem, movendaque bella principum occidentalium insinuans, inter quos praecipue dux Karolus excellebat, qui adversum se suscitavit necdum regem potentissimum Franciae, sed et totius Almaniae fideique catholicae superiorem defensorem imperatorem Fredericum, qui nichilominus ex nepte sua filia regis Portugalae filium susceperat nomine Maximilianum, matrimonio copulandum Mariae filiae Karoli, quam susceperat ex Elizabeth filia ducis

Borboniae. Stante profecto Nuchiensi obsidione, in finem anni LXXIII<sup>ti</sup>, foedus inter eundem imperatorem ac ducem Burgundiae Karolum atque alios Almaniae principes, percussum est; vixque relieta ea, dum dux Brandeburgensis non acquiesceret sed praesumpsisset belli signa, Karolo novus dux Lotharingiae Renuatus, filius comitis Valdemontensis, litteras diffidentiae direxit. Unde sub ductoribus exercitum in Lotharingiam dimittens, ad socerum suum Edwardum regem Angliae Calisiae transfretatum, cum exercitu descendit, quem illic applicuisse ferebatur instinctu Ludovici comitis Sancti-Pauli, connestabularii Franciae, qui se Francis percipit exosum et ratus est posse mantere se cum Anglicis partem regni. Verum barones, cum ducem Burgundiae parva comitiva prospexerant advenisse, in quo regnum Franciae putabant subjugari posse sibi, nec promissum servasse comitem Sancti-Pauli de villis deliberandis ad tuitionem exercitus regis Angliae, suggestionem suorum mox Edwardus rex non longe ab Ambianis cum Francorum rege parlamentum agens, treugas percussit, postpositoque duce Burgundiae, reges illic convenerunt, baronibus et armigeris Angliae receptis et intronmissis Ambianis. De quo dux Burgundiae supra modum indignatus, cum audisset ab Edwardo rege dolos connestabularii, similiter foedere facto cum rege Francorum, recessit dux Karolus, quem secutus connestabularius quaerebat cuncta detegere; sed apud Montem Hannoniae captus ac regi Franciae non multo post deliberatus fuit, qui apud graviam ignominiose Parisius decollatus exstitit. Transfretato rege Angliae, duceque Burgundiae Lotharingiam repetente quam armis subjugavit, rex immediate prosequutus est quod mente diu conceperat, evocandum a Lotharingia ducem Burgundiae contra Suetones juvenem Sabaudiae ducem infestantes, eo quod illa domus de sanguine Burgundorum erat. Unde sub praetextu ac velamine foederis, capitaneos qui duci non parum adversabantur, dum Ambianis sese regi dederat, a regno bannivit; qui mox, duce Burgundiae versus Sabaudiam cum exercitu trahente se, Lotharingiam sunt ingressi. Quibus illico Renuatus comes Valdemontis, qui se ducem Lotharingiae dicebat, expulsis Burgundis ac Lombardis relictis, valenter armis ducatum suum recuperavit circa finem anni LXXV<sup>ti</sup>. Conduxerat enim mercede Lombardos, quos comes de Campobasso et sui locaverunt in Burgundia, donec dux Karolus mandasset eosdem. Plures pariformiter Anglicos habuit idem dux, quos duxit ad Suetones debellandos. Sic dum bella quaesisset, tam in tergum quam ante parabantur eidem. Unde, cum in conspectu suo praelia deliberare, morisque Suetones mallent quam ejus subjici voluntati, fortunam belli a qua se nequierat retrahere, graviter expertus est. Bellorum autem occasio praecipua fuit quod Suetones quemdam ex parte ducis capitaneum, nomine Petrum Hacquebach, eis deputatum, ob demerita demembratum incuriose, per derisum in dedecus ducis, necarant. Ex quo motus idem dux, ad requestam comitis de Rommont, filii Amedei de Sabaudia ducis nepotis sui, cepit primo comitem de Monte-Beliardi. Deinde, loca multa devastando, properavit obsidionem ad villas praestare, quibus urgebantur Suetones aut in foedus aut in proelia.



Nolente tandem duce Karolo preces admittere, nec pacem et obedientiam quam praesentabant acceptare, sano consilio convenientes unanimiter, decreverunt quas posuerat obsidiones relevare. Unde pro praefilio primo, quod accidit anno Domini M° CCCC° LXXVI°, dux dampna multa passus est ab eis, tam in hominibus, quam jocalibus et instrumentis. Quibus perpetratis in eum, praesentavere denuo dicti Suetones obedientiam dare, velle se rationabiliter dampna reparare et ablata restituere; sed non est pietate motus Karolus, ad bellandum fervidus, quamquam ex baronibus suis perdidisset plures, quin altera mox vice collectis viribus, circa festum Beati Johannis-Baptistae, eodem anno LXXVI°, posita contra Morach obsidione, potentiam quae magna fuit Suetonum, ausus est expectare. Qui quidem, vicinorum ex Austria ceterisque partibus adjutorio, spem suam in Deum fortiter locantes, sicuti dudum plures ex Austria duces devicerant, sic et non ab re posse fieri confidebant, et omnibus convenientibus a tribus locis obsidionem et pareum quem fecerat sibi dux Karolus, viriliter et intrepide sunt aggressi, praefixa die pugnae, quam ad cautelam non servabant, expectando subsidium Renati ducis Lotharingiae Francorumque sibi adhaerentium. Quapropter, ostensa leonis facie, cum in campo congressus statuto neminem aspiceret comparere, relicto comite de Marle, primogenito filio comitis Sancti-Pauli Parisius decollati, sub capitaneis primae custodiae suae quam Anglici pro majori parte servabant, eo quod tractibus ceteris praeminere viderentur, in parco sese recepit, ubi depositis armis, cum baronibus refocillationi corporis in securitate putabat se paululum dare. Cui sedenti ad mensam nunciatum est adesse adversarios per dictum comitem Marlensem non semel aut bis, sed donec fuga campi lapsos perspexisset; tarde fidem adhibuit, quia jam penitus custodiam illam prostraverant Suetones, caeso comite Marlensi, nec de sagittariis curantes intra pareum ducis ausi sunt defendere se. Ubi commisso praefilio, vix fuga salvatus est Karolus, omnibus relictis et eunctis bellicis amissis instrumentis, quorum copiam per montosam ac tortuosam viam illic cum non parvo duxerat labore. Pene igitur destitutus auxilio, dux nondum animo capere potuit, quamquam pro vita sua res acta videretur, quoniam sic a suis informatus erat ad bella continuanda ut quicumque non audacter implicuisset se, quasi pro traditore despiciabatur. Hinc ei majores officarii ministrabant de partibus inferioribus, praecipue cancellarius et magistri finantiarum ejus, corrupti forsan a rege, quatenus per Suetones vindicaretur, quod palam ipse nequivisset adhuc adimplere. Quo dampno lato, dux tam pro denariis quam stipendiariis novis mandavit, quos cancellarius in parte direxit. Nichilominus sub hoc praetextu, vexata pro denariis communitas moleste fere coepit exactionem nimiam quae per cancellarium et officarios ceteros vexata semper durius gravabatur. Undique collectis armigeris, mandavit dux Karolus se velle descendere de Burgundia in Lotharingiam ad obsidionem villae de Nanchy, ducentemque Renatum expugnandum qui praefilio Suetonum interfuisse credebatur, ideoque sibi petiit obviam et in occursum tales dirigi quibus ducentem illum subjugare

posset. Executioni cancellarius mandata dedit, quibus exosus populo privatis suis bonis visus est superintendere. Descendit infelici tamen omine de Burgundia dux Karolus, assumptis quos retinuerat residuos a procliis Suetonum, et obsidionem posuit ante praefatam villam in Lotharingia, quae munita sed non satis, per spatium fere trium mensium, donec subsidium accepisset, fortiter se tenuit contra eundem, populo suo ac nobilibus praerigore algoris hyemalis pene deficientibus. Nam a medio octobris usque ad V<sup>um</sup> januarii remanserat in obsidione. Tunc soluta fuit per duces Renatum. Hoc intermedio tempore, pluries tractari de concordia passus non est animosus dux, quin vi locum illum atque patriam totam tanquam justo titulo sibi debitam conquestaret, non intelligens insidias parari quae nequiant praesentibus diebus perfici super eum, quamquam de collateralibus ad sumendam villam in gratiam cohortaretur. Cui nec de cancellario, nec de quovis alio suorum officiariorum constabat infidelitatem ullam posse latere, quibus mandavit aut populum aut pecuniam continuo sibi transferre, seu valida pro eo manu venire et eripere de manibus adversariorum suorum. In quo eum parum ducere cuncta quae mandarant eos animadverteret, firmavit se juramento etiam si omnes delinquere vellent, eum hostes expugnaturum. — Ex Lombardis igitur comes de Campobasso cum suis, antequam Renatus cum Suetonibus ac Francis quos adduxerat, obsidionem attentasset relevare Burgundorum, magistrum suum duces videlicet Karolum dereliquit, et cum Renato duce Lotharingiae, sicuti plures secreto fecerant, in illum mox arma convertit. Quinta igitur januarii, videlicet vigilia Epyphaniae Domini, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXVI<sup>o</sup>, secundum usum Romanorum LXXVII<sup>o</sup>, bellum grande commissum est, in quo victor dux Lotharingiae duces bellicosum Burgundiae Karolum devicit, prostratis pluribus atque captivis acceptis, ex quibus praecipue frater ejusdem ducis prostrati Anthonius de Burgundia fuit unus, interempto Balduino de Burgundia confratre altero. Nec mora, Franci Burgundiam ingressi, Divionem et plures in ea villas ad se traxere, dicentes eam regi pertinere non solum, sed et patriam omnem prostrati ducis ob rebellionem confiscatam fore sibi. Propterea rex ipse villas impignoratas, quas diu tenuerat in praejudicium coronae domus Burgundiae, recepit, tradentibus eas capitaneis ejusdem ducis nuper occisi sine consensu filiae relictae domicellae Mariae, quam rex filio suo delphino petiit uxorem; et tradidisset eam cancellarius libenter, sed Gandenses eum reum accusantes decollaverunt, similiter et dominum de Humbereourt cum quibusdam accusatis aliis. — Rex igitur Picardiam totam et Arthesiam pene traxit ad se, Maria de Burgundia non resistente; Flandriamque repetiit in manu valida, Tornaci receptus et in Morino, a quibus locis multa dampna intulit. Liberatis a captivitate duces Ghelriae et comite de Monbeliardo, misit domicella Maria capitaneum in Burgundiam praefatum comitem, qui Divionem a Francis nisus est recuperare, cum multis fortalitiis aliis, interfecto ibi perfido capitaneo supremo regis dicto Magno Zalazaert, captoque domino de Cram cum pluribus aliis ex Francia. Nepotem vero suum duces Ghelriae

capitaneum constituit Gandensium; sed fugientibus Flamingis, ante Tornacum occisus misere fuit dux nobilis Ghelriae quondam. Contra igitur praefatam domicellam Mariam Anthonius de Burgundia, Philippus Crieveeuer et frater ejus Anthonius, Jacobus de Lucemburgo, frater Ludovici comitis Sancti-Pauli Parisius occisi, necnon Philippus Pot, capitanei pridem principaliores ducis Karoli sed regi confederati, descendentes, corruptis pene cunctis aliis nobilibus Arthesiac, Flandriae, Hannoniae, etc., fecerunt aperturam, captis Cameraco, Attrebato, Monstreolo, Abbatis-Villa, Bolonia, Morino, Hesnino, Bethunia ac Tornaco, multisque aliis locis in Hannonia, resistentibus Duaco, Valen-chinas, Insulis, Aria ac Sancto-Oudemaro; quae quidem villae captae sine dubio fuissent similiter a rege, priusquam dietae domicellae sponsus ac maritus futurus Flandriam intrasset, si de gratia Dei dominus Jacobus Galeoth ex Lombardis fidelior non fuisset parti Mariae derelictus, qui, una cum domino de Chantrayne ac alio quodam dicto Parvo Salazaert, praefata loca contra regem diu tenuerunt. — Et haec sic ego, frater Adrianus, monachus Dunensis, testor evenisse anno Domini M° CCCC° LXXVI°.

Anno vero M° CCCC° LXXVII°, natus est ex eadem domina Maria de Burgundia, viro suo duce Austriae, filius Philippus nomine. Quare datis induciis, rex conversus est ad pacem ineundam tandem, quam, nisi post mortem Mariae de Burgundia ac suam, consequutus est populus.

---

*Confessionale fratris Adriani de But, religiosi professi Dunis, anno Domini M° CCCC° LX<sup>m</sup>; pontificante Romae Pio II°, praesidente vero Dunis, dompno Johanne III°, <sup>xxvii°</sup> Abbate loci ejusdem.*

Permissione divina, dum in hujus ex utero mundi latitudinem fusus, et priusquam progenitores agnoscerem, derelictus essem, aliorum provida parentum cura me suscepit atque educavit; ex quibus pia memoriae satis gratum notitiae praestigium remanet avunculi mei, scilicet domini Willelmi de But, curati quondam ecclesiae Beatae-Mariae de Saeflinghe, qui circiter anno Domini M° CCCC° XLII°, viam ingressus est universae carnis. Mox me nepos Walterus de But apud Machliniam secum assumpsit, ubi tribus annis peractis in primitivis aetibus scolarium, uterinus hinc frater, matrimonio contracto, me revocavit ad natalis soli confrequentiam, et usque ad annum Domini M<sup>m</sup> CCCC<sup>m</sup> LI<sup>m</sup>, quo tonsurabar in clericum, remansi tutelae subjectus, et mox petulantia puerili Machliniam repetere me fecit, ubi a vitae integritate pene periclitatus juvenilem innocentiam perdidissem, nisi divina me revocasset gratia. Reditum igitur occasione guerrarum Gandensium a Machlinia feci, denuo commoratus apud Saeflinghe, donec adversariorum impetus in flamma devastans patrimonia, coegisset, cum Petro de But,

uterino meo, recedere versus Hoochstraten in Brabantia ubi parentes uxoris suae residebant. Finitis guerris, dietae conjugis contumacia, necnon penuria me repetere natalem patriam et adire senioremeum fratrem, scilicet Jacobum de But, jocundius impellebant; a quo mox provisus in denariis, iterum Brabantiam ingressus, perveni causa studii ad Busemducis, et ferme tribus annis in adolescentia mea cum sodalibus vitam duxi liberrimam, saepius iter arripiens solus, per merthas currens pro provisione necessitatum, quas amore fraterno reportavi, conservante semper me divina gratia; sed, cum laxatas mihi sentirem habenas, supradictam meam adolescentiam de loco Lovanium transtuli, proficere quaerens, quamquam id minime perfecti, sed evasionem in sensu proprio praedilexi. Cum circiter annum Lovanii tenuissem, evenit electio pastoralis in praenominatum reverendissimum in Christo patrem, affinem meum, dompnium Johannem Crabbe. Quod ubi compertum mihi videretur, licet animi levitate, bonum tamen esse persequari si religionis ingressus annueretur, apud me primum ex tunc tractatum est. Curtem igitur Zandi cum parentibus visitando, dum adesse noveram praefatum dompnium, allocutus sum fratres illic residentes ut viam aperirent ingressus mei, quem annuit gratiose mihi dompnus electus; et diem Gandavi statuit ut comparerem illie, illustrissimo duce Philippo tum ibi agente, cujus domina pro nepotulo suo cardinali et archiepiscopo Ulixbonensi impetrarat. Quam ob causam negotia magna pro jure videbantur emergere, et non segniter incumberebat superintendere. Res continuo seu causa litis pendens Romae clamatur coram Calixto III<sup>o</sup> qui defunctus est, nec multo post cardinalis Jacobus, et sic a Pio II<sup>o</sup> confirmabatur electio. Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LVIII<sup>o</sup>, porro de Parisius ex scolis saepedictus me dompnus evocavit in habitum sacrae religionis, et a naufragio saeculi hujus statuit Dunis michi paradisum voluptatis, more summi patris, transgressionem inhibens sub inobedientiae dira pena infligenda. Continere mandata patris, proch dolor! contempsi! Quinymmo, sciens et volens, post concupiscentias abii proprias, quas evaseram in saeculo, divina me conservante gratia. Misertus in tempore illo, curam agens insignis litteraturae magister meus sacraeque theologiae professor, eximius magister Aegidius, oriundus de Roya, mecum Dunis admissus: — « Noli trepidare, frater, inquit, dicam breviter qua teneris aegritudine; nam quo sis a proprii tui morbi cognitione remotior, eo tu morti propinquior es. Descendi tecum forsitan ut tempestivum ferrem errori tuo succursum; nec inde mireris si per me tibi nunc consulendus sit animus. Siquidem tu mei cultor nominis Parisius in scolis, et ego tui Dunis amator factus sum ferventissimus. Quid est ergo, dilectissime, quod tui taliter immemor effectus sis ut ex industria potissime malitiae faveas et miseriae? Nichil, tibi dico, magis restat exhorrendum quam quod periculum tuum agnoscere dissimulas. Unde et in hoc per omnia radix humanae salutis subsistit ut qui se cordis alta meditatione miserum considerat, praecavere curet omni studio ne in finem usque perseveret. — *Adrianus* : Praceptor amantissime, auscultare cogor et pereunctari simulor quid me vis intelligere quem nonnulla

status praesentis felicitas effecit immemorem miseriae. Tu dux, tu praeceptor atque magister, tu consolator optimus et consultator, tu passionum mentis curator accommodatissimus, oro temptes qua sim ope levandus. — At ille : Mortalem an te memineris? — *Adrianus* : Memini certe non sine maximo cogitatus horrore. — *Magister* : Utinam sicuti dicis, veraciter, quia nil efficacius valet in contemptum vitae hujus assidua mortis cogitatione, dummodo non leviter aut superficite tenus insederet hoc menti. — *Adrianus* : Magna sunt ad quae nec labor ullus, nec ulla me provehet diligentia. — *Magister* : Non inficior desiderio quemque posse frustrari si plene sua timeat exui miseria, nec dubitandum quin multi quidem inviti nolentesque sint miseri. Si tibi non ad plausum vulgi seu jactantiam laborasses, tam insulsa non proponeres. — *Adrianus* : Multorum mihi conscius sum errorum, sed quorsum haec tua verba pergant non capio. — *Magister* : O te nimium infelicem, si ad vitae tuae regulam per aliorum deliramenta te confidas perventurum! Prioratu, quemadmodum praedecessores tui, gaudes, sed oportet iter signatum aliorum praestigiis arripias. — *Adrianus* : Si licet omne vitiorum jugum, priusquam contingat mori, saltem excutere. — *Magister* : Idem tecum agere institui ut ostenderem ad hoc evadendum gradum primum optinere mortis assiduam meditationem, et ad humanae miseriae revelationem secundum gradum optinere studium a vitiis resurgendi per verae confessionis attritionem, et cum sapientes peccatum esse velint voluntariam actionem, ut neminem putes peccasse coactum, recte neminem hoc pacto nisi sponte sua miserum affirmarem; si voluntas desit, desinit et peccatum. — *Adrianus* : Fateor quod initium miseriae proprio processit ex arbitrio, sed animadverti factum in poenam, si quando possem, nolui, atque dum velim, assurgere nequeo. — *Magister* : Posses quod plane vales: est enim per se virtutis desiderium pars magna virtutis. Jam transit hora noctis profundae: eras loquar ut sperare te doceam et etiam timere. Quamquam absolute non potest desiderium illud alicui contingere, nisi plene finem desiderii aliis posuerit, eo quod varia sunt et multa quae vel optantur in hac vita vel ad quae conatur animus, tamen omnia vilipendenda sunt ut ad felicitatis concupiscentiam ascendas, quam profecto quisquis sit minus amat, qui secum aliquid amat. — *Adrianus* : Praeceptor indulgentissime, cupiditatem te carpere sentio quae miserum reddit unumquemque, non tamen satis aequiesco qualiter ad exterminium ejus me perducet crebra mortis recordatio. — *Magister* : Conscientiam propriam interroga et, ut Flaccus ait, *ad te post paulum ventura pericula cernes*. — *Adrianus* : Libens haec audio verba, quae nec otiosi vel a casu pendentis, sed multa circumspicientis sunt animi, et utinam singulis diebus immergerer! O bone Jhesu,

Da dextram misero, et tecum me tolle per undas,  
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.

*Magister* : Desperare te nolo cum id ultimum sit omnium malorum, neque cum nobilissimis qui corruere spiritibus tibi praecinendum putes: *Odimus laqueos et vincula nota*

*timemus*. Ridiculum est cogitare quo permansurus vel quo nunquam perventurus es, an metuens, ut ait Virgilianum illud, *inopis formica senectae*. Vim ignoras oraculi : *Semper avarus eget*; si tu tibi sufficeres, equidem et omnia tibi. — *Adrianus* : Non est haec quae tangit adolescentiam ferula. — *Magister* : Frustra tunc timor adest. — *Adrianus* : Neque abesse, quid mortis avertat cognitionem? — *Magister* : Labor ergo sustinendus est ut ad naturam te componas; memor Oratiani dicentis : *Ira furor brevis est*, animum rege, qui nisi paret imperat :

Hunc frenis, hunc tu compesce eathenis.

Arcendus est animus a visibilibus et libidinibus et voluptatibus, radenda sunt fantasmata, Platone dicente: nil magis obstare deitatis agnitioni quam inflammatae carnis libidinem; ejus vulnera visceribus infixas contrectas ex proposito quasi nobilissimos passionum affectus, sic ut neque de morte, neque de vita sinant judicare. — *Adrianus* : Recte passiones exprimis quae me summe virtutibus spoliant. — *Magister* : Modum vitiiis servare quaeris si quantum haec possit passio velis in pectoribus hominum ignorare. — *Adrianus* : Gravi morbo me levatum gaudeo, sed necdum acquiesco. — *Magister* : Si majorem morbum inesse tibi noveris ediscere, magnus est, et nomen gloriae reor notum tibi cum denuo tibi prioratus Dunensium arriserit, in quo nonnullos pastoralis praemines dignitate. — *Adrianus* : Non tam ardentem quam hoc uno in loco ubi vitae pridem et morti simul necessaria didici. — *Magister* : Quo nunc judiciorum ista perversitas, ut floridiora propter inanem gloriam ex hiis quae legeras nuper in sodalium delicias reserves, atque velut ex ingenti consignares acervo, tanquam elegantiora fratribus in usum! — *Adrianus* : Providere curavi ne quid invaeuum studio impenderetur. — *Magister* : Totum hoc inanis gloriae lenocinium a curis abstrahit melioribus. — *Adrianus* : Mortali datur ut mortalia concupiscat. — *Magister* : Nichil est spei tecum si non immortalia respicias. Stultissime tibi felicissimos fingis eventus, et nescis quia sub ambiguo mortis progredieris imperio. Quaero ergo a te si forte Is qui solus vitae mortisque metham statuit vivendi, dumtaxat annum tibi praefigeret integrum, an non diligentissime tempus hoc redimeres? — *Adrianus* : Credo progagandae gloriae michi non tempus hoc praeriperet facultatem. — *Magister* : Spes ista demersit orcho plures, et, ut fatear, animas seduxit innumerabiles tam subito, vel in ipso lapsas apparatu splendido, vel, ut putabant, aetatis dilatando flore. Suerescens enim novorum laus hominum semper veteribus derogat, et assurgens invidia tytulorum gloriosorum persequitur; ingeniosorum vita plebi fit invisiva, mox inconstantia judiciorum, ruina sepulchrorum accedit et veritatis odium. Ad quae discutienda, Juvenali volente, valent sterilis mala robora ficus; et quemadmodum non ineleganter infert :

Occidet et bustum, titulusque in marmore sectus  
Occidet; hinc mortem patieris, nate, secundam.

*Adrianus* : Liberet me Deus ne me tandem occasurum tertia mors maneat extremum malum. — *Magister* : Timeas a gloria quam minus verbis quam decuit explicuit nisi fabulosa tibi dicta putes omnia. — *Adrianus* : Minime verborum dignitas et loquentis auctoritas sit ut series fabulosa commemoranda. — *Magister* : Hortor igitur et admo-neo ne gloriae studium virtuti praeferas ut inglorius degas. — *Adrianus* : Quid opus est facto, magister mi paece dixerim, uram aut quid aggrediar in ea qua vocatus sum reli-gione, ne vita brutis simillima mihi relinquatur? — *Magister* : Sarcinas abjice caecitatis mundi, teque tibi sensim restitue semper ut de fine cogites, neque ulla tibi transeat nox aut dies aliqua, quidquid occurrerit, quae tibi mortis memoriam non ingerat, memor Flacci dicentis :

Dampna tamen celeres reparant coelestia lunae;  
Nos ubi cecidimus?

Sidera eumeta nota tacito labentia coelo, quae dum circumspicis, occidi te cum illis cito revoca. Quantum licet ante oculos protendatur vita, vix unius diei retinet instans; et sedes eorum qui tecum vivere contemplare. Perlege codices quorum tibi Dunis grandis est copia : reperies quod tota philosophorum vita mortis est commendatio. — *Adrianus* : Utinam haec a principio deposita fuissent animo meo! — *Magister* : Turpis est animus si sequaris impetum qui nichillominus est ad honesta pulcherrimus; si tamen suggerentem audieris, cum vivendi quam monstrat arripere viam non docebit aliam, age priusquam terrena finiatur habitatio, puerilis convineatur animus, ad alia vocor ego pertractando. — *Adrianus* : Mi praeceptor, si discedis, quorsum diversurus ego, cui sine te vita restat inamoena? Rogo ne me pendentem anxie deseras. — *Magister* : Obsecro, fili, te ipsum ne deseras: alioquin ab omnibus jure desereris, siquidem inevitabilis vitae probat exitus. Si quid igitur ex me gratum acceperis, non cito marcescere patiaris. Si autem quid asperius, quaeso ne moleste feras. Vale. — Per ipsum quem nostri Aegidium de Royalia igitur dum acceperam, velut monachus, unius custos esse coepi, ratus victum ac vestitum sufficere pro divitiis super terram, quae, secundum Jeronimum, divitiae sunt christianorum.

## CHARLES LE HARDI ET SES SUCESSEURS.

1467.

Francorum rege, necnon a Leodiensibus, licet a suis difficulter, Gandensibus relaxari parumper quaerentibus, reciperetur, tamen cuncta ferro statuit decernenda, dubitans quis beator ejus aevo an magis pacem zelans :

An qui mente procul pura, sensuque probando,  
 Non avidas agnovit opes, nec tristia bella,  
 Nec funesta tenet validae certamina classis,  
 Quo spoliis dum sancta Deum fulgentibus ornet  
 Tempia vel erectus finem transcendit habendi.

Nam apud Rothomagum rex Francorum, accersito Riquardo seditioso duce de Warvich ex Anglia, cui regno se tertium regem hiis diebus ausus est praeferre, cum eo plura conclusit in praejudicium tam personae ducis Karoli, quam patriarum suarum, quae significata sunt praefato duci Karolo, per regem Edwardum. Ipse vero dux Karolus, in Leodienses arma convertens, primum in Hasbania villam Sancti-Trudonis accepit, et apud Brustem cum Leodiensibus illic occurrentibus bellum habuit et optinuit civitatem, ingressus Leodium, qua sub jugo remissa, cum *perona* reversus est, quam in signum victoriae Brugis crexit impresso titulo hujusmodi :

Desine sublimes in auras tollere vultus;  
 Nosce meo casu, nec dare firma Deos, etc.  
 Nobilitatis ego Leodis venerabile signum  
 Gentis et invictae gloria nuper eram :  
 Sum modo spectaculum ridentis turpe popelli.  
 Et testor Karoli me eecidisse manu.

Mansit hoc signum erectum Brugis x annis. Tunc Maximilianus restitui jussit illud. Verum, ut in generali dicenda ducis Karoli gesta referantur,

<sup>1</sup> Une lacune existe avant ce passage dans le manuscrit des Archives générales du royaume.



cum incidentiis annalibus, est sciendum quod rex Franciae revocavit fratrem suum de Britannia, consensum adhibens Karolo duci Burgundiae statuendi locum placitandi more parlamenti regalis apud Meehliniam, contrahendique nuptias cum Margareta de Iorek, sorore regis Angliae Edwardi, quod, peractis exequiis patris, complevit.

1468.

Karolus dux Burgundiae, dum in Dam sororem regis Angliae duxisset uxorem, Brugis excellentissime tractavit sponsalitia, sed, dum nepoti suo Jacobo de Borbonia torquem ordinis detulisset, idem ante tres dies subito defunctus est. Similiter dominus de Bredam qui sororem ejusdem ducis sortitus erat uxorem, quos ex infectione venerea, sicuti docuit experientia, ferunt decessisse. Mox Francorum rex in exercitu gravi descendit praeliaturus adversus eundem, qui similiter exercitu collecto factus est obviam regi, sed opitulante gratia Dei confoederationem iterato fecerunt, cujus tamen occasione juvenis dux Ghelriae captivus effectus jussu ducis Karoli collocatus fuit in Curtraco sub custodia et mysterio latuit donec ad intentum suum pervenisset. Conceperat enim, Ghelris ac Leodiis subactis, coronam Lotharingiae ab imperatore se posse resumere. Dum igitur rex et dictus dux apud Peronam supra Sommam convenissent, delata sunt nova miranda, Leodienses eorum episcopum de Tongris captivum abduxisse. Mox unanimes rex et dux cum suis irruerunt in civitatem et armorum virtute captam vastantes eam exspoliaverunt. Hoc perpetrato, se retraxerunt in propria. Descendit ex Austria frater imperatoris ad ducem Karolum in Hesdinio, qui post colloquia varia vendidit eidem terram de Foretta, cui praefecit quemdam nuncupatum Hacquebach, propter quem ipse dux Karolus postea rebellionem terrae perpressus est.

1469.

Karolus dux, etc., per dominum de Crequy direxit Edwardo regi Angliae, in ligam confoederationis fraternae, torquem sui ordinis, et contra dictum regem dux de Warvich in bello captum patrem reginae, scilicet

comitem de Riviers, cum filio suo comite Widville, decollari fecerat, unde mox bannitus a regno transfretavit ad regem Franciae, medio cujus rex fratrem suum a latere ducis Britanniae vocatum promovuit in ducem Aquitaniae, misitque Ludovicum comitem Sancti-Pauli requirere de mandato regis a duce Karolo villas sicut Ambianis, Monstreolum, Abbatis-Villam, Sanctum-Quintinum, Corbiacum, etc. Sic denuo, materia guerrarum aperta, dux Karolus XI naves ordinavit ad impediendum ducem de Warvich ne transfretaret, et interim adhaerentes seditiosos rex Edwardus debellavit.

1470.

Principes vicini moliti sunt in Karolum ducem sua commenta fraudis. Ambianis ab eo recessit et similiter villa Sancti-Quintini. Recesserunt ab ejus curia Balduinus, frater ejus naturalis, princeps Orengiae, dominus d'Arguel, Johannes de Chassa, dominus de Renty, etc. Johannes, dux Calaberae migravit, a quo sperabat fidem sibi servandam. Quia filius ejus ab eo discessit, tunc bona comitis Sancti-Pauli reposuit in sua. Rex vero comitatum de Marle qui filio comitis pertinebat, accepit. Exercitu collecto, dux ultra Sommam contra regem porrexit, cepitque vi Picquengny. Deinde datis ad annum induciis, dux de Warvich, cum principe Gualliae et regina matre ejus in Angliam transfretans, Edwardum regem fugando, regem Henricum in sede regni collocavit. Edwardus apud Hagam Hollandiae veniens unica navi, declinavit in Flandriam parumper ad socerum suum hinc, ubi ad eum junior fratrum suorum accessit dux Claudicestriae, cum quo, navibus aptatis et provisus, repetiit xxiii<sup>a</sup> martii regnum suum et optinuit.

1471.

Ipsa sacro die Paschae conserto praelio rex Edwardus insigni victoria suum adversarium devicit cum complicibus aliquibus, et paulo post principem Gualliae filium Henrici cum suis superavit, regina captivata, regeque Henrico detruso et interempto misere. Tunc magna guerra gerebatur inter regem Franciae et Johannem regem Arragoniae pro comitatu Rochilonis.

Ad Sanctum-Oudemarum venit Arnoldus dux Gheldriae, liberatus a filii sui captivitate, qui ducem Karolum fecit heredem principatus sui. xxi<sup>a</sup> julii papa Paulus secundus obiit, cui successit Sixtus quartus, et Nigripontis insula fuit a Turchis occupata. Mater ducis Karoli Yzabel de Portugalia defuncta est, et illico cometa terribilis apparuit. Post hoc dux Karolus parentum suorum corpora versus Divionem transtulit honorifice recon-  
denda.

1472.

Effectus cometis apparentis produntur tam principum morte quam aegritudinum varietate et mala sorte fidelium contra Turchos, qui totam insulam Chalcidis et Euboyae Venetianis subditam, quo tumultu dux eorum occubuit, occupavere. Treugis inter regem Franciae stantibus, nichilominus dux ab obsidione Belvaci Normanniam petens ante Rothomagum parumper exspectavit ut bellum regi deliberaret, quo non comparente, magna dampna flammis ac depraedationibus suis exercitus intulit, et fere xviii<sup>e</sup> villagia favillatenus destituta fuerunt. Post hoc, induciae prolongatae sunt ad annum. Rex vero dubitans fratrem suum ducem Aquitaniae sibi contrariari, eo quod pro filia ducis Burgundiae refutasset filiam Henrici regis Hispaniae, quam rex sibi procuraverat, missis ex suis incantatoribus, eum mori fecit, et totam Aquitaniam illico recepit. Eodem tempore spe parlamentandi misit cardinalem Albiensem ad comitem Armigniaci. Contractis cum eo treugis, dum admitterentur in villam Franci pacifice, circumventus comes occisus fuit enormiter ab eis, et cessit patria regi. Marchio Ponsonis, Nicholaus dux Lotharingiae, filius Johannis ducis Calabriae. postquam Metis repulsam habuisset, conversus ad ligam ducis Burgundiae, similiter toxico periit. Brugis dux Karolus tres comites creavit, Guidonem de Humbercourt, Anthonium de Symay et dominum de Embryes. Apud Graviam Ghelriae, dux Arnoldus obiit, obtestatus heredem suum fore ducem Burgundiae.

1475.

Induciis iteratis inter regem et ducem Burgundiae, collectis armis undique, dux Burgundiae Karolus, quod mente conceperat aggressus est, et

mox ducatum Ghelriae conquisivit, captivos à Neumagio filium et filiam infantes Adulphi ducis, quem apud Curtracum tenuit in vinculis, ad Flandriam misit educandos. Et ascendit per Aquisgranum versus Treveris ubi Fredericus tertius imperator occurrit, cum quo primum amicabiliter tractavit de matrimonio filiae suae cum filio dicti imperatoris Maximiliano, genito ex filia Edwardi regis Portugaliae, quapropter de vicina consanguinitate duci attinebat. Deinde coronam regni Lothariensis ab eo sicut optaverat, requisivit, allegans de integritate veteris illius regni esse Brabantiam, Guelriam, Bullionem, Ardennam cum ceteris pertinentiis adjectis dominio suo. Sed cum difficultatem imperator faceret in re tam ardua, dissentiens dux Karolus ab eo discessit et in Burgundiam gyravit, a qua, stipendiariis multis accersitis de Lumbardia sive Ytalia, quorum principales ductores comes de Campobasso et dominus Jacobus Galeoti, descendit ad obsidendum villam de Nuchia supra Renum.

1474.

Ludovicus, comes Sancti-Pauli, comestabularius Franciae, praetendens altiora, renovavit inducias inter praefatos contendentes; et continuavit dux Burgundiae tota hyeme fere per annum mirabilem obsidionem Nuchiae. Commotis villis in terra Forettae, capitaneus ducis Burgundiae Hacquebach spectaculo decollatus est. Karolus rex Dachorum, cum principibus aliquibus ad ducem in obsidione descendit, eo quod fratrem haberet inter obsessos, quorum praecipuus capitaneus erat comes Hassiae. Colonienses ad imperatorem et nobiles Almaniae directis muntiis cum expertissimo principe duce Brandeburgensi, Alberto, donec applicuisset, pluries miserunt. Tandem venit, et cum eo nobiles, ut ducem Karolum vi de loco repellerent, quorum adventum exspectavit perseverans in obsidione.

1475.

Post Pascha, Fredericus, imperator, et nobiles ejus in exercitu gravi supra ducem Karolum irruentes obsidionem solvere conati sunt, sed relicta provisione dux intrepide cum suis praecueurit et excepit bello gentem

ducis Brandenburgensis qui plurimum adversabatur sibi, quem retrocedere coegit. Mox legatis Summi Pontificis intervenientibus inventum est medium de concordia partium ut fundendi sanguinis christiani vitaretur occasio. Quae dum sic fierent, affuit heraldus Renati Valdemontensis, qui successit nuper in ducatu Lotharingiae, matris, ut dicebatur, instinctu seu regis Francorum, et eundem ducem Karolum defidavit. Unde totam armatam suam in Lotharingiam dirigens, parvo comitatu Flandriam petiit, et apud Brugis convocatis statibus, durissime nobiles, vulgares et etiam ecclesiasticos increpavit supra negligentia tarde succurrendi. Deinde Calisiam petens, regem Edwardum et copiosum exercitum ex Anglia transfretatum repperit, cum quo versus Ambianis et villam Sancti-Quintini quos resignare sibi comes Sancti-Pauli sponderat, porrexit. Sed innotuit regi fraus comitis. Quare convenientibus ambobus cum rege Francorum, novennales inter se reges inducias contraxerunt, in quibus ipse dux Burgundiae comprehensus esset, si tamen praefatum comitem perfugum a facie regis magistri sui captivum deliberaret. Reliquit igitur dux Burgundiae totum onus in hac materia magistro Guillelmo Hugonet cancellario suo, qui deliberavit ipsum Parisius, ubi per dominum de Sempières ductus, xix. decembris ante Natale Domini, velut reus laesae majestatis, decollatus est, quo mox loco rex lapidem erigi fecit cum sculptura tytuli demerotorii, scilicet : *Hic est quo Ludovicus de Luxemburgo, comes Sancti-Pauli, etc. fuit decapitatus*, et in eodem lapide versus duo latine legebantur insculpti, scilicet :

Detegit inbelles animos nil fortiter ausa  
Seditio, tantumque fugam meditata juvenus.

Sic ibi periit splendida nuper soboles Melusinae nomen in astra ferens quod formata ferocibus armis Herculis fortia facta dedit. Dux proinde Karolus totius Lotharingiae factus est armorum vi dominus, in qua capitaneis diversis relictis, cum exercitu magno Suetones debellaturus, ascendit per Burgundiam in Zaboudiam, quam jam aliquantulum coeperant devastare, praecipue comitatum de Rommont, unde quadam die sabbati quadragesimae praefatos Suetones apud Grantson excepit bello, quo de suis gravissima clade passus est ruinam, nec hujus occasione territus vexare destitit.

1476.

Audita clade Burgundorum, Francorum rex armatam direxit qua cepit Avinionem, non ignorans exitium rei, dans duci Lotharingiae favorem recuperandi patriam suam; sed, non obstante prodicione, dux Karolus, viribus resumptis, iterato reversus obsedit Morach, ad quam solvendam Suetones et ex villis de Fribourch, Brizac, etc., maximo stipati numero vallaverunt exercitum dicti ducis, et commissum est praelium acerrimum in vigilia beati Johannis Baptistae, quo vix fuga salvatus dux, nedum suos amisit bellatores, sed et omnem belli apparatus, nec minorem quam antea passus est ruinam. Relictis ergo Suetonibus per Burgundiam descendit infelicissimo suo omine in Lotharingiam, et obsedit villam de Nanchy a mense octobri usque vigiliam Epyphaniae, in qua circumclusus ab adversariis, dum in loco certaminis ad fugam persuaderi nolisset, a suis potius quam ab adversariis traditum se esse tunc sero confessus est. Priusquam tamen confligeret, a regno suo rex Portugaliae nepos ejus Alfonsus descendit, fugatus a Fernando filio regis Arragoniae, qui post mortem Henrici regis Hispaniae cum sorore defuncti regis Hispaniam optinuerat, qui quidem rex Alfonsus, audita ducis opinione, regem Francorum adiit Parisius, qui certificatus de conflictu, contra ducem Burgundiae per ducem Lotharingiae cum Suetonibus deliberando suos etiam illic direxit ad praefixum diem in quo nobilis ipse dux succubuit cum pluribus aliis, fratribus suis Anthonio et Balduino de Burgundia una cum nobilibus multis captivis reservatis, Traditionem vero tanti ducis ferunt perpetrasse comitem de Campobasso, sed et ipsum et alios coegisse credendum est. Illico Burgundiam rex Francorum occupavit, et antequam Maria filia Karoli potuit provisionem praebere, per Philippum de Cordes et fratrem ejus Anthonium de Criève cuer, necnon Guillelmum Biche et alios perfidos servitores suos omnes pene villae, demptis villis Sancti-Oudomari et Ariae, regi Francorum resignatae sunt. Tandem, resignata Aria, Sithiu Flandriae solum adhaeret.

1477.

Apud Gandavum, die sanctae Coenae Domini, quando Passionis Christi secundum aeram Francorum incepit annus M<sup>o</sup> CCC<sup>us</sup> LXXVII<sup>us</sup>, cancella-

rius Burgundiae dominus de Humbercourt, et miles quidam Gandensis cui nomen Johannes de Melle, tanquam conscii traditionis per regem Ludovicum XI<sup>um</sup> in patriam excogitatae, decollati sunt, tumultuantibus igitur Flamingis pro revocandis aliquibus statutis per ducem Karolum et ejus praedecessores olim exhibitis. Usque in Tornacum rex Francos suos praemisit, ubi dum Adolphus dux Ghelriae liberatus a captivitate cum ceteris Flamingis praesumpsisset incaute se proponere, circumseptus ab intromissis, juxta Tornacum occisus fuit. Rex cum exercitu, capto Avennis, in sanguine suorum per Allogodium Lizam transiens, armatam suam ab ea parte Flandriam impetere jussit, prostratis igitur Flamingis circiter v<sup>o</sup> sub Casseleto, quod Franci demoliti sunt. In transitu rex Ariam petiit, sed nequivit sine gravi dampno appropinquare : quapropter accessit ante villam Sancti-Oudemari cum gravissimo exercitu, qui nequivit etiam sine gravi periculo propius quam ad Arham ubi consedit, approximare. Mox in Flandriam Maximilianus accedens duxit Mariam hereditariam ducis Karoli solam filiam uxorem in Gandavo.

ET CLAMOR FACTVS EST : ECCE SPONSVS VENIT; EXITE;

quibus in verbis data comprehenditur anni. Brugensibus advolantibus obsessis in praefatam villam, ubi pro gaudio pulsationis et luminarium sonituque tubicinarum territus, rex solvit exercitum, seque retraxit. Maximilianus igitur dux Austriae cum Maria ducissa Burgundiae, etc., comes effectus Flandriae, etc., fortiter ad defensionem patriarum semetipsum atque suos in adversarios implicuit.

1478.

Fredericus imperator apud Cierck conyocationem fecit magnam ad discordias principum sedandas, in quo parum profecit. Duci vero Maximiliano, filio suo, de nobili conjugae sua Maria de Burgundia filius nascitur, cui nomen Philippus, et apud Gandavum, ubi de Brugis puer educandus perductus est, laena catulos duos peperit. Eodem anno Gheldrenses, cum non valerent filium occisi ducis eorum ex curia dominae Mariae de Burgundia rehabere, miserunt pro duce de Brunswyck, quem sibi rectorem

elegerunt. Ob hoc indignatus dux Maximilianus una cum Johanne duce Clivensi guerras magnas excitavit; sed, onere belli relicto in aliorum manibus, idem contra Francos guerras continuare coepit. Nam pro parte sua totus comitatus Burgundiae se viriliter sustinuit sub capitaneis domino Claudone de Valdré, domino d'Arguel, qui et princeps Orengiae dicebatur, etc. In fine hujus anni, dum Turchi magnas provincias Venetianis abstulissent, icto foedere cum eis, regnum Cypri suptiliter dominio suo adjecerunt, filio magni Turchorum imperatoris per confoederationem in amicitiam suscepto, qui contra regem Ceciliae Ferdinandum bellaturus accessit. Obiit excellens doctor sacrae theologiae magister Ægidius de Roya, Dunis xviii annis regulari professione degens, postquam resignasset abbatiam Regalis-Montis in Francia. De quo frater Adrianus, inter cetera laudum praeconia :

Ille qui consuevit luminis ore loqui  
 Cessit, et exequias ferre Minerva venit.  
 Die Dunis carmen, die nova Jherusalem,  
 Si jaceant vacua sensibus ossa tibi.

## 1479.

Inter Ludovicum regem et Maximilianum, necdum treugis expiratis, bellum fit. Rex ad totalem sibi Burgundiam subjugandam anhelans, multis prostratis atque captis, dum Dolam dolo pervasisset, etiam Auxonam et alia loca comitatus accepit, quae tamen servare diu nequivit, ea capitaneis praefati ducis recuperantibus. Et vii<sup>a</sup> mensis augusti, contra capitaneos per regem directos ut obsidionem Morinensem quam dux cum suis Flamingis inchoaverat, impedirent, dum Maximilianus grandem exercitum Francorum audiret in campo consedis ad duo miliaria, soluta obsidione perrexit in occursum, et conserto praelio gloriosa per Dei gratiam potitus est victoria juxta Bomy in dominio de Vieuville, prostratique de capitaneis plures, sed et equites, nisi fugam maturassent, cum pedestribus pene succubissent sic quod inventi sunt ex Francis ultra xx<sup>m</sup>, ex nostris vero vix vi<sup>m</sup> cecidisse. Post hanc stragem ad amissa conquerenda dux animum viriliter appulit, retrahentibus se Flamingis.



1480.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXX<sup>o</sup>, Frederico III<sup>o</sup> sub Romanae sedis praesule Sixto quarto jam ferme quadragesimo imperii anno parum aut nichil obsistente, limites christianorum a Turchis fortiter incursantur, nec suos defendere valet a christianissimo Francorum rege Maximilianus filius ejus supra domum Burgundiae nuper constitutus. Verum accordandi eum eodem rege mediis temptatis, postquam tota Burgundia regi cesserat, tractatum est, concluso matrimonio cum una filiarum ejus; sed filia regis Angliae pro liga dictae domus Philippo primogenito praefati ducis hoc anno offertur. Ferricus de Cluniaco, Tornacensis episcopus, factus est cardinalis, cujus frater Guilielmus, vicarius perpetuus Morinensis, a captivitate Gandensium dimissus, Franciam petiit. Pictavis episcopus ordinatus plura regi Francorum suggessit, qui Aurelianis convocato concilio pragmaticam sanctionem ab apostolica sede resignatam Pio papa II<sup>o</sup> revocavit, quo factum est ut odio suis Sixtus papa haberetur.

1481.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXXI<sup>o</sup> mutatio rerum magna contigit ubique terrarum, et annus iste visus est extraneus valde juxta varietatem alterationis factae sub firmamento coeli. Romae nempe tumultuatum est, Ytalia mota duce Farariensi contra Venetos, quibus favorem summus pontifex gerebat. Excitatus verum III<sup>a</sup> maii Turchorum imperatore Constantinopoli defuncto, Ferdinandus rex Tharentum et alia loca recuperavit. Inter coronatos reges Alfonso Portugaliae ac Fernandum Castelliae, Aragoniae, etc., fit perutilis confoederatio; sed inter reges Angliae et Scotiae dura fit altercatio. Eodem anno mors illustris dominae Mariae ducissae Burgundiae, etc., turbationem non modicam intulit comitati Flandriae, cui successit primogenitus ejus Philippus. Communitas enim villarum principalium Flandriae, regimen assumens liberorum ducis Austriae, noluit ipsum ducem cum aliis extraneis admittere, sed taxando summam denariorum dicto duci quodammodo reddidit alienum. Insuper petentem gubernamen filii sui usque ad annos majoris aetatis Gandenses signanter refutarunt, et plures officia-

rios ac nobiles relegaverunt a Flandria. Dolens igitur dux Austriae de rebellionem nequivit impedire quin per matrimonium filiae suae Margaretae filio Ludovici regis Francorum legaliter copulatae foedus illico contraheretur sic quod occupatae per regem patriae cederent marito et eorum heredibus procreandis ex ea sub multis variisque conditionibus ad longum expressis in originalibus inde confectis. Instante igitur sacra nativitate Christi devòte recolenda pax Flandriae proclamatur, in quam consentire rex ducem Austriae voluit atque status omnium patriarum ex quibus certi deputati regem adierunt, qui confirmatam sigillatione regali necnon procerum utriusque partis veram pacem reportaverunt.

1482.

Pace stante cum rege juxta condictum filia ducis deliberata fuit, sed tamquam tutor filii sui non est admissus ipse dux Maximilianus, unde, Flandria relicta, Brabantiam petiit, ubi non sine difficultate tandem est receptus. Formidabant enim Brabantini Leodienses, quorum capitaneus dominus Guillelmus Arebergensis, episcopum Leodiensem Ludovicum de Borbonio prostraverat in praedio, ne succumberent etiam aut limites eorum invaderentur ab eis, cujus occasione mox armis totam patriam illorum, demptis Leodio atque Huyo, sibi subjugarunt. Interim Lovanii capitulares dompnium Johannem filium Johannis, comitis de Heurne, apud Hulst professi in ordine fratrum de observantia elegerunt, oblato per Guillelmum filio de sanguine suo, pecuniaria tandem idem Guillelmus promissione tractatum suum optinuit a duce suisque nobilibus. Eodem anno gravis contentio fiebat inter Trajectenses et eorum episcopum dompnium David de Burgondia : ferunt autem occasione temporalitatis harum duarum sedium contentiones non de novo suscitatas, sed a pristinis diebus exortas, quibus se subditi vendicare quaerebant in libertatem consuetam et alias optentam, quemadmodum communitates in nonnullis praetendunt locis : quo fit ut saepe villarum Flandriae contra naturalem dominum partialitas sit inventa ; radix itaque commotionis nuper Flandriae per reclamationem ejusdem jurisdictionis privilegiorum quae abolita fuerant, succrevit a die decessus ducis Karoli, cujus filia ducissa Maria comitissa Gandavi revocavit indulta quae praedecessores ejus pro pleno dominio subditis denega-

verant; visum est autem aliquibus de Gandavo Flandriae regimen sibi deberi, non duci vel optimatibus ejus, qui patriam exactionibus continuis gravabant et ampliabant statum suum ex collecto pauperorum acre secluso, dictamine rationis et justitiae nonnunquam, quapropter eos sibi noluerunt imperare facillime. Ígitur Gandenses vulgus in suam pertraxere sententiam. E contrario senserunt, qui de statu videbantur ecclesiasticorum atque nobilium, deductis clare rationibus etiam exempli gratia demonstrationis, quas flocci pendebant alii.

1485.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXXIII<sup>o</sup>, rex Angliae Edwardus obiit, relictis duobus filiis et III<sup>or</sup> filiabus ex Margareta regina sua, cujus mater erat soror Ludovici de Lucemburgo, comitis Sancti-Pauli. Sed Riquardus dux Cloestriae, frater defuncti regis, observatis filiis ac regina, necnon contradicentibus aliquibus obtruncatis, tanquam successor indubitatus sibi coronam imposuit, et mox profectus in Scotiam regnum illud voluit fratrem Jacobi regis Scotorum optinere, de qua materia satis alibi declaratur. In diebus Paschalibus apud Rotterdam tractatus inter David episcopum et Trajectenses. Cum pacis nullum sortiretur effectum, Trajectenses fratrem Johannis ducis Clivensis intromiserunt. David igitur in auxilium ducem Austriae vocans, in insidiis vocatus ab ipsis Trajectensibus captivatur; dux gravi cingens Trajectum obsidione primo Clivensem et cives quosdam ad se missos cepit, deinde per assaultum eos in deditionem coegit, amissis pluribus, inter quos totius Hollandiae regens dominus Judocus de Lalayng occubuit, etc.

Apud villam de Aeth in Hannonia, Jacobus de Saboudia, comes de Romont, filiam Petri de Lucemburgo, comitis Sancti-Pauli, genitam ex sorore sua, per dispensationem duxit uxorem. Paulo post dolfino Franciae Karolo Margareta de Flandria, per nobiles et proximiores ejus, deliberata fuit apud Hesdinium, quam Ludovicus rex ut suam fecit educari, sed fractus rex senio diem clausit extremum sequenti die post festum sancti Ludovici regis. Successit ei filius ejus annorum XIII coronandus in sequenti anno, quem ob aetatis minoritatem gubernabant duces Borboniensis et Aurelianensis atque comes de Bellojoco, qui sororem ipsius juvenis regis

habuit uxorem. Causabantur ex simili causa regimen filii sui Philippi duci Maximiliano deberi, cui se rectores villae de Gandavo opposuere, signanter Adrianus dominus de Raseghem et Guillelmus Ryn, de qua materia latius habetur in locis suis. Dux enim Austriae, postquam Trajectenses subegerat et cum Leodiensibus foedus inierat, quibus favorem Clivenses gerere videbantur, quorum confirmatus extitit episcopus dompnus Johannes filius Johannis comitis de Heurne, professi ordinis Sancti-Francisci apud Hulst, multis ex potentioribus orbis sibi confoederatis, terrori Gandensibus factus est, quibus mense octobri nuntios ad curiam regis destinantibus, in via qua de Francia redirent, per Lancelotum de Berlemont captivi sunt abducti. Commoti Gandenses pro capitaneis, praeter Adulphum Clivensem et Philippum de Burgundia, dominum de Bevere, ad se vocaverunt Anthonium de Lucenburgo, comitem Roussyaci, qui, nuper absolutus a captivitate regis Francorum defuncti, declinaverat in Flandriam, et Jacobum de Saboudia, comitem de Romont et Sancti-Pauli, etc. Dux vero Austriae se tenens in Busco-ducis cum Ghelrensibus et Clivensibus de componendis negotiis se primum expedivit, deinde convertit se ad res filii sui quem Gaudenses tueri curabant in jure suo. Dum haec fierent dompnus Petrus de Vireyo, sacrae theologiae professor eximius, Claraevallensis xxxix<sup>us</sup> abbas et dompnus Johannes cognomento Crabbé de Dunis abbas xxvii<sup>us</sup> convenerunt, et coram conventualibus bullas summi pontificis Sixti quarti legit et publicavit idem Claraevallensis, per quas quidam dompnus Petrus Vaillant institutus est perpetuus coadjutor atque sive cessione seu decessu praefati dompni Dunensis abbatis successor. Paulo ante, frater Petrus Quicke factus erat abbas monasterii de Honnicuria, qui, bullis impetratis, non renuntiando professioni quam Dunis Deo et sacro Cisterciensi ordini fecerat, ad majora fortassis anhelans, de consensu dompni prioris Alberici Dunensis praesidere fratribus ordinis Sancti-Benedicti maluit quam dignitatem similem in vocatione propria diutius expectare. Libenter apud Boudeloe locum habuisset auxilio cardinalis Frederici Tornacensis episcopi, sed frustratus est, quamquam illi promisissent dare medios et annuos ecclesiae praefatae proventus, satis improvisae Romae dicto cardinali migrante, cui succedere dono pontificis debuit magister Johannes Monizart, decanus ecclesiae Morinensis, vir in multis probatissimus, sed ei contradixere multi tamen optimi. Eodem hoc

anno Riquardus rex ducem de Boukeghem una cum filiis fratris sui regis Edwardi mori fecit; in quem ex Britannia tanquam jus praetendens ad coronam Angliae se comes Richemondi transfretando mox erexit. Sed opposuit se Riquardus cum Hyspanis foedere junctus et tam Francos quam Britones diffidavit; nichilominus contra eum temptabant West-Angli proelium. Ad patriae Flandriae negotia consequenter venio sub breviliquio veritatis, cum scribendi otia maxime tempus ante portam de Dunis sedenti senilibus optulit in annis. Nam ex supervenientium confluxu nonnunquam aures ad vanitates proci dolor! admisi, quorum relatu quaedam sequentia notavi. Petiit nobilis Austriae dux Maximilianus mamborgium filii sui Philippi quem Gandenses ad se de Bruxella traxerant, nec uti promiserant, voluerunt restituere, gubernantibus eum dominis de suo sanguine Adolfo de Cliva, de Marka et de Ravesteyn, Philippo de Borgundia, filio Anthonii, domino de Bevre, etc., domino de Gruuthuze et Adriano de Vyleyn, domino de Rasegheem cum communitate Flandriae proscriptis et extorribus adhaerentibus, ipsi duci merito filii sui dicentibus regimen habituro partibus aliis, nullum jus asserentibus habere ducem ex contractu matrimoniali celebrato cum domicella Maria de Borgundia Gandavi, anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXVII<sup>o</sup>, xviii<sup>o</sup> augusti, neque in dominiis ratione decessus praefatae domicellae, neque in jocalibus quorum majorem partem tempore vitae ejus dux, uti constitit, alienaverat a filio suo justo et legitimo herede Burgundiae, Brabantiae, Lemburgiae et Flandriae, etc., sed nec praetendere posse jurisdictionem tutelae, quamquam illi minus informati de Brabantia vel Hollandia et Ghelria praefatum ducem admisissent. Accidit igitur ut filius dicti Adolphi, Philippus, quemdam capitaneum ducis nomine Lancelotum de Barlemont occidi fecerit apud Cameracum, ubi dux ingressum habuit cum suis, et hinc apud Duacum; sed Insulenses ei portas clausurunt; unde collectis circiter v<sup>m</sup> hominum aestimans intromitti venit die Mathiae per Lizam et Thoraltum ante Brugis; sed re cognita, fautoribus plexis capite, coepit illos de Aldenardo pulsare pro introitu, quem ei cives, timore Gandensium, Brugensium atque Yprensium, denegaverunt. Sic relicta Flandria, Brabantiam, quam iterato sacrilegus Willelmus de Arenberga perturbare coepit, ingressus est. Quod autem pius princeps post hoc temptaverit omissum: hoc est cum post Ladislaum Mathias rex Hungariae successor ejus infestus plurimum factus est patriae sui patris Frede-

rici III<sup>o</sup> imperatoris, ut alibi habetur, verumque consilium Karoli octavi Francorum regis in proximo coronandi ac consecrandi praefatae motioni missis heraldis occurrere voluit, ne communitas Flandriae rem armis prosequeretur. Ob patris reginae reverentiam, omnis querela partium in ditione regis et parium regni delata est. Interea Gandavi xxii<sup>a</sup> martii ante Pascha anni LXXXIII<sup>o</sup> super decisione rerum gerendarum trium statuum Flandriae convocatio celebranda proclamatur, in qua gravatum se deposuit ecclesiasticus status super importunitate brachii secularis, scriptis articulis et palam resignatis in alia dieta paulo post Brugis observata; nam electum decanum Sancti-Donatiani magistrum Petrum Boogart in praepositum ejusdem ecclesiae detinere Gandenses, ut dominus Johannes de Burgundia frater episcopi Trajectensis intruderetur. Assciverant Tornacensem sedem sibi contingere posse, licet processum erat in dompnum Johannem Monizart, quem refutans, Francorum rex institui petiit religiosum virum fratrem Philippi Pot militis. Sanctissimus tamen noster Sixtus papa III<sup>us</sup> confirmaverat Romae praefatum Monizart, et quamquam plures pro sede Leodiensi contendissent, tamen ipsum electum dompnum Johannem de Heurne confirmavit; quo factum est illico quod perfidus ipse Wilhelmus de Arenberga pactum cum novo iniret episcopo, pecuniale quale profecto fuerit illud scriptor determinare noluit, cum venales ubique dignitates haberentur.

1484.

Post Pascha mox anni LXXXIII<sup>o</sup>, solutis a captivitate nuntiis villae Gandensis, fuit egregiae indolis juvenis dux et comes Philippus de Austria Brugis deductus ubi, feriatis ferme diebus x et novem, de Francia supervenit ambasiata, cujus erat dominus Anthonius, bastardus Burgundiae, pater Philippi domini de Bevre, praecipuus a rege Franciae deputatus. Putabant enim Gandenses Philippum des Quordes sibi mittendum; sed aliter regis decrevit concilium, cujus auctoritate, tanquam infamis, miles quidam Oliverius defuncti regis barbitonsor jugulatus extitit. Itaque votiva Gandensibus ex parte regis novissime coronati bastardus non detulit, qui, propter pristinam amicitiam Brugis in occursum patrem appellando dompnum abbatem nostrum Dunensem, prandium cum tota comitiva sua

tam hilariter quam familiariter acceptavit, deinde castrum Slusae visitavit, et Gandavum repetens assignavit dietam apud Tenremondam observandam tam foventibus partis ducis Austriae quam filii sui comitis Flandriae. Cum magna igitur difficultate non ut dux Burgundiae, Lothariae, Brabantiae, Lemburgiae vel Lucemburgiae, Maximilianus dux Austriae, tanquam filii sui rector Aurei Villeris superior ordine designatur stante minori aetate Philippi filii sui; quam tamen determinationem Gandenses, et aliae duae villae, scilicet Brugae et Ypra, non admisere. Re proinde suspensa, nuntii regis Franciam petiere, sed dominus Anthonius de Burgundia per monasterium Dunensem suum iter versus Torneham accepit, cui gratiarum actiones habuere fratres tam de sua assistentia quam monasterii protectione quod ejus loco Philippus filius ejus tempore guerrarum defendere curavit. Eodem tempore, v<sup>ta</sup> julii, Karolus VIII Francorum rex, qui nuperrime Remis satis simpliciter inunctus et coronatus fuerat, Parisius magnificentissime recipitur et miranda solempnitate juxta ritum ordinatissimum introducit in ecclesiam Beatae-Mariae, deinde concomitatur in palatium. Riquardus sive Richardus III<sup>us</sup> Anglorum rex, a suis insidiatus terra marique praeliandum statuit, classe mari immissa contra Francos et Britones, quae multa mala in mercatorum naves et eas quae de Flandria, Hollandia vel Zelandia fuerant, operabatur. Famabatur autem quod comitatus Guisnensis quem citra mare tenent Anglici, subtraheretur eisdem; item quod praefatus dominus Anthonius de Lotharingia, vi armorum fratris sui scilicet Karoli ducis quondam Burgundiae corpus transferret in Burgundia, juxta patris eorum sepulchrum recondendum, quod satis insolempne Lotharingi idem reliquerunt.

Eodem anno LXXXIV<sup>o</sup> proditio principis Aragoniae in Franciscum ducem Britonum, avunculum suum, proposita detegitur, ratione cujus vicecomes Furnensis, filius comitis de Chymay, necnon plures alii decollantur. Bellum accidit maximum inter Richardum III<sup>um</sup>, regem Angliae et Jacobum regem Scotiae, ipso die beati Jacobi apostoli, etiam inter ducem Ferrariensem et Venetos. Cumque tres principales villae Flandriae conclusissent non amplius in conciliis extra Flandriam aut ultra fluvium Schaldim comparere, Gandavi, mense augusto decreta quaedam ex omnibus parvis villis vocatis legislatoribus ad patriae conservationem proponuntur, inter cetera quoque quod nulla grana seu lacticia possent

effferri, neque sub infligendis poenis aliquis Antwerpienses nundinas visitaret, saltem de patrianis, sed Brugis haec nundinae forenses quae a xv<sup>ta</sup> mensis septembris Antwerpiae tenebantur pro totidem temporis Brugis continuarentur; et si mercatores Brabantiae ibidem pro victualibus supra-memoratis contingeret accedere, cum consensu vel de licentia Brugensium et non aliter optinerent. Haec et iis similia colligatis patriis occasionem solvendae primum dederant amicitiae. Dux autem Austriae simulans indignationem adversus communitatem Flandriae pro libito multa disponentem, nunc ad Franciam, nunc ad alias misit provincias, satagens nobilium amicitias precibus atque promissis allicere; unde, praeter alios contractos ad ligam suam ipsos Anglicos invitasset, sed Philippus de Crièveeuer ei confoederatus dissuasit. Itaque territoria sibi subacta principales villae munire coeperunt, et de passagiis totius Flandriae sollicitare ne dux aut cohaerentes subito patriam praeoccuparent. Litteras enim suas quas capitularibus villae Teneraemundensis dux miserat, majores ejusdem villae secum tulerunt ut rectoribus villae Gandensis ostenderent, in quibus se dux Austriae tytulabat comitem Flandriae. Nichillominus ipse Willelmus Rym, contumeliosus verbis, quasi traditores eos plus duci Austriae quam filio suo faventes pupplicavit; unde dolentes recesserunt ac ipsi duci significaverunt Gandenses in ligam suam traxisse donationibus et promissis dominum bastardum de Burgundia, qui in castro suo de Tornehem Anglicos ad foedera contrahenda cum rege Franciae novissime coronato vocaverat. Timebant autem Gandenses praefatum bastardum penes quem acceperant consistere summam rerum gerendarum totius regni, ne deficiente domino Adulfo de Ravesteyn belli fortunam ipsi soli experirent; nam quid dux Austriae cum quatuor electoribus qui descenderant ad eum nuper a latere patris sui imperatoris concluserat, penitus ignorabatur. Sciebant tamen non parum dicto duci favorabiles esse necdum Brabantinos, Ghelrenses, Leodienses, Hollandienses aut Haynoienses, verum etiam plures in Flandria, necnon quosdam in visceribus villae suae, cujus in renovatione et alteratione legis, coram omnibus, in vigilia Assumptionis gloriosae Virginis Mariae, motio quorundam praebat indicium dicentium se cum filio contra patrem nolle proeliari. Supervenit autem ambatiata villae Antwerpiensis causam requirens cur castra de Saestinghe, de Bevere, de Rupelmonda et aliae villae supra Schaldem situatae, ne petentes



navigio nundinas transitum facerent, observabantur. Responsum est eos non ita debere duci Austriae confoederari in detrimentum Flandriae, non etiam jus habere transeundi per Schaldem, etc., nec eos quosdam de Brugis tractasse ut redire debuissent ad eos Flandriae mercatores. Itaque responso hoc habito retraxere se nuntii, nec mora, propter impedimentum transeundi primo per insultus factos eorum apud Saeftinghe motio fuit inchoata in extraneas naves ad Antwerpiam tendentes; deinde prope Slusam, quidam Johannes Valcke capitaneus maris a Brugensibus constitutus etiam coepit transitum navium impedire, nec permisit aliquod efferrī versus Antwerpiam. Anglici non satis a Francis securi cum Britonibus foedus incunt ut Scotis resistent; deinde Franciam petentes inducias quaerebant, sed interea naves regis Francorum apud Douveram quosdam nobiles familiares Richardo regi ibidem exspectanti ceperunt. Romae, circa xiiii<sup>a</sup> augusti, sanctissimus noster pontifex Sixtus III<sup>us</sup> obiit; cui successit Innocentius VIII<sup>us</sup> natione Januensis. Hic Savonanus uti praedecessor gradatim a datariatus officio plures dignitates adeptus, summum praesulatum tandem rexit annis.....<sup>1</sup> a Romanis cum aliis, etc. In septembri, post convocationem habitam in Teneraemonda super medio accordandi cum duce Austriae, cui pater ejus imperium parabat resignare, quatenus data sibi pecunia recederet, non segniter a rectoribus juvenis Philippi ducis et Flandriae comitis fuit elaboratum, mandavitque Karolus rex Francorum avunculum suum comitem de Rommont ac Sancti-Pauli, necnon Anthonium degenerem Burgundiae cum aliis ex Flandria Parisius propter militiae signationem. Interea Brabantini naves apud Saeftinghe collocatas invadunt, caesis aliquibus. Quod cum Gandensibus intimatum fuisset, statim ad exeundum in adversarios sese parabant, et ut ex decem unus arma ferret edicitur. Itaque ante opidum Antwerpiae circiter hominum ii<sup>m</sup> comparuerunt, et nichilominus a latere suo signa dederunt Antwerpienses et fere ii<sup>c</sup> de Almanis ducis primo, deinde dux in propria navigio Flandriam petiit, nec quicquam mali, prohibente duce, perpetratum est; nam missos ad tractandum pro pace cognoverat supervenisse, quoque sororem Adolphi Clivensis, ducissam Aurelianensem, quae visitato suo nepote parvulo Philippo de Austria Franciam repetiit, sed juvenis ipse pene abductus fuisset.

<sup>1</sup> Lacune dans le MS.

Eodem hoc tempore praefatae ducissae filius, dux Aurelianensis, fuit a consilio regis similiter edictus quasi sinistre aliquid in regem machinatus, et agente domina de Bellojoco, sorore regis, orta est inter regales dissentio pro regimine. Sic denuo dominus Philippus des Quordes admissus est, qui, ut causam villarum Flandriae tueretur tam contra ducem Austriae qui ceperat villam de Teneraemonda quam contra quorundam querelas incolarum, summam x<sup>m</sup> a Gandensibus susceperat, nec occurrere valens ob imbecillitatem satis egit ad obsidendum ipsum ducem, ejus homines prima decembris captivi comprehensi jugulati fuerunt Gandavi et ceteris in locis. Irrumpentibus itaque partibus publice dampnosa guerra continuatur ut alibi.

Circiter hoc mense semifacto, Romae magna commotio fiebat propter summi pontificis et ejus familiarium mutationem perpetrata, nam cardinalis Masticonensis, frater domini Willelmi Hugonet, cancellarii, a Joanne de Rupeforti ex Burgundia fuit in quodam conflictu occisus, qui tres episcopatus in commendis ultra ceteras dignitates, tam abbatiarum, prioratum, quam canonicatum, tenuit.

Quinta januarii dux Austriae cepit Aldenardum, dissoluto prius exercitu xx<sup>m</sup> hominum quos Gandenses sub Jacobo de Saboudia, comite Sancti Pauli ex Flandria contra dictum ducem miserant. Praevenit igitur eos et eorum conceptus praenominatus dux, et petens regimen filii sui misit ad rectores ejusdem filii ac patriae praecipuos nuntios Henricum, episcopum Cameracensem, cum abbatibus de Affligem et de Parco ultra Lovanium, qui una cum nobilibus a duce deputatis de bono medio pacis Gandavi tractarent. Quibus in dissentionem lapsis et colloquendi diebus exspirantibus rebus infectis, cum ad petitionem dicto duci Austriae communitas villarum Flandriae restituere filium recusaret, signa guerrarum terra marique publicata fuere, peracto festo Purificationis Beatae Mariae, bastardo de Baenst cum Brabantinis tenente mare, contra quos ad oras Flandriae orientalis rectores villae Gandensis provisionem sub capitaneis ordinavere. Atque dum iidem bastardum Angiae captum a garnisonno ducis apud Aldenardum audissent, cum exercitu gravi castrum idem oppugnare minime sunt ausi propter dicti ducis potentiam intromissam, nichilominus exercitus Flamingorum cursitationes hostiles observavit, et convenerunt adversae partes non longe a Teneraemonda: diversis pugnatum est vici-

bus, caesis captisque non paucis. Eodem mense februario, bastardus de Baenst, dominus Jacobus Heere, etc., cum Brabantionibus de Antwerpia non longe a Slusa applicantes, spolia de Caitzandt, de Oostbuerch et praecipue de Hossenesse, Hontenesse, Zaeftinghe, navibus suis abduxere, captivis multis acceptis quos marchio Antwerpiae satis inhumaniter fecit tractari. Cumque Balthasar, ballivus de Hulst, et Grifo, bastardus de Liekerke propter nepotem suum dominum Adrianum de Liekerke, quos cum n<sup>o</sup> intromittere in Hulst cives nollent, contenderent inter se objectis eis Gandensibus, de ballivo alio providerunt. Inter haec evenit altercatio nobilium Franciae pro regimine, quod soror regis domina de Bellojoco contra ducem Aurelianensem temptaverat; qui quidem dux una cum duce Alenconiae confoederatus duci Britanniae, coepit in manu forti se tueri contra partes adversas. Dominus autem Philippus des Quordes in Arthesia fortem collegit armatam, ad cujus partem nesciebatur, cum Parisius ad regem capitaneus de Haems juxta Calisiam, cum domino de Richemont ut eum regem Angliae procuraret, in odium Richardi regis plurimum instetisset, dicentibus aliis praesidium allaturum tribus membris Flandriae contra ducem Austriae; nam et idem Philippus misit Brugis l<sup>ra</sup> lanceas. Etiam Willelmus de Arenbergo cum Gandensibus sentire maluit, qui proguerris sustinendis cum filio contra patrem, vulgaribus se non posse gabelas ac talliationes solvere prae paupertate dicentibus, concluderunt taxandas personas nobiles ac divites, signanter ecclesiasticas et praelatos. Adveniente veris tempore, scilicet mense martio, Wazienses, occiso domino Adriano Pot, praesumpserunt congregari cum duce Austriae simulante fugam a Temzeka; sed homines ducis a tergo ferme v<sup>o</sup> ex eis prostraverunt, Ninovis spoliarunt, et Ceylam combusserunt, immaniaque perpetrassent mala nisi ducis obstetisset edictum de contrario, qui mediis omnibus paci consuluit intendere tum gratia serenissimi filii sui, tum Romanorum gratia regalis coronationis nuper oblatae contentus ut cederet et nichil mutandum ex nomine manuburgii, sed ad rectores essent omnia referenda, dummodo per vices ipsa nec aliae patriae filio redderentur extraneae. Fuerunt et propositi articuli, quibus ut ad neutralitatem aliqua traherentur de sigillanda impunitate de negotio totaliter regali parlamento committendo et de ordinationi stando, prout dominus Philippus de Burgundia praesentaverat heraldo dicti ducis, in octo nobiles ordinis, in octo de villis principa-

libus Flandriae et octo de provinciis patriarum circumjacentium. Hiis tamen non obstantibus confederati Gandenses regi Franciae susceptis sigillatis ad alias villas ea miserunt.

In medio mense martio spoliabatur villa Geraldi-Montis et quaedam in territorio Alostensi per gentem ducis Austriae, qui subornatis Aldenardensibus ut adessent cum omni potentia circa Brugis ad assignatam diem, vocatis ex Hollandia domino Johanne de Egmonda ac receptore patriae illius ex conducto cum c et vii navibus primo nitebatur apud Catzand applicare, Slusamque capere vel castrum ipsum ex improvviso. Sed fallitur res proposita, cum Gandenses sub domino de Romont, comite Sancti-Pauli, fortificassent tempestive satis praefata loca, fuerunt aliqui de parte dicti comitis caesi, necnon naves duae de parte ducis ictibus lapidum confractae. Sciens nempe dux quosdam favorabiles sibi expectare Brugis suum adventum utputa dominum Philippum de Burgundia, quem dominus Johannes de Nova-Curia cum adhaerentibus invitaverat ut in resignatione villae praesentialiter adesset, qui secreto modo velut mango Brugis intravit, ubi relatione publicata coram legislatoribus qualiter pro pace optinenda conveniebat acceptare praesentationem ducis Austriae, consentientibus omnibus juxta oblationem dicti ducis, solus Johannes de Riebecka, fortassis a domino de Gruuthuze sic informatus, ait nullo modo rem hanc sine scitu Gandensium esse concedendam, et pergens concito gressu detexit propositum conceptum sic per dominum Johannem praefatum machinatum, qui fugiens apud villam Sancti-Oudemari se recepit juxta Philippum dictum dominum de Bevere. Comparuit autem, cum haec Brugis tractarentur, dux Austriae apud Heys et emissio nuntio pro pacifico transitu versus Brugis rudes marini percusso eo coeperunt obsistere; sed homines ducis irritati duce invito ferme lxxiii occiderunt, multis factis captivis, ex quibus intellexit se non posse commode pervenire ad intentum. Misit nichilominus ex retentis unum ad villam Noviportensem ubi bona domini Johannis de Nova-Curia fugitivi per Ludovicum de Praet, capitaneum illic institutum ad valorem cl<sup>l</sup> markarum argenti absque denariis aureis detenta fuere; misit et heraldum suum Brugis qui ductus est ad Gandavum et retentus captivus. Quamobrem dux subductis navibus reversus est ad occupandam insulam de Catzand ut impediret naves mercantiarum a Slusa et potius in Zeelandia sese exonerarent; sed hiis evenien-

tibus moratus pauperum in Zeelandia Francorum adventus dicto duci denuntiatur, qui mox Bergis iter accepit. Interim Aldenardenses incurribus vexabant incolas usque ad portas Gandensium, et capitanei ducis ex Teneraemonda, scilicet Humbertus, comes de Nassau, dominus de Montigny, Philippus de Ravesteyn, Rolandus de Halewin, dominus de Meruwe, etc., captis bastardis Sancti-Pauli, domino de Haubordyn et nonnullis sub bastardo de Scorische, priusquam Johannes de Coppenolle cum bastardo de Fevyn, suisque complicibus advenisset, spoliatis navicellis cum pretiosa suppellectili versus Gandavum tendentibus, fere v<sup>o</sup> occubuerunt supra Lizam a Curtraco descendentes. Interea dominus de Mouy pro stipendiis viii<sup>o</sup> lancearum ex Francia descendit. Quo audito, dux Austriae Antwerpianam navibus relictis petiit ut Francigenis occurreret, cum quibus populus dicti ducis quemdam conflictum habuit. Verum rectores Philippi Juvenis Brugis diem respondendi assignaverant xvii<sup>mo</sup> martii, quorum articuli tres summam responsionis continebant, videlicet de difficultate mediorum ad pacem, de restituendo filio ac de solutione xv<sup>m</sup> per ipsum clerum solvendorum, et ad confirmationem horum, dato quod dux Austriae vellet viam justitiae oblatam acceptare, utrum consensus filii sui resignandi sibi praeberetur. Super hiis igitur et super exhibitis a domino de Bevere, clerus Brugis responsurus accessit, cujus responsio fuit vulgari patriae ydionate perlecta, die qua supra, coram majori decano villae Gandensis et ejus rectoribus Willelmo Ryn, Johanne de Dondre, Johanne de Coppenolla et aliis tam de statu seculari quam spirituali Brugis congregatis. Qua peracta responsione, dum ad manus scriptoris delata fuisset, scriptor in latinum, ut postea, sequenti margine juxta suum convertit intellectum. Verum, dum haec fierent, Brabantini navibus suis apud Biervliet et Nozam applicantes, captis aliquibus incolis terrae, compulsi sunt recedere: quibus dux Austriae occurrit apud Walezordam, et in censa de Noorthof prope Zandum se recreandi causa recepit ut parumper respiraret, ubi nil mali passus est inferri. Sed ad Antwerpenses sulcavit flatu tempesto qui in vindictam eorum qui ex propugnaculo de Flandria Brabantiam ausi fuerunt impetere ac depraedari, quatuor villagia scilicet Borcht, Haesdonck, Melchen et Bevere spoliavere. Deinde dux a clero Flandriae petitur, datoque salvo conductu, statuit parlamentandi diem, electis ex clero patriae pro equestribus qui convenirent apud dictum dominum ducem in Antwerpia, ubi

pervenerunt prima aprilis. Nichilominus omnia quae clerus proposuerat apud Brugis, vulgus veteri refutavit odio, cujus rei causa publice criminabatur Willelmus Ryn nonnisi sacerdotes ac majores fuisse qui Salvatorem Nostrum Jhesum-Christum crucifixere. Tam exosus igitur illi clerus erat ut adductus et ex proposito presbyter quidam accusatus quod in favorem nominasset Austriae ducem; nisi pro se capitulares Sancti-Donatiani fortiter instelissent coelum vel infernus, ut idem Willelmus sententiaverat, eadem die ejus animam suscepisset. Itaque timore perplexi Brugenses, sive per eos de Gandavo, sive per comitem Sancti-Pauli et dominum de Gruuthuze, necnon litteris inducti domini Philippi de Criefcuer ad amicitiae ligam contrahendam modo firmiori denuo consigillaverunt, et cum paucorum informatione verborum iter de Gandavo versus ducem deputati ex clero susceperere, videlicet dompni venerabiles abbates Philippus Sancti-Petri et Raphael Sancti-Bavonis, de Gandavo, Johannes Albus Beatae-Mariae de Dunis, quo nemo senior dierum in praclatura modernorum Flandriae, hoc tamen onus subiit, cum inter ceteros duci carior haberetur. Item praepositi Sancti-Donatiani et Sancti-Oudomari, decanus christianitatis Gandensis, decanus Sancti-Donatiani, canonici magister Petrus de Ligno et magister Glaudius de Furnis. Quid autem cum nobili duce concluderint, omnino non latuit, sed rectores trium membrorum attendere responsa referenda per deputatos de clero simularunt, et regravatis exulibus nonnullis villa Bruggensis misit ad regem Franciae pro succursu. Parabantur armigeri qui Flandriam tam terra quam mari tutarent; verum an contra praefatum ducem et vicinos adhaerentes eidem, an ut proximas nundinas petentibus assecurarent viam, in dubium vergebatur. Nam cruentissimus instare clades futuris annis sibi Flandria prospiciens nunquam tot aemulos hiis mediis quam nunc bellum pro filio contra patrem assumendo procuravit. Avertat Deus a suis omnimodam in istis experientiam.

Dum igitur die sacrosanctae Coenae Domini pergerent ex opido Gandavensi deputati, pervenissentque ubi dux Austriae locum tractandi assignaverat, percelebris Paschae dies extitit anni LXXXV<sup>ti</sup>, quo praesentia ducis gavisus coeperunt de materia pacis aliquid proponere. Sed dum Francigenas Gandavi, Brugis et alibi intromissos dux intellexisset, datis induciis ad deliberandum usque ad feriam m<sup>am</sup>, distulit, et occurrens Francis apud Gerardi-Montem infra festa paschalia, praedictum opidum vi captum, occisis

multis, igni favillatenus conflagravit. Contentio pro sede Trajectensi exoritur inter fratrem Johannis ducis Clivensis et Fredericum de Egmonda, sed terminatur processus sedis Tornacensis per sanctissimum nostrum patrem Innocentium VIII<sup>um</sup> qui confirmavit dominum Johannem Monizart, nonnullis canonicis nominatim interdictis, prout actum est cum illis de Morino qui contra Henricum de Lotharingia eorum episcopum praesumpserunt; cui successit Anthonius de Crouy, postquam triginta ferme duobus rexerat annis Henricus. Ubique igitur pro gloria mundi certamina gesta sunt indifferenter in omni statu generis humani, nec prodigiis nuper in aera comparantibus populus absterritus est ut abstineret a pessimis viis suis et clamaret ad Redemptorem suum, nam in eclysi magna quae a revolutione centum annorum fuit xxvii<sup>m</sup> martii, visa fuere simul in urbe et regno Apuliae terrificae comminantia figurarum signa, quorum effectus maxime in personis ecclesiasticis deinceps, proch dolor! est experimentatus. Fuit autem dux Austriae Bergis supra Zomam quando legati de clero Flandriae applicuerunt, unde, devotione sua peracta Bergis, venit dux ipse Antwerpiam sero die sancto Paschae. Sequenti quoque die, celebratis exequiis comitis Sorensis apud Teneraemondam occisi, dum oppidum illud pro dicto duce caperetur, feria tertia infra paschalia festa in monasterio Sancti-Michaelis ordinis Praemonstratensis apud opidum Antwerpiae dedit audientiam, proposuitque verbum venerabilis magister Petrus de Ligno, praepositus Ronchinensis ecclesiae et Sancti-Donatiani canonicus, nomine totius cleri Flandriae, cujus orationem scriptor de gratia notitiae specialis ab eo mox optinuit atque post eam inseruit, quae Brugis fuit nuperrime pronunciata per eundem ydeomate materno flaminicali. Dum igitur conclusio tota terminaretur ut viam justitiae pro medio pacis dignaretur ipse dux acceptare, de consensu repente dicti ducis magister Johannes Carundileti, dudum cancellarius, carere legatos ex verborum prolatorum interpretatione pro suo conceptu videbatur. Tum dux, ex improvise, sine verborum inquit ulla palliatione sub hac forma sive verborum continentia lingua latina : « Cum me Deus » principem ducemque populi constituerit, suoque munere filium concesserit mihi talem, non ferro parcam, non igni vel gladio, quoadusque mihi » fuerit restitutus, quem invito me callidis promissis ac persuasionibus » veluti captivum in Gandavo quidam ausi sunt detinere. » Permoti talibus, legati cum lacrimis terram repetentes indulgeri sibi multis vicibus

affectabant, quibus nil affuturum mali dux assertiens licentia pacifice rever-  
tendi data : « Si singulis, inquit, ducenti vel trecenti non sufficiant, mille  
» singulis pro custodia deputabuntur, qui vos propios ad lares reducant  
» incolumes. » Legati tamen instantes importune spe pacis responsa re-  
cepere.

*Responsum cleri sive status spiritualis Flandriae, Brugis actum  
anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXXIV<sup>o</sup>, XVII<sup>a</sup> martii <sup>1</sup>.*

« Magnifice et praepotens domine, domine de Gruuthuze, domine prae-  
» sidens Camerae magni concilii, et vos nobiles viri deputati a tribus mem-  
» bris patriae Flandriae, praelati, praepositi, decani capitulares et provisor  
» similiter terrae Quatuor Officiorum nomine reverendi in Christo patris  
» episcopi Trajectensis, decani christianitatis et curati condeputati aliorum  
» trium episcopatum infra nominati ac specificati, repraesentantes statum  
» spiritualement ejusdem patriae Flandriae Brugis congregati receperunt cum  
» omni reverentia litteras ex nomine valde metuendi domini et principis  
» ducis Philippi, petitionem etiam vestram audierunt ex ore praefati domini  
» praesidentis magistri Pauli de Baenst, ut fructiferum responsum praenomi-  
» natus status dare vellet, super hiis quae patefacta nuper praelatis fuerant,  
» cum Gandavi mandati essent, et etiam super aliis certis litteris particu-  
» lariter directis diversis ejusdem status spiritualis. Et quia praefatae aper-  
» turae seu litterae tria puncta continent, quorum primum est de custodia  
» nobilis personae nostri metuendi domini ducis ac de regimine patriae  
» Flandriae, de quibus illustris dominus et princeps dux Austriae, genitor  
» atque pater praefati nostri principis, non vult contentari rationabili  
» praesentatione, sed facta neque de via justitiae sibi oblata ac praesentata;  
» secundum declarativum est magnae miseriae, laesionis et desolationis  
» imminentium patriae Flandriae per guerras nunc regnantes; et tertium  
» est de petitione contributionis xv<sup>m</sup> coronarum ad intertenendum statum

<sup>1</sup> On lit en haut de la page : « Prosequitur hanc chronicam D. Adrianus de But, religiosus  
» Dunensis, cujus haec propria scriptura est. »



» praedicti nostri metuendi principis spatio vi mensium, hoc est pro quo-  
 » libet futuro mense III<sup>m</sup> libras, quaelibet libra XL grossorum : super quibus  
 » punctis praefatus spiritualis status matura deliberatione et avisamento  
 » pariformis concilii haec dicenda conclusit sub omni correctione et hu-  
 » militate ac remonstrare quod sequitur :

» Primo supplicant amicabiliter et humiliter quatenus vos, domini prae-  
 » fati, pariter etiam omnes domini de sanguine domini, majorum concilii,  
 » et ceteri boni notabiles, intelligibiles et viri benevolentes praedictae pa-  
 » triae Flandriae, placeat id responsum audire et attendere tali forma tali-  
 » que fine prout idem status responsum profert et vobis offert. Cum omnes  
 » personae praedicti status spiritualis et quaelibet in solidum ante Deum  
 » coeli protestantur, qui omnium cordium inspector et agnitor est, quod  
 » non dant responsum nisi ex puro cordiali favore et dilectione quem  
 » gerunt adversus metuendum dominum atque principem nostrum pro  
 » benevolentia communis patriae Flandriae, non ut per hoc diminuantur  
 » aut reprehendantur aliquae partes seu personae quovis modo. Item bene  
 » consideranda est haec cordialitas et favorisatio cunctis personis rationa-  
 » bilibus quibus status spiritualis convenit et tenetur pro benevolentia  
 » patriae communis, eo quod omnia temporalia bona sua pro majori parte  
 » habet in praefata patria Flandriae, quod temporale penitus ex integro  
 » destruitur ac desolatur per guerras jam exeuntes et regnantes, et hoc  
 » ipsum quod infra eandem habent patriam ipsi spirituales, hoc expo-  
 » nitur et confiscatur; quapropter rogant obnixius hoc praesens respon-  
 » sum recipi amicabiliter quod de corde bono procedit. Sic, excellentes  
 » nobiles, notabiles, providi domini et viri discreti, placeat vobis atten-  
 » dere qualiter status spiritualis ultra annum tempore XL<sup>no</sup> congregatus in  
 » oppido bono Gandavo, eo tunc claris conjecturis considerando et inspi-  
 » ciendo maximas laesiones et miseras quae patriae Flandriae instabant  
 » et heu! quibus in parte satis nostro experimentati sumus, rogabant ami-  
 » cabiliter et humiliter media pacis acceptare, non viam extremitatum aut  
 » rigoris.

» Item eo tunc per vos notabiliter significatum et per spiritualem statum  
 » insinuatam ac declaratum quod non esset acceptanda guerra, nisi maxi-  
 » mis et extremis necessitatibus, et adhuc hoc cum avisatione et concilio  
 » trium statuum Flandriae, quia considerandum primum est quales causae

» vel occasiones belli et pensandum cur bellum sit acceptandum, an vide-  
» licet justum vel injustum possit esse. Quod si justum sit, nichilominus  
» ad evitanda mala expressibilia aut inexpressibilia quae per guerras eve-  
» niunt, quaerendae sunt omnimodo viae ad eas evitandas, quanto magis  
» signanter ac praecipue cum talis oriri posset inter patrem ac filium seu  
» inter patriam et qui patris filium gubernent, specialiter hoc considerato  
» quod citius quam Flandria fuerit Flandria, nulla fuit unquam guerra inter  
» patrem ac filium; sed fuerunt status hujus patriae tam prudentes tamque  
» discreti quod nunquam inter patrem et filium guerras sustinere volue-  
» runt. Quod si differentia quaedam inter eosdem incoepisset, hanc pru-  
» dentia sua deposuerunt, quietem ac pacem foventes, bene considerantes  
» Supremi Domini jussum aut mandatum quod filius patrem honorare  
» tenetur ut benedictionibus adimpleatur et sit longaevus super terram, etc.  
» Item hac occasione fuit actum quod status spiritualis eo tunc ex cari-  
» tate humiliter respectu reverentiae benedictae passionis Salvatoris nostri  
» diligenter oravit ut ad bonum medium pacis starent et convenirent,  
» quo tempore tota communis patria Flandriae adhuc integra erat prius-  
» quam destructiones fierent quas citra vidimus. Unde pro majori diligen-  
» tia adhibenda atque juxta vocationem ejusdem status ad suum debitum  
» loquendi et laborandi pro pace, tunc se offerebat praefatus status et  
» sese praesentabat libenter voluntarie etiam ad proprias expensas mit-  
» tendi notabiles deputandos ex statu spirituali cum tali instructione, seu  
» condeputandis prout ipsis tribus membris Flandriae placeret, assignare  
» ac deputare ad remonstrandum praefato duci Austriae, patri metuendi  
» principis nostri, quemadmodum fini pacis posset deservire, nichilomi-  
» nus quidem dolendum est praecipue ob magnam in partem patriae Flan-  
» driae et ecclesiarum destructionem, innocentium sanguinis effusionem  
» et multorum malorum quae citra sunt perpetrata, eo quod aliquibus  
» trium membrorum haec oblatio spiritualis status grata non esset, neque  
» fuit accepta, liquet bene praesentationem suum effectum non habuisse.  
» Nunc autem si sit ita quod citra tempus istud miserabiles patriae fue-  
» runt destructiones et multo majores timendae sint ut patriam Flandriae  
» sustineat eas, nec divina gratia providerit et industria vel discretione,  
» magisque violentia fuerit elaboratum, quoad primum articulum prae-  
» fatae litterae qua significatur nobilem principem et patrem metuendi

» nostri principis non contentum esse de via justitiae, verbum durum et  
 » extraneum valde spirituali videtur statui de tanto principe tam illustris  
 » geniturae, sicut universis nota, personae tantae progenies et origo, con-  
 » siderato praecipue quod imperiali corona descenderit, quae necdum  
 » justitiae communis dumtaxat est defensatrix sed sacrosanctae fidei chris-  
 » tianae pro quibus stetit parata semper et famatus idem princeps nobilis  
 » et virtuosus exiit, non degenerando a conditione praedecessorum suo-  
 » rum nobilissimorum. Quapropter sperandum est, dato quod ita fuerit et  
 » quidam malevolentes extra tramitem justitiae niterentur seipsum edu-  
 » cere, nichilominus sua nobili persona bene informata viam justitiae  
 » refugere nollet signanter ne patriae nobilis filii sui tam innumera mala  
 » per guerras et bella futura supervenirent. Quae quidem via justitiae, si  
 » quandoque dilata fuisset, attamen dicitur quod nuper nobilis dominus  
 » Philippus de Burgundia, dominus de Bevere, de domo Burgundiae oriun-  
 » dus, quam ut justum est et ejus cordialiter diligit benivolentiam atque  
 » conservationem, quaedam media pacis apparuit tam diligenter laborando  
 » quod praefatus illustris dux et pater viam justitiae libenter acceptare  
 » velit, et hoc, mediante cessatione guerrarum prout vobis, nobiles domini,  
 » melius quam nobis innotescere possit, quas declarationem et manifesta-  
 » tionem illius praefati domini de Bevere, latius intellexistis, quibus se sic  
 » habentibus, magnum initium atque medium de pace constaret, quae plu-  
 » rimum utilis et necessaria nostro principi foret et universis ejus terris  
 » signanter bonae suae patriae, propter multiplices rationes quae videlicet  
 » singulis notae sunt et agnitae sine ampliori recitatione.

» Item quantum ad petitionem xv<sup>m</sup> coronarum, si guerrae, sicut sunt  
 » inchoatae, continentur, necesse est ecclesiasticae personae seu status  
 » spiritualis amittant omnia temporalia bona sua sicut manifeste patet de  
 » bonis ecclesiasticis sub territoriis de Teneraemonde, Aldenardi et Alost, et  
 » pariformiter in terris III<sup>m</sup> Officiorum et Wasiae, necnon in plurimis  
 » parrochiis ad oras maritimas, etiam cum parrochia supra Lizam et  
 » frontieras Flandriae nondum ad integrum sint reparatae de guerris Fran-  
 » corum, sic quod ecclesiasticae personae, praelati et ecclesiae aliae parum  
 » ab eis recipiant de temporalibus suis bonis et multo minus recepturae  
 » sint, si guerrae haec continuerentur. Quamobrem, nisi conducatur res  
 » prudentia ac discretione pro medio pacis, impossibilitas et miseria prae-

» fati cleri satis patenter se excusat de non solvendo vel contribuendo.  
 » Quod si per omnia guerra sit continuanda, praenominatus status orat  
 » humiliter supportari ab aliqua exactione dandi; verumptamen, ad evi-  
 » tandum majora inconvenientia et onera propter guerras accidentia spe-  
 » cificata in 11<sup>o</sup> punctu litterarum, etiam ad majora gravamina declinanda  
 » quae adhuc possent imminere et evenire quoad destructionem paupe-  
 » rum, miseriam subditorum et effusionem peccaminosam sanguinis inno-  
 » centium vicinorum et utrarumque partium, specialiter ad destructionem  
 » templorum Dei impediendam et alia incomprehensibilia mala per guerras  
 » evenientia et contingentia, ad perveniendum in divinam et caritativam  
 » pacem, praefatus status spiritualis humiliter orat in honorem amarissi-  
 » mae passionis Dei nostri quatenus placeat vobis adinvenire medium ut  
 » noster metuendus dominus et princeps de avisamento dominorum de  
 » sanguine suo, concilio majori et aliorum nobilium deputentur decem  
 » aut duodecim notabiles, tam nobiles quam cives et tractabiles merca-  
 » tores, homines bonae reputationis sub vulgari populo omni exceptione  
 » majorum, et praefatus status spiritualis etiam libenter deputabit x aut  
 » xii personas ex eis, quae simul, unanimiter, aut, si plus utile videatur,  
 » soli deputati per spiritualementum, expensis suis tendant versus dictum  
 » ducem patrem ad ejus nobilem personam exorandam ut dignetur se jun-  
 » gere viae justitiae et cessare a destruenda bona patria nobilis filii sui et  
 » ad remonstrandum omnia bona media pacis, quam ut attingamus sacro  
 » tempore considerato praefatus status confidit et sperat ut in hiis divina  
 » gratia poterit providere. Sed si oporteat guerras has continuari, praefato  
 » statui erit impossibile aliquid contribuere. Secus si pacem fieri conti-  
 » gerit, vocatis episcoporum dyocesanorum ordinariis in patriam extensis  
 » ad omnem rationabilitatem se applicabit, ut boni obedientes filii de jure  
 » tenentur agere, deprecando humiliter ut hoc rursus placeat contentari  
 » deducendo in bonum et fructiferum effectum. In cujus rei signum aut  
 » testimonium quod ita status spiritualis et eorum deputati unanimiter  
 » concluderint, singuli praesentialiter assistentes nomina sua subscribentes  
 » manu propria signaverunt inferius, xvii<sup>a</sup> martii anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup>  
 » LXXXIII<sup>o</sup>.

» Philippus, abbas Sancti-Petri juxta Gandavum; Anthonius Haneron,  
 » praepositus Sancti-Donatiani, Flandriae cancellarius; Raphael, abbas

» Sancti-Bavonis; Johannes, abbas de Dunis; Walterus, abbas Sancti-  
 » Arnulphi Oudenbourgensis; Judocus, abbas Sancti-Andree, juxta  
 » Brugis; Galtherus, abbas Trunchinensis; Clemens, praepositus Sancti-  
 » Martini Yprensis; Eligius, abbas de Zunnebeka; Philippus, abbas de  
 » Eechoute in Brugis, magister noster, sacrae theologiae professor; frater  
 » Johannes de Pascuis, pro dompno abbate de Thosan; frater Johannes  
 » Happe, prior pro ecclesia Sancti-Winnoci Bergensis; frater Gislebertus  
 » de Hondegheem, pro ecclesia Sancti-Adriani Gerald-Montensis; frater  
 » Dyonisius Brekebolle, pro dompno abbate Sancti-Nicholai Furnensis;  
 » frater Petrus de Stoppeldycke, pro abbate de Cambrone; frater Andreas  
 » Volerix, pro abbate de Boudeloo; frater Christophorus, pro abbate Nini-  
 » vensi; Jacobus de Bersacques, pro praeposito ecclesiae Watinensis;  
 » Georgius Clerici, pro praeposito de Formizellis; Jacobus Brandt, pro  
 » praeposito de Loo; Oliverus Balin, pro praeposito Eversammensi; Ja-  
 » cobus de Platea, pro abbate Eynhamensi; de capitularibus decanus  
 » christianitatis pro capitulo ecclesiae Sanctae-Pharahildis in Gandavo;  
 » pro capitulo Beatae-Mariae Brugensis, Johannes de Burgondia, praepo-  
 » situs ejusdem ecclesiae Beatae-Mariae; pro ecclesia Sancti-Donatiani,  
 » decanus ejusdem ecclesiae Petrus Bogaerdt et canonici Petrus de Ligno,  
 » Franciscus de Kempis et Johannes de Gandavo; pro capitulo Sanctae-  
 » Walburgis in Furnis, Glaudius de Gardt, canonicus; pro capitulo Cur-  
 » traceno, Johannes Pavonis; pro Casletensi Livinus Joneheere, canonicus;  
 » pro Harlebeccensi, Petrus de Crudenare; pro capitulo Beatae-Mariae  
 » Brugensi, Vincentius Verammanus, canonicus; pro capitulo Sancti-Gau-  
 » gerici Haltrensis, Johannes de Fine. *Decani*: pro III<sup>or</sup> Officiis, Oliverus  
 » de Villa, decanus et provisor; decanus Sanctae-Mariae Brugis de Pratis;  
 » decanus Ardenburgensis; Johannes Egidii, decanus Curtracensis; Jo-  
 » hannes Brecht, decanus Christianitatis Oudenburgensis; de Wachtere,  
 » decanus Rollariensis; de Dondere, decanus Wasiae; Petrus de Beka, de-  
 » canus Yprensis; Georgius Steentraete, decanus Bergensis Sancti-Winnoci;  
 » Philippus de Aveskerke, decanus christianitatis Furnensis; Jacobus Hor-  
 » newedere, decanus Casletensis; Nichasius Bake, decanus Noviportensis;  
 » Johannes Boot, decanus Insulensis, et pro capitularibus Martinus de  
 » Montibus, decanus Poperingis; Georgius Nigri, decanus Brobburgensis;  
 » Gerardus de Vlederzeele, decanus Dixmudensis; Cornelius Walteri. *Cu-*

» *rati* : Johannes Canin, curatus de Bevere, Morinensis dyoecesis; Henricus  
 » de Ram, curatus Brobbourgensis; Simphorianus curatus de Quaet-Ypra;  
 » Jacobus de Haga, curatus de Tetigheem, Jacobus de Oechchizeele, cura-  
 » tus Casletensis, Livinus de Slusa, curatus 11<sup>no</sup> portionis Beatae-Mariae  
 » Brugensis, Nicholaus, curatus 11<sup>us</sup> ejusdem ecclesiae, Jacobus Wille-  
 » brordi, curatus Sancti-Johannis in Slusa; Malinus de Hauwe, clericus  
 » Godefridi-Campi; Johannes, curatus de Wulveringhem; Ludovicus Ro-  
 » giers, vicecuratus in decanatu Furnensi; Johannes de Fine, pro decanis  
 » et curatis opidorum Alostiet Gerald-Montis; Petrus de Bleckere, curatus  
 » de Bassevelde; Victor de Moro, curatus de Laerne; Symon curatus pri-  
 » mac portionis Beatae-Mariae Brugensis; Georgius de Vivario, curatus  
 » unius portionis ecclesiae Sancti-Salvatoris Brugensis; Judocus Fabri,  
 » rector ecclesiae Sanctae-Crucis extra Brugas; Johannes, curatus unius  
 » portionis in Lessinghe; Jacobus de Pratis, curatus de Zelebeka, Yprensis  
 » dyoecesis; Egidius de Quercu, curatus de Vracenis in Wasia; Petrus de  
 » Ruella, curatus de Cuerne, juxta Curtraecum; Petrus Fayecele, curatus  
 » de Staden in decanatu Rollariensi; Johannes Monachi, curatus de Mors-  
 » lede, Tornacensis dyoecesis; Petrus Pavonis, curatus Uutberghene;  
 » Petrus Clerici alter curatorum ecclesiae de Temzeka in Wasia. Praefati  
 » omnes signaverunt, praesentibus in hac collatione magistris Nicholao  
 » de Monte et Petro de Fayecele, testibus notariis publicis; sic ad originale  
 » per Balduinum Mys notarium vocatum. »

Stantibus rebus in magna turbatione, dum clerus ita persuadere populo pro pace coepisset et nil gratius ab eo nominari seu frui diebus istis potuisset, non mercatoribus dumtaxat utilis sed omnibus amabilis acclamaretur et una vox omnium audiretur ad pacem inter patrem et filium, respondebant quidam non videri per quae media, cum Austriae dux nollet viam justitiae acceptare, etc., et inter ceteros Johannes de Riebeca, culpando ejusdem decani fullonum opinionem Brugis, quod diceret mittendos sapientes atque discretos mediatores versus dictum ducem rationabiliter satis inclinatum, si tamen non per aliquos, ut audierat, hoc minime impediretur ridiculo; mox sermo fuit illius quinimo tam sapiens ut prodiret, tandem quaesitum est cur diu prius non comparuisset ad pacem componendam cum ipsi saepenumero cuncta possibilis media praesentantes impetrare nequivissent. Suspectus obiit, a vulgo tamen laudatus quod tam

audacter proposuisset omnium opinionem; Gandavi rumor fertur de murmure communitatis Brugensis; querentur super tardatione pacis cum ipsa communitas, prout solita est lucris mercimoniorum gaudere, diversisque emolumentis, ex manuali labore pasci satis sustinuerit ac penitus exhausta continuis eversationibus non posse diutius bella perpeti. Finaliter instantibus sacrae ebdomadae diebus, status ecclesiasticus totius Flandriae de seipso sentiens contribuere non posse, conclusit accedere Gandavum et a rectoribus juvenis principis impetrare licentiam adeundi propriis expensis ducem. Nulla tamen instructione per eos oblata, licentia conceditur, a Gandavo itur cum salvo conductu ducis die Coenae Domini pergentes legati pervenerunt una pars in Teneraemonda et altera ad Alostum jussi supremi capitanei Flandriae, comitis Sancti-Pauli. Die vero sacrae Passionis Domini convenerunt in monasterio Sancti-Bernardi ultra Schaldem et deinde Antwerpiae recepti multum humaniter, ejusdem ducis adventum expectabant, qui Bergis-supra-Zomam, Paschae diem solempnissans, feria 11<sup>a</sup> Antwerpiae celebravit exequias comitis de Zora, apud Teneraemondam occisi hoc anno LXXXIII<sup>o</sup>, dum opidum caperetur.

1485.

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXXV<sup>o</sup> feria 11<sup>a</sup> in paschalibus Antwerpiae apud monasterium Sancti-Michaelis ordinis Praemonstratensis, coram illustrissimo, serenissimo, victoriosissimoque principe duce Austriae, praesentibus statibus ecclesiastico atque seculari, quorum nomina recitare scriptor hujusmodi non magnificet, ex parte status ecclesiastici totius Flandriae sub hac verborum forma magister Petrus de Ligno, praepositus Ronchinensis et Sancti-Donatiani canonicus, quae sequuntur proposuit :

« Serenissime, excellentissime et inclitissime princeps, fuit superioribus diebus Flandrensis ecclesiasticus status Brugis solempniter congregatus, qui unanimi concordique voto, duabus prae ceteris de causis permotus orationes suas ad Majestatis Tuae splendorem eximium mittere decrevit : una quidem fuit propter perditionem et jacturam patriarum quam minantur bella propediem ventura, conarique censuit piis cleri precibus tot ac tanta bellorum nephandissima mala divertere posse ;

» altera, relatu cum acceperit dominos de sanguine et de concilio claris-  
 » simi filii tui principis nostri inclitissimi ac trium membrorum comitatus  
 » Flandriae deputatos omnia media pacis, rationis et justitiae Celsitudini  
 » Tuae antea saepenumero optulisse, Celsitudinem tamen Tuam nullo ra-  
 » nis et justitiae pacto placari potuisse. Quod profecto clerus dolenter  
 » referri audivit cum te principem jubar justitiae et aequitatis semper  
 » coluerit, summoque honore veneretur. Itaque debitum ut suae vocationis  
 » efficeret, incenditiva guerrarum extingueret, pacem efflagitaret, animi-  
 » que Celsitudinis Tuae rationibus et precibus deliniret, antedictos do-  
 » minos de sanguine ac concilio deputatos Gandavi nuper rogavit sup-  
 » pliciter quatenus licentia deputatis suis impartiretur visendi Tuam  
 » Celsitudinem salvo conductu pro eisdem ab eadem Celsitudine Tua prae-  
 » dicta perhumiliter requisito et obtento. De cujus quidem salviconductus  
 » benigna et liberali concessione gratias perhumiles et immortales idem  
 » clerus refert, inprimis supplicii voto requirens hiis deputatis suis pro  
 » suis exponendis placitam et benignam dare dignetur audientiam. »

*Oratio.*

« Serenissime, potentissime et metuendissime princeps, quamquam  
 » Tuae Celsitudinis majestas atque praeclarissimorum principum gravissi-  
 » morumque virorum celeberrimis locis negotium, quod ipsi orandum  
 » et Christi gratia perorandum suscepimus arduissimum, requirat virum  
 » perdoctum et eloquentem ut Cyceroni vel Demosteni disertissimis et  
 » eloquentissimis viris compararetur, quos tum inclitissimis imperatori-  
 » bus tum senatu coram splendidissimo perorando turbari, angi saepenu-  
 » mero et erubuisse legimus, quid ipsi nulla eruditione docti, nulla  
 » gravitate modesti, nullo lepore facundi, nulla denique qualitate ipsi  
 » comparandi, Tuae Celsitudini acceptum tantoque adjutorio dignum  
 » afferemus? Profecto ex viribus nostrae parvitatatis nichil; verum summus  
 » omnium largitor Deus bonorum, qui linguas infantum sua facit volun-  
 » tate disertas, per quem et Moyses hiis Domini verbis confortatur : Quis  
 » fecit os hominis aut fabricatus est mutum aut surdum, videntem et  
 » coecum? Nonne ego? dicit Dominus. Perge igitur : ego ero in ore tuo,



» doceboque te quid loquaris. Idque potissimum fieri creditur cum imbe-  
» cilliores Deus ipse [constringit] vinculo obedientiae ut eos velit impor-  
» tantissimis oneribus gratis sublevare, eisque clementer succurrens, suam  
» omnipotentiam, suumque, non hominum, opus manifestare lucidius. Tua  
» igitur immensa bonitate innataque Celsitudinis Tuae clementia ac per-  
» fusi coetus hujus praepollentis mansuetudine, ea quae reverendi patres et  
» ecclesiastici viri praedictum statum ecclesiasticum comitatum Flandriae  
» repraesentantes, quibus non reniti sed obedire necesse habuimus, et mon-  
» stranda et peroranda supplicibusque votis requirenda duxerint, paucis  
» et quam brevius fieri posset, expediemus. Vellent tamen prae ceteris sum-  
» moque cuperent animi desiderio id natura vel arte seu divino munere  
» concessum esset, illustrissime princeps, ut quanta Tuam visendi Celsitu-  
» dinem animi aviditate, quantoque zelo et amore cordis singularissimo  
» huc appulerint impraesentiarum, dilucidum foret, ostenderemus. Profecto  
» nullos unquam oratores quempiam principem, magistratum aut popu-  
» lum nonnullum, denique filium genitorem suum majori constaret amore  
» adiisse. Cum itaque hac oportunitate naeta status ecclesiasticus in opido  
» Brugensi, ut praetulimus, celebriter fuisset congregatus, claritatem siqui-  
» dem et honorem atque splendorem Tuae Majestatis summa amplectens  
» affectione, tum amore filii tui principis nostri serenissimi, tum amore  
» patriae pellecti, ymmo verius necessitati auxilio immortalis Dei a quo  
» omnis gloria, omnis victoria, omnis pax et tranquillitas velut a fonte  
» bonorum procedit omnium, in cujus manu corda regum consistunt, con-  
» fidentiam status sumpsit ecclesiasticus ut patriarum pacem peteret, ani-  
» mumque tuum deliniret, et, uti plurimum confidit, expeteret eum rationi  
» et aequitati commodatum iri. Qua in re certo ut ordine nostra perecurrat  
» oratio, duo principalia sumpsit enarranda, praemittens primum aliquas  
» congruentias aut, ut verius dixerim, aliquas necessitudines tam ex nobi-  
» litate tui generosissimi animi quam bellorum commoditate deducentes ad  
» amplissimum rei desideratae fructum, ex quibus secundo loco nonnulla  
» a tua illustri et splendifera clementia sumus rogaturi et exposcaturi. Tuam,  
» inquam, Celsitudinem, inclitissime princeps, tuam rogant gloriam et cla-  
» rritatem ut animum tuum ab ultione, etiam si quam digne optare posses,  
» divellas, eumque mitiges et ad pacem toto studio convertas, has patrias  
» conserves quas tua egregia virtute ab hostibus undique salvas peperisti et

» quietas. Nempe qui ab inclitissima, dignissima, vetustissimaque Austrasio-  
» rum domo, cujus nomine et rem geris, quaque ex natalibus inclitissimis  
» imperatorum et regum utroque parente originem traxeris, qui denique  
» praeter robur et speciosam tui corporis, quae, ut de Priamo, digna est im-  
» perio, formam gerens, religiosissimus es princeps, ad ecclesias, ad statum  
» nobilium et ad statum rei publicae commoda plurimum intentus, ut prin-  
» cipem decet, semper generosi fuisti animi et liberalis afflictis et piis locis  
» maxime compatiens: tu, inquam, pro hiis patriis tuendis ac defenden-  
» dis, cum primum ad eas appuleras, accepisti gladium super femur tuum,  
» potentissime animo forti et industria militari earumdem patriarum ac-  
» mulos propulsisti, occupata loca recuperasti, et ipse, victoriosissime prin-  
» ceptus, juxta Morinum aliisque locis diversis, ob patriae tuaeque conthoralis  
» amorem, longo gloriosoque praelio personaliter concertasti, Christi tuo-  
» rumque fidelium juvamine inimicos prostrasti et profligasti, quae omnia  
» in aeterna et tuam indebilis majestatis gloriam recensentur. Itaque qui  
» tanto amore has provincias es prosequutus, adeo ut tuam personam nobi-  
» lissimam belli fortunae committeres, non sinat eas tua pietas, non eas  
» tua velit innata mansuetudo feralibus hiis bellis devastari, ymmo gra-  
» tiae tuae splendor nullis etiam pulsatus precibus hiis merito funestis  
» civilibusque praeliis finem imponeret, si considerare placeat maximum  
» scilicet principem nil aggredi debere quod non gloriae suae splendorem  
» augeat. Secum, oro, Tua Serenitas revolvat, esto totam Flandriam ferro  
» domuisset, esto victoriam multo sanguine partam hinc in manu nunc  
» haberet, castra et opida diruta forent, quid hiis gloriosis titulis laudis ad-  
» jiciet? Erunt profecto variis in mundi partibus ignari causarum propter  
» quas bellum agitur, qui rem non modo gloriose sed severe ac in filii tui  
» referent actam ignominiam, ingensque gloria tua quae in hanc usque  
» lucem in dies magis ac magis aucta est, paulatim per hominum ora carpi  
» minuique incipiet. Quod si qui sint qui belli suscepti causas norint,  
» omnes tamen apud se magis probabunt, dummodo odio et ira vacui sint,  
» lenitate et clementia plus quam crudelibus armis victoriam Tuae Celsi-  
» tudini cessisse. Nam ut Tullius divino satis sermone commemorat, nichil  
» in magno viro dignius, nichilque laudabilius clementia. Quod si laudan-  
» tur principes qui se hostibus devoverint pro salute suorum, non erit certe  
» inglorium accepta a civibus injuria dissimulare ac induratos animos omni

» benignitate et clementia evincere; et si in Salustio, uti placet, dummodo  
 » mores recenset et urbes, Romani magis accepta injuria ignoscere quam  
 » prosequi malebant, quanto magis clarissimum opus in catholico erit  
 » principe sese ab amara diraque clade divertere, et ad pacem, etiam, cum  
 » reverentia majestatis, generosi sui animi studio se dare, ut qui in ex-  
 » celso vitam agit, a specie mali sese etiam cohibeat, quod ille triumphalis  
 » Julius Caesar, in oratione quam contra Kathilinam in senatu habuit,  
 » praeclare recensuit: Qui, inquit, demissi in obscuro vitam agunt, si quid  
 » iracundia delinquere, pauci sciunt; fama atque fortuna eorum pares sunt.  
 » Qui magno imperio praediti, in excelso vitam agunt, eorum facta cuncti  
 » novere, ita quod in maxima fortuna minima peccandi licentia est, neque  
 » odisse sed minime irasci decet. Quae apud alios iracundia dicitur, ea in  
 » principe superbia atque crudelitas reputatur. Abstrahendus est igitur  
 » principum animus nedum ab hiis qui prae se ferunt apertam mali effi-  
 » giem, sed ab omni illo quod vel levem vel tenuem mali habet speciem. —  
 » Haec ille: ea consideratione usus est mitissimus David, quum tres fortes,  
 » irrumpentes castra Philistinorum, aquam sibi de cisterna hauserant in  
 » Bethleem, quam detulerunt regi concupitam ut eam gustaret. At ille  
 » noluit bibere, sed libavit eam Domino et ait: Num sanguinem istorum  
 » hominum, qui profecti sunt, bibam? O religiosum principem! O nobi-  
 » lem animum! O spectaculum totius modestiae! Noluit aquam animarum  
 » periculo emptam gustare. Nemo tamen vulneratus, nemo interfectus,  
 » nemo laesus. Qualis igitur laus et gloria principibus esse poterit, qui  
 » victoriam aut imperium non degustant sine flumine cruoris civium suo-  
 » rum, sine patriae orbitate! Lugubris profecto et amara victoria, quae tanti  
 » emitur, quantumcunque amara, non tamen secunda ad vota semper suc-  
 » cedit victoria. Scimus equidem te claritate progenitorum serenissimum,  
 » utroque parente nomine universae christianitatis clarissimum, et inter  
 » milia maximi decoris et roboris famosissimum. Scimus te armatarum  
 » potentia, divitiis patriis et confoederatis potentissimum, et in rebus belli-  
 » cis serenissimum ac fortunatissimum. Nichilominus legimus Jonathan,  
 » Themistoclem ac Priamum victoriae cessisse. Jonathas quidem primi re-  
 » gis inclitissimi Israël filius amabilis super amorem mulierum, fortior  
 » leonibus, velocior aquilis, in monte Gelboe, cum patre suo Saule, con-  
 » fessus est. Themistocles calido sanguine tauri hausti interiit, et Priamus

» majoribus filiisque suis potentissimus interfectus, omni domo gazaque  
» spoliatus, aram deorum suorum tenens, a Pyrrho est interemptus in  
» templo. Potentissimi fuere Cyrus, Cræsus et Holofernes. Cyrus Persarum  
» rex quadringentis milibus armatorum Caucasum montem transiens, a  
» regina Amazonum Semiramide interceptus, quæ caput ejus in utrem  
» plenum sanguine ut quem sitisset hausiret, reposuit. Cræsus Lidorum  
» rex ditissimus, quo ditior inter mortales visus est nemo, a rege Bithy-  
» niae pulsus occubuit. Holofernes princeps militiae Nabugodonosor regis  
» Assyriorum invictissimi, per manus Judith viduæ capite truncatus est.  
» Serenissimi principes Alexander, Pompeius atque Julius, qualiter exter-  
» minati sint, non opus est referre; nam Alexander Macedonum rex, quo  
» totus tremuit orbis, modico veneni potu Babiloniae per medicum suum  
» extinctus fuit; Pompeius imperator, viginti duobus regibus Orientis in-  
» teremptis, a Caesare post profligatus, in Ægyptum a Ptholomeo occisus  
» est; Julius inter omnes Caesar strenuissimus, stilis tabellarum a suis sena-  
» toribus impetitus, miserabiliter diem clausit extremum; et tunc primum  
» ipsi pluresque alii maximi saepe collapsi sunt principes, cum se plurimum  
» fidebant aut gladium principatus ad ultionem vindictamque converterent.  
» Itaque gloriae et honori religionique tuæ convenit, illustrissime princeps,  
» gladium principatus tui non ad dissipationem, nec ad ultionem, sed ad  
» defensionem populi tui civiumque tuorum convertas. Revolventes sive  
» sacras sive seculares litteras, perraros inveniemus principes suis bella  
» movisse. Moysen ducem populi Israel saepenumero meminerimus maxi-  
» mis a populo suo lacessitum injuriis, usque adeo ut eum lapidare cona-  
» retur. Accepta tamen injuria, pro populo preces effudit, ultionem nullam  
» intulit, nisi ubi Deo jubente Dei injuriam prosequutus est in assumpti  
» vetuli adoratione. Regem David propulsum comperimus a regia civitate  
» Jherusalem jussisse tamen ut Absalon qui eum pepulerat, observaretur;  
» ubi pariformiter in Saulem jure saevire potuisset, qui ejus vitæ insidia-  
» batur, non modo modestia servata sese continuit, sed eum qui se falso  
» aiebat Saulem peremisse jussit interfici. Jhesus Christus rex propheta-  
» rum et summus omnium princeps ac sacerdos, hoc etiam suo edocuit  
» exemplo, qui non modo ab ultione sese compescuit crucifigentium, sed  
» pro eis patrem in coelis rogavit et per annos XL<sup>m</sup> distulit ut tandem diu  
» expectati ad poenitentiam sua clementia emollirentur. Itaque, clemen-

» tissime princeps, etsi ultio optaretur, convenit tamen tuae clementiae ut  
 » eam non ad quadraginta sed saltem ad filii tui puberes protrahas annos,  
 » opusque agas magnificum summaque majestate dignum. Quemadmo-  
 » dum Scipio Africanus apud Vulteranam civitatem, qui hostium iram sui  
 » admiratione placavit, tu tuam potentiam ad populi et civium defen-  
 » sionem non ad eorum cruorem aut sanguinis humani effusionem velis  
 » divertere. Nam ut Valerio placet Maximo, si tamen quis victoriam contra  
 » patricidas cives optinisset, quantumcunque maximum et acrem fudisset  
 » exercitum, triumpho caruit. Si quis praeclaras res maximeque utiles  
 » Reipublicae civili bello gessisset, imperator appellatus eo nomine non  
 » est, neque aut ovans aut curru triumphavit, sed semper lugubres  
 » existimatae sunt victoriae domestico sanguine partae. Sic nec Anthonius  
 » Kathilinae victor, nec Nausica, Graccorum extinator, triumphum ha-  
 » bere meruerunt. Si denique deceat principem in barbaros fore clemen-  
 » tem, quanto magis id perficere cognosci debet per te principem illus-  
 » trissimum gloriosissimumque. Sane gloriam ingentem et maximam  
 » laudem Marcus Marcellus meruit Augustino narrante, qui lacrimas  
 » effunderit commiserans Syracusae ruenti : sic ad tuam maximam glo-  
 » riam et laudem succedet immortalem si desolationi patriarum commi-  
 » serans, civium tuorum animos benignitate et clementia, non ferro, evin-  
 » cere velis. Est et congruentia non solum ad gloriam, commodum et  
 » honorem Tuae Celsitudinis, sed ut filii tui, principis nostri serenissimi,  
 » ob amorem quem tenerrime sibi geris, jura conserves. Naturae enim  
 » legibus parentum protectioni cura filiorum inserta est, quibus legibus  
 » accedit divina, qua jubetur ut parentes filiis suis thesaurisent. Apostoli  
 » verbum est : Qui suis et maxime domesticis non providet, infideli dete-  
 » rior est. Oppida siquidem diruantur, vastentur agra, suis diripiantur opi-  
 » bus, homines trucidantur, captivi ducantur Flamingi, Brabantigenae vel  
 » Hannonienses, quocumque calamitatum impetus irruerit, filius tuus est  
 » quem dampna sequuntur. Quicumque vicerit, ipse succumbit; quicum-  
 » que lucretur, ipse perdit. Miserandum sane principis tenerrimi fatum  
 » execrabile, ac dira belli cupido ut neque vinci neque vincere possit sine  
 » suorum jactura subditorum! Una salutis via est : cessent feralia bella,  
 » redeantque Saturnia regna. Non collidantur omnes patriae tui praeclaris-  
 » simi filii : patriae, inquam, vetustissimae amicitiae, patriae unius princi-

» pis, linguae unius. Non exterminentur patriae opulentissimae, hospitibus  
 » gratae, nullis onerosae, mari, fluminibus, praediis, artibus, populisque  
 » focundissimae, mercimoniis denique et omnium rerum ubertate refar-  
 » tae; cedetque filio tuo in perpetuam commoditatem, critque diu divinum  
 » atque beatum talem patriarum jacturam extremamque calamitatem im-  
 » pedire. Cogitet Celsitudo Tua personam clarissimi filii tui te alloquen-  
 » tem. Clamabit ipse : Clementissime metuendissimeque mi genitor, in  
 » tua potestate, in tuo arbitrio situm est dulces has patrias ab imminente  
 » calamitate servare! Ipsum itaque filium audite et exaudite. Quod audi-  
 » vimus, quodque vidimus, pro veritate testamur, licentia a tuo filio petita  
 » et optenta. Dictum suum a cunctis amabile verbis licet theuthonicis  
 » auditum est : *Groet me mynen lieven gheduchtighen vadere zeere,*  
 » *ende bid hem dat hy vullic pays maken wille dat wy t'samen goeden*  
 » *chiere moghen maken.* Itaque, clementissime princeps, esto non satis  
 » apud te convenerint, omni tamen offensa semota, exaudias preces filii  
 » innocentis te accedentis. Accedit et ecclesia Dei, accedimus et eccle-  
 » siasticae personae, statusque totius Flandriae ecclesiasticus, qui nullius  
 » offensae dedit occasionem, sed Tuam Celsitudinem summo semper est  
 » honore veneratus, devotus quoque semper tibi fuit et obsequiosus ut  
 » eo facilius suas preces speret exaudiendas. Nempe si Alexander Ma-  
 » gnus Jherosolimam profecturus ut eam suae subderet ditioni, ob reve-  
 » rentiam praesulis, omnem animi rigorem deposuerit et ad propria  
 » redierit infecto negotio, quanto magis splendori gloriae tuae convenit,  
 » nos oratores nomine totius ecclesiae Flandriae infra tuae exaudi-  
 » tionis brachia suscipias. Si, ut in sacris historiis legimus, sapien-  
 » tissimum prophetam et illustrissimum regem David, qui filium suum  
 » Absalonem offensum, eo quod fratrem suum Amon ob struprum sorori  
 » illatum obruncaverat, cum regis iram nullus ex proceribus vel sapien-  
 » tibus delinire posset, missa tandem est ad regem mulier Thecuites, quae,  
 » assumpta parabola, regem exorsa est, dicens : Domine mi rex, duo filii  
 » mei, ancillae tuae, rixati sunt in agro ad invicem, et percussit alter alte-  
 » rum et interfecit eum, et ecce universa cognatio insurgens adversus  
 » ancillam tuam dicens : trade eum qui percussit fratrem suum. Cui rex :  
 » Non peribit capillus de capite filii tui, et subjungens recordatur rex Do-  
 » mini Dei sui ut non multiplicetur sanguis ad ulciscendum. Nos itaque,

» serenissime princeps, tanquam mulier illa Thecuites, summo optamus  
» affectu dulce ut verbum regium a te suscipiamus : non pereat capillus  
» de capite eorum pro quibus loquuturi sumus, animumque tuum ita pla-  
» care et rigorem mitigare possimus, et ad summum tuum honorem suc-  
» cedat quod dominus noster princeps recordetur Domini, de sui inter-  
» cessione cleri : Non multiplicetur sanguis proximi ad ulciscendum. Ex  
» quibus prospectum habetur quod tam propter splendorem gloriae tuae  
» et filii tui, quam etiam ecclesiasticorum preces, tuae nobilitati con-  
» gruet animum mitiges et ad pacem cum convertas, hasque patrias salvas  
» conserves et pacificas. Et his pro congruentia personali deductis, altera  
» congruentia quam brevius perstringenda procedit ex incommoditate  
» rerum per guerras et bella contingentium. Quid enim bellum aliud est  
» quam mors? Ymmo verius bellum ferale et exitiale malum omni morte  
» perniciosius : morte nempe vita deperit sola, sed bello matronarum cas-  
» titas prostituitur, stuprantur virgines, templa violantur, sacra pollun-  
» tur, opes singulorum diripiuntur, agri, domus, oppida, castra, provinciae  
» exterminantur et, quod lamentabile est, sanguis funditur innocentum  
» coram summo Deo vindictam ultionemque clamitans. Quodque teterrim-  
» um est, ecclesiae bellis istis comburuntur ac destruuntur; divinus  
» cultus, quasi catholica fides jam non esset, in plerisque locis aboletur, et  
» sacrosancta Eucharistia, quod nephandissimum et horrendissimum est,  
» sumptis sacris vasis, terrae lutoque committitur. Omnia quoque misere  
» consumuntur, quin ymmo ipsum bellum bello consumitur. Quo bello,  
» quave discordia dixerim? Ea certe qua nulla capitalior, nulla saevior,  
» nulla denique perniciosior qualis jam inter affines cognatasque genitur  
» acies. Haec est quae diebus nostris totam subvertit Graeciam et quae  
» dudum Romam a summis imperii vestigiis dejecit. Sed opus est in re  
» tam aperta recentia etiam offerre exempla. Nam adhuc est in conspectu  
» patrias illustrissimi principis nostri ac filii tui inclitissimi passas dampna,  
» calamitates et desolationes eorum, ante haec tempora quae cum Gallis  
» gesta sint bella, persentire, per quae, princeps inclitissime, praedicta mala  
» et quae contingunt guerris indicibilia merito debeant animum tuum  
» generosissimum mitigare simul ad pacem et pacificam patriarum con-  
» servationem inclinare. Secundo tandem loco congruentia accedit per-  
» grandis ex natura rei desideratae, nam ut ait Augustus : Desiderium

» pacis a natura omnibus insertum esse dinoscitur. Tantum enim bonum  
 » est pax ut in rebus etiam terrenis nichil gratius solet audiri, nil desidera-  
 » bilius concupisci, nilque melius inveniri. Quare, sicut nemo est qui non  
 » velit gaudere, ita nemo est qui pacem nolit habere; verum ipsa pacis  
 » intentione bella geruntur, quo constat pacem belli optabilem esse finem.  
 » Est enim pax ipsa non modo dulcis, sed etiam ipsius nomen blandum et  
 » suave, tum etiam res ipsa, ut ait Cyncero, salutaris; hac enim agri, hac  
 » urbes, hac oppida, hac res privatae publicaeque, necnon regna consti-  
 » tuuntur et conservantur. Quae quidem cum unicuique principum ama-  
 » bilis et jocunda esse debeat, tibi maxime, princeps virtuosissime, ut quas  
 » a majoribus tuis tuaque dilecta conjugae dignitatem ac patrias ipsas inte-  
 » gras accepisti et egregia tua virtute salvas peperisti, restat felici perpe-  
 » tuaque pace fieri, et conservare velis et possis. Accedat memoriae tuae  
 » serenitas inclitissimae Mariae nostrae, dum viveret, clementissimae vir-  
 » tuosissimaeque ducissae, cujus amore patriam intrasti, paternos lares  
 » reliquisti, ac meminerit, inclitissime princeps, Tua Serenitas quod patriae  
 » quae nunc utrinque vastantur, conjugis tuae fuere, quas ab avis, atavis et  
 » ducebibus accepit praeclarissimis, quodque hujusmodi patrias delere, des-  
 » truire, lacerare sive vastare nil censendum erit aliud quam ejus gloriam,  
 » ejus famam, ejus nomen et progenitorum suorum titulos gloriosos dimi-  
 » nuere : quod tamen a tua virtuosissima, praeclara ingenuaque mansue-  
 » tudine nullatenus fieri permittendum confidimus. Itaque, princeps incli-  
 » tissime, tum propter conjugalem amorem, tum propter populi duram  
 » afflictionem, tum propter clarum gloriae tuae splendorem, tum ob amorem  
 » quem filio tuo tenerrime geris, tum propter rerum incommoditates bello  
 » provenientium, tum propter salutiferum pacis fructum, tuos oratores, ut  
 » Flandrensium ceterarumque patriarum optinere pacem possint, facile  
 » exaudies et exaudire debes, et haec sunt quae cum omni humilitate et  
 » mansuetudine clerus duxit pro congruentia principali pacisque necessi-  
 » tudine deducenda.

» Pro secundo puncto principali in quo polliciti sumus nonnulla ab eadem  
 » Celsitudine Tua nos supplici voto rogaturos, rogamus itaque et ex toto  
 » corde precamur, clementissime et inclitissime princeps, quatenus eadem  
 » Celsitudo Tua media pacis et viam justitiae per dominos de sanguine et  
 » de concilio illustrissimi principis nostri filii tui clarissimi et per trium



» membrorum Flandriae deputatos pridem oblata velit acceptare. Quod  
 » si in omnibus Tua Celsitudo ac Majestas hiis necdum contentetur, digne-  
 » tur nobis capellanis et oratoribus ejus plenitudine suae clementiae con-  
 » gruentia media exhibere, per quae verisimiliter dictos dominos ad pacem  
 » possimus conducere. Inveniret profecto suos oratores accuratissimam  
 » daturus operam ut illa media pacis oblata ad finem perducantur optatam  
 » et ad eam quam Dominus concedere dignetur, universalem ac desidera-  
 » tissimam omnium patriarum pacem, pro qua licet omnes, maxime tamen  
 » ecclesiae personae et earum vocatione summo tenentur studio ela-  
 » borare. Agite igitur principes, agite consulares, agite sacer totius cleri  
 » coetus assistens, agite civium magistratus, et una nobiscum preces  
 » effundite. Una omnium salus agitur, una periculi omnium fuga quae-  
 » ritur. Nobiscum intercedite, juvate nos vestris lacrimarum undis apud  
 » inclitissimum principem ut amodo ubilibet cessent ferocia bella, prae-  
 » beatque dulces, gratas et rationales pacis conditiones. »

Quibus ita declamatis, impraesentiarum dudum Burgundiae cancellarius, magister Johannes Carundileti, carpere legatos palliatione verborum acerrima coepit oratione, cujus invectio fortasse ab aliis habetur. Verum post aliqualem juxta conceptum suum verborum interpretationem, illustrissimus Austriae dux, tanquam litterarum non ignarus, hiis latinis loquutus est :

« Cum me Deus, inquit, principem populi constituerit, per quem reges  
 » imperant atque gubernant, suoque munere filium dederit michi, quem,  
 » invito me, ne dulcibus ejusdem fruar amplexibus, contra fas quidam  
 » Gandavi detinent, non parcam ferro, igni seu gladio, quoadusque liber  
 » a captivitate vestra restitutus fuerit. » Postquam autem prandendi tempus  
 observatum esset, iterum in concione vocatis suis, pro consolatorio verbo  
 extremoque responso, dux legatis, ut ab hiis qui interfuere, dixit : « Si de  
 » periculo revertendi deputati per nos vobis non sufficiant, singulis ducenti  
 » sive trecenti, singulis vestrum mille deputabuntur. Non obstante igitur  
 » guerrarum irritamento et villae Brugensis culpatione gravi, qua nos ac  
 » dilectum nostrum Philippum de domo Burgundiae dominum de Bevere  
 » nuper offenderunt, sub certo numero obsidum, occasione visendi dilec-  
 » tum filium nostrum ad Sacri diem Sanguinis, si nos illic contingat pro  
 » pace vocari, votivum poterit effectum res sortiri; nam hoc voluntatis est

» nostrae ut permittatur duci filius, et vi de parte nostra cum vi de  
 » parte vestra quantumque super hiis concluderint, observabitur per nos  
 » irrefragabiliter de patria ad patriam, de villa ad villam et non ultra,  
 » datis semper obsidibus in certo numero, restituendi quotiens praefixum  
 » tempus assignaretur. » Licentiatis legatis feria iv<sup>ta</sup> paschaliū dierum,  
 altera die Machlinia Teneraemondam ingressis, ultra flumen legati deli-  
 berati Flandriam et Gandavum repetiere, nuntiantes perbenigne tracta-  
 bilem fore ducem ad pacem componendam. Sed quum eadem die iv<sup>tae</sup>  
 feriae comes Polanus cum Suetonibus Ninivensem oppidum multis oc-  
 cisis invaserat ac per alios denuo quod relictum erat in Geraldimonte  
 totaliter asportatum esset, necnon Hannonienses Alostum impugnando  
 Francos advolantes prostratis nonnullis spoliassent armis et equis, Gan-  
 denses incensi animo pro succursu ad regem Francorum illico miserunt,  
 et nisi dux Aurelianensis sese opposuisset, jam Franci parabant cum Phi-  
 lippo, comite de Brest, fratre comitis Sancti-Pauli, descendere. Nichil-  
 hominus comes Sancti-Pauli quosdam venire fecit, quibus ad oras Flan-  
 driae, tam terra quam mari petentibus ingressum et in oppidis aut castris  
 intrōmitti, denegatum est receptaculum, timore quo comitatus de Rochil-  
 lione superioribus annis ad coronam subtiliter incorporatus extitit, et si  
 Gandenses hoc modo per Flandriam, ut se salvarent a guerris indempnes,  
 instituebant agendum, major tamen pars alterius erat opinionis, unde,  
 cum Austriae duci hoc insinuatū esset, pro se cogitavit esse patriam  
 ad salutem filii sui conservandam. Petiit igitur a Brabantinis, qui necdum  
 aliquid contribuerant, offerri sibi pro guerris adjutorium, qui praeter  
 corpora propria parabant in promptum dare ducenta milia florenorum,  
 quibus stipendiorum solverentur impensae quoad Anglicos, Ghelrenses,  
 Renenses, Suetonenses et ceteros in arma vocatos sustinendos. Hiis  
 auditis a Gandensibus, maxima ex omni parte Flandriae statuitur in  
 armis conventio, ut sub comite Sancti-Pauli supremo capitaneo de Denza  
 pergeret armata usque Alostum, licet oppidum Aldenardi terrebarur et  
 minabatur obsidione cingi. Ceterum, quia citatus ex Sancto-Audomaro  
 Gandavum petere refutasset dominus Philippus de Bevere, favore sui  
 factum est apud Calisyum ut publica proclamaretur guerra in sabbato  
 dominicae Quasimodo inter duos reges, confederatione renovata cum  
 serenissimo rege Angliae Richardo III<sup>o</sup> per fautores illustrissimi ducis

Austriac, qui receptis ambatiatoribus ejusdem regis apud Antwerpiam x<sup>m</sup> architenentium offerentibus ad succursum, respondit eos acceptos habere sed nolle per Calisiam ingredi Flandriam, servari tamen paratos donec mandaret eos, deputavitque dux dominum Rolandum de Halewyn transfretare et occurrere. Cursitationes interim perpetrantur impetuosissime, nec est credibile qualia cotidie mala committebantur. Venit Brugis comes Sancti-Pauli una cum Guilielmo Rym et ceteris adhaerentibus, qui culpabant ecclesiasticos, dicentes eos capiendos, qui mentionem aut verbum aliquod de responsione sive submissione duci amodo facerent, esse cuncta falso conficta, mandantes decanis christianitatis villarum Gandavi et Brugis ut praedicaretur contrarium populo. Breviter, nolentes eundem ducem gubernare super eos, ad aerarium undique pro guerris ducendis ne populo graves rectores juvenis Philippi ducis viderentur, publicari fecerunt supra totam Flandriam de demaniis accipiendis ejusdem Philippi redditus reemptitios ad xii<sup>e</sup> aut xiii<sup>e</sup> lb. grossorum annuae pensionis datos xv lb. grossorum monetae Flandriae pro una, dum redimi contingeret eosdem. Pauci tamen inclinati reperti sunt ad denarios suos exponendos; nichillominus inventionem quadam a ditioribus extorti sunt denarii pro stipe armigerorum exsolvenda. Quapropter Gandavi nonnulli accusati qui favebant archiduci, captivi puniti sunt. Cum etiam magister Ægidius de Houva et Johannes de Pottelberghe versus dictum archiducem convicti fuissent cum clero sensisse, captivi retenti ac puniti fuere. De nominibus aliorum accusatorum diversitas tandem patebit cum ad lucem erit producenda textura gestarum rerum, quam suis diebus orditus est scriptor, aliorum relatus potius et organis quam suis propriis testimoniis innitendo.

Decima tertia aprilis idem forte propugnaculum quod ultra Calloo Flamingi contra Brabantinos et navigia petentia Antwerpiam munierant ex profugis de Hollandia, per homines archiducis obsidetur; venit autem pro subsidio Gandavum capitaneus, et assignati sunt Wasenses ut illuc tenderent. xx<sup>a</sup> vero mensis ejusdem, ob irruptionem archiducis, primo Gandenses, deinde Brugenses suos sequi fecerunt generalem capitaneum comitem Sancti-Pauli in occursum dicti ducis pergentem; sed fractis dicagiis ad miliare minime poterat Flamingorum exercitus ad propugnaculum approximare, nam immixtis aquis inundata terra viam

interclusit pedestribus similiter et equestribus. E converso igitur comes Gandavum reversus, et consilio Nicholai de Baenst, capitanei dicti propugnaculi, naves aptantur et praeparantur ut levaretur obsidio per archiducem posita ad propugnaculum, quale dudum piae memoriae dux Burgundiae Karolus ante Nusyam extrui fecit de lignis ad invicem compactis artificiose contra omnem impetum tam lapillorum quam ceterorum ictuum. Sed priusquam daretur succursus obsessis, ipso die Martis eveniente, partim vi, partim deditioe praecoccupantur, et in Antwerpian deferuntur instrumenta bellica, quibus erat undique provisum. Dux autem in propria Machliniam petens, illic ordinationem cum suis procedendi fecit ad debellandos Francigenas quos Philippus des Quordes, alias Crefcuer, comiti Sancti-Pauli deliberaverat in majoris rebellionis exercitativum incendium. xxv<sup>a</sup> dicti mensis aprilis ex Gandavo se comes de Rommont alias Sancti-Pauli movit cum Francigenis et illis qui se in Deynza tenebant, impetuque facto ante Aldenardum, nonnullis caesis ac fugatis per dominum de Montigni et alios ducis capitaneos. E converso Gandavum praefatus comes ingressus, sic commovefecit opidanos ut bellicis instrumentis valde multis et magnis, quorum aliqua pars per Lizam ex Aria navibus erat advecta, processum est in campos ferme cum xl<sup>m</sup> hominum ut dicebatur. Qualia proinde dietim perpetrata fuere, non ex hiis referenda censuit scriptor qui minime praeliis interfuerunt, sed aliquantulum per eos personaliter inde revertentes pauca notavit quae posteris patebunt, prout evenere res gestae non parvis declarandae voluminibus. Nam ad totius Flandriae gubernationem praecipue tendebat comes Sancti-Pauli qui potius juvenem regi deliberandum quam patri suo restituendum opinabatur. Itaque cum clerus suspectus haberetur ex adhaesione contrariae opinioni, imprimis Cameracensis episcopus carpitur; similiter abbates Sancti-Petri, Bavonis ac de Dunis suspecti reddebantur ex eo quod contradicere petitioni pecuniariae videbantur. Verumtamen citatus clerus unanimiter optulit pro statu juvenis vi<sup>m</sup> florenorum Renensium, quam sommam, absente Wilhelmo Rym, acceptare ceteri nolebant adhaerentes; nam in occursum Philippi des Quordes et aliorum capitaneorum regis perrexerat. Cumque Tornacenses atque Insulenses difficulter transitum Francis darent, dictus Philippus villam Curtracensem sibi petiit, ad quam praefatus Wil-

Ielmus eundem Philippum adduxit; sed cives eum cum certo numero deputato seu conscripto intromittendum censuerunt, armigeris in conviciis collocatis. Innotuit duci Austriae Francorum adventus, et ideo missis capitaneis obviam, cum non occurrerent, grandem pecudum et armentorum praedam desub Tornaco reduxerunt in Aldenardum, invitatis adversariis campos tenentibus. Indignati Gandenses quod comes Sancti-Pauli capitaneus Flandriae se non opposuerat, inventa occasione quod parlamentasset cum duce vel Philippo de Ravesteyn, eo amoto, duos instituerunt ex suis, fluctuantibus igitur Flamingis, cum victualia non ministrabantur more solito, quia dux Juliaci et plures ex Almania et Ardena succursum Austriae duci dare venerant. Ex quo tanta commotio facta est ut Franci trepidantes juxta Flamingorum exercitum sese recepere prope Eenam ad medium miliare juxta Aldenardum, aestimantes conflictum habere cum Australibus, quem Philippus praefatus dissuasit, ad concordandum partes confessus se advenisse non ad praeliandum. Vulgus nichilominus Gandavi non parum movebatur, tum ex eo quod tentoria opidi ac cetera campis tenendis necessaria sibi prius deliberari petiisset, tum ex dolo posse plures Francos adduxisse quam ducentarum lancearum armigeros requisitos ubi supra x<sup>m</sup> Francorum eum noverant retinere, quorum pro stipe pars major Gandavi fuit intromissa. Quae res nonnullis displicuit. Insuper et per mare Franci vagantes fere xxv<sup>o</sup> naves sale refartas Hollandiam petentes interceptere; necnon cum Slusensibus Aremudam et Vlissingam in Zeelandia spoliavere. Quae omnia bellorum irritamenta vulgus imposuit humeris Wilhelmi Rym, Johanni de Rontere et aliis adhaerentibus, clamantibus igitur popularibus finem dari bellicis motibus usque ad celebrationem Penthecostes quae fuit xxii<sup>a</sup> maii. Cessere audita redditione castris de Hersseele, necnon obsidione Alosti per ducem comminata, quodque naves ex Hollandia duci cum stipendiariis pararentur. Plus adversum simulatores vulgares commoti clamabant ut vel occurrerent rectores juvenis principis vel secum ad bella, nisi se praepararent, trahendos esse violenter ut finis haberetur incoepti. xxiii<sup>ta</sup> igitur mensis maii, quae fuit tertia feria Penthecosten, dux ante Alostum, et eadem die cum Francis in Lichtervelde, necnon die illa similiter ante Gandavum hostiliter adversus partiales congressus est. De nominibus autem capitaneorum qui invaserunt egres-

sos de Gandavo, fertur inter ceteros Martinus de Zwarte, miles, compa-  
 ruisse, qui caedendo usque ad licias et bareria portae prosequutus est a  
 tergo sic quod ex caesis et submersis inventi sunt fere mille; quo casu  
 mox captus est unus de custodibus qui fugientes exclusit valvis portae  
 dimissis, et nonnullos de majoribus opidi Gandensis ut favorabiles duci  
 accusavit. Manserunt autem in hoc conflictu decani duo <sup>1</sup> cum aliis no-  
 tabilibus viris ut alibi, et ex Francis aliqui se retraxere forsitan ut addu-  
 cerent bastardum Lotharingiae, necnon Philippum de Zaboudia comitem  
 Bressyae, cum majori multitudine armigerorum; cumque Flamingi casum  
 Gandensium audissent et ad aequalia signa deferenda cum Francis  
 difficulter inducerentur, soluto exercitu qui se tenuerat in Eenam, omnes  
 in sua dilapsi Francos relinquere videbantur, nolentes jurisdictioni  
 stare ipsorum, prout simulatores subornaverant actitandum. Unus gene-  
 ralis capitaneus dominus de Romont in Gandavo sese recepit. Dux autem  
 Austriae per patriam Wasiae continuo versus Gandavum traxit exer-  
 citum suum, rectores cujus adhuc, veluti superiores aliis opidis, ut se  
 tuerentur mandavere, comparuitque dux cum duabus alis, diviso exer-  
 citu, sub oculis civium qui pridem cum non crediderant habere poten-  
 tiam, et ita suburbanis cum molendinis succensis eos terruit, ut occur-  
 rere nullus ei sit ausus, sed inundaverunt paludes et prata circumquaque.  
 Conclusero mare continuo Zelandrini et Hollandrini, campos tenente archi-  
 duce. Tunc illi de Hulst, in fine mensis maii, succursum petentes et perci-  
 pientes, sese duci opposuere, qui mense junio inchoato aliqua combussit  
 villagia circa istud opidum, irritando ad conflictandum et molendinos vento-  
 rum comburendo, sed intrusere Gandenses capitaneum cum vi<sup>o</sup> armigerum,  
 qui una cum magistro ad projiciendum fundibula experto tuebantur locum  
 ab insultibus. Deinde Francigenis Gandavo receptis, ipse bastardus de  
 Feivin Alostum servavit. Cum audissent Franci de Axella ducem recessisse,  
 spoliatis ubique domibus, versus Brugis iter assumpserunt. Bastardus vero  
 repulsus, intromisso Guillelmo Rijm Alosti, ob commotionem vulgarium  
 exortam per Francos, reppulit; nam apud Ecclio Franci multa mala per-  
 petrantes, a comite de Rommont prohibiti fuere ne Brugis intrarent; sed  
 dum v<sup>to</sup> et deinceps dierum junii concursus Gandavi haberetur et super

<sup>1</sup> Au-dessus on a écrit : tres.

desolatione patriarum aut incolarum murmur grave: « Cur super adversarios Franci nichil sed super communem populum intollerabilia mala » perpetrarent? » in ore cunctorum famaretur, rectores ad sedandum populum super exactione quosdam declamatores relaxantes, ipsos Francos exire Gandavum fecerunt, et cum ipsis Willelmus Rijn et Johannes Coppenolle versus Denzam et Alostum porrexerunt, paucis igitur Gandavi Francis existentibus. Velut alter Mathathias, dominus Rolandus Wedegraet, cujus pater a rectoribus capite plexus erat, cum adhaerentibus civibus ascendit motam ubi sub tutela juvenis dux Philippus ab Adulpho de Ravesteyn tenebatur: cui significavit esse sibi proposito submovere rectores antequam majora mala supervenirent et auctoritate juvenis subrogare alios. Hac optenta licentia cepit Livinum Justum Sciettecatte, magnum decanum, Danielem Irrationabilem, vulgari nomine Dancel Onredene, et quamplures alios, missis absque mora litteris ad Alostenses ut de mandato juvenis principis observarentur praefati capitales rectores Willelmus Rijn et Coppenolle, necnon ut omnes a Francis loca sua bene custodirent. Ubique mandatum extitit, rumore quoque facto Gandavi, quod omnes ruerent in arma sicut realiter factum est. Mathias Speuyaert una cum decano nautarum, textorum et carnificum, primus ruit in arma supra forum Veneris; quo tumultu Franci continuo exierunt, et duo de satellitibus bastardi Fevijn e Gandavo litteras tulerunt legiferis de Alosto ut caperentur et Gandavi mitterentur Willelmus Rijn et Jacobus Coppenolle. De Rantere subtiliter evasit et Franciam petiit; bastardus Fevijn cessit, sese dans officio serviendi duci. Dominus etiam Adrianus de Rassegheem ad gratiam recipi cupiens, cum aliis multis pacem quaerentibus quantocius, observatus est. Una vox omnium erat de pace cum illustri duce tractare, nec arma relinquere sive locum fori, donec conclusa pax, fugatis Francis, publicaretur. Haec omnia mense junio Gandavi contigerunt et majora horum. Porro de nominibus scabinorum et captivorum longum esset texere depositiones eorundem. Deliberatis enim Willelmo Rijn et Daniele Onredene per Alostenses, qualiter puniti sint ipsi, sive per Coppenolle accusati, qualiterve ductor Francigenarum Philippus de Crievecuer tractatus sit, latius patebit. Haec de Gandensibus. De Brugensibus autem stupenda legi poterunt imposterum, quorum major pars illico fugam iniit versus Tornacum, et aliqui Franciam petierunt, etc. Quorum opidum libero jure ad imperandum ut

Gandavum natum, tantum studio negotiationis marchantiarum pollere coeperat et opibus divitiarum creverat ut provocare velut aemulam Antwerpianam praesumeret, cujus procedente tempore timuit adortum paribus in negotiis imperium. Nota sunt tempora quibus adhuc paucos mercatores in suum traxissent obsequium; nota quibus ad eam Australes primum migrasse referuntur, ceterum quod mundinarum ejus fama provincias perpaucaissimas adiisset, quae scriptoris tempore sic dilatata per orbem est, ut tam rerum venalium copia quam amplitudine fidei, si digne scribi possent, omnia supra humanum non tenue et aridum quale sibi fatetur a natura scriptor insitum, exigerent ingenium, quo factum est ut aristocrathiae ipsius, id est optimae, sit hoc opido commissa administratio. Extat in eodem domus ecclesiae quam reparavit magnificus de Dunis abbas Johannes XXVII<sup>us</sup>, sub cujus domate scriptoris uterinus frater, Petrus de But, latitabat, in quod ab adolescentia sua frequenter sese scriptor istorum, tandem monachus sedens Dunis, conferbat. Cui evenit quod etiam solet illi, qui postquam ex alto portum conspicere coepisset, remis cum omni nautico alio instrumento aliquo casu amissis, et si rem in discrimen videret adductam, salutem tamen non desperavit. Quippe qui propinquum portum vel naufragium se tenere non diffidit, certo auctore cum a principio hujus operis non caruerit, ex hoc tempore neminem superesse spectare coepit qui manum sibi vel adjutorium imposuerit; nec falli potuit ipse scriptor aliquos fore solempnissimo hoc loco qui Dunis dicitur, ad ea quae scripturus est, elegantiori stilo tradenda memoriae. Sed quia illi ipsi adhuc in obscuro sunt, quod laboris restat in hoc opere totum diligentia saltem immeriti scriptoris sustineatur, qui licet de rebus gestis tam in patria quam foris, maxime tamen de Dunensi monasterio cura sibi fuit extrema bene superis juvantibus enarrare. Brugis itaque reverendus in Christo pater abbas, praefatus dompnus Johannes, in ea commotionis tempestate, cum Franci per conjuratores admissi essent ad resistendum Austriae duci ne super filii sui regimine poneretur, conservandae domus diligentissimam illic curam tenuit usque ad quartam decimam mensis junii, quia tunc dominus Philippus de Burgundia, legitimus filius domini Anthonii, fuit intromissus ad sedandos civium motus. Qui, cum appareret non esse unde conjuratores amplius auxilium sperarent, vanamque jam esse eorum expectationem, legatis benigne missis et acceptis, decrevere tractare cuncta pro duce Aus-



triae super omnibus usque ad hunc diem, quibus eorum integrum Brugense steterat opidum nisi quoad tollendas factiones delicta capitalia vel ea scelerata quae non sine majestate gravi vindicantur, sibi reservari velit, ad quod opidum nisi quantocius ipse Philippus dictus dominus de Bevere declinasset, forsitan major illico motus animorum instetisset, oppressis enim paucis nominatim conjuratoribus, prout Gandavi fiebat in hiis qui ferocius et temere in ducem ausi sunt invehere. Res in discrimine paucis fuere diebus, donec alteratis legislatoribus faciem sibi novam tota Flandria induisset. Praeterea quod praetermissum est id de quo dici oportuisset, haud incuriae, sed potius difficultati rei dari scriptor petit, qui non infitatur in multis se falli potuisse, tum quia multorum ignarus, tum ut opinatus est esse neminem cui hoc scribendi perfecta et inoffensa ratio constiterit genere. Hinc quae apud Gandavum interim agebantur, non satis comperta ceperat scriptor nisi quoniam, detecta fraude conjuratorum civium, Franci fuerint accusati, si postquam creditum eis opidum ad se traxissent Alostum, rati Gandavum, dum majori numero fuissent ingressi, per noctem singulos suos hospites jugulare, cunctaque caedibus et rapinis involvere, atque, quod pessimae proditionis erat, abducere principem infantem quatinus tota sic regi Flandria subderetur. Hiis aut machinatis aut propositis per conjuratores, comes de Romond alias Santi-Pauli, sigillatis suis clanculo, per proprios armigeros ex periculo se traxit, quia omnia prodita sunt per Johannem Coppenolle, missis ad ducem Austriae litteris et directis nuntiis cum abbatibus de Sancto-Petro et Sancto-Bavone ac aliis versus Brabantiam; sed, cum mare dux centum navibus et fere xxv<sup>e</sup> inter Zeelandiam et Flandriam haut procul a Slusa portu principali patriae supradictae teneret, reversi sunt nuntii Gandavum, ubi xiiii<sup>a</sup> junii, rei capitis obtruncatione Willelmus Rym et Daniel Onredene publice puniti sunt, astante vulgo in armis, quod, instantia domini Philippi de Burgundia qui aderat, sequenti die recessit a foro, et quia constanter et publice sese purgavit Johannes Coppenolle, dimissus est, qui Tornacum petiit. Mox alii fuerunt ordinatim nominati, quos Willelmus Rym immunes in confessione proclamavit inter alios per ipsum accusatos. Plures jugulum praebuere, plures vitam fuga tenere, tam Gandavi quam Brugis et Yprae, prout ad longum historiae faciunt mentionem. Decima sexta vero die per dominum de Gruuthuze, capitaneum villae Brugensis, a motione se cives continuere. Sed Johanne de Riebeke fugam

ineunte cum suis, dominus de Bevere, Philippus, et reverendus in Christo pater dompnus de Dunis, una cum magistris Petro, decano Sancti-Donatiani, et Petro de Ligno versus Slusam iter ceperunt, non sine periculo armigerorum. Sequenti die pervenerunt ad naves ducis, ubi nuntii villae Gandensis affuerunt, et ad finem pacis cum eo tractandae dieta Gandavi divulgatur pro tribus statibus xxii<sup>a</sup> junii. Lectis etiam benevolentiae litteris ad populum quas dux direxit, multis in gaudio visa est nova lux oriri. Ceteris quorum cotidie patuit justa punitio, solis antiquissimum jubar occidi videbatur. Haec sub brevibus annotata sufficiant. Verum priusquam dies compariendi Gandavi advenisset, dominus Johannes de Nova-Curia, qui cum domino de Bevere a Sancto-Audomaro Brugis applicuerat, ascenderat in navigia ducis, et absque mora loca omnia sub villa Brugensi resortita sese reddidere, capto quoque domino de Gruuthuza, Petro de Quercu, necnon aliis suspectis per comitem de Nassou qui praecessit ingressum ducis Brugis. Subsequente eodem duce cum duobus milibus hominum intromissus est in praevigilia Beati Johannis-Baptistae. Hiis Gandavi cognitis, motio novae factionis invaluit quorundam qui dominum Adrianum de Raseghem ac alios captivos deliberavere, missis nonnullis stipendiariis de Gandavo ad castrum Slusae defendendum, circa quod exercitus navalis ducis in terra consedit; sed extranei tam de Francia quam aliis provinciis pridem in eo collocati tutum illud servaverunt. Tumultuantibus igitur illis de Gandavo, comes de Romont suspectus a Brugis aufugit: cujus uxor comitissa Sancti-Pauli per ducem Brugis arestata, necnon praefati comitis magister hospitii dominus de Barra apud Novum-Portum, fugiens de Brugis. Comes per Roerii-Pontem dimissis opidis per diem venit ad opidum suum in Duunkerka, sed cives eum suspectum habuerunt eo quod petiit armigeros usque vi<sup>o</sup> intromitti diluculo diei solempnis Beati-Johannis. Relicto opido, Brobbøreh petiit, inde cum Francis Ariam, hinc in Sancto-Paulo sese recepit. Interea primogenitus domini de Gruuthuza, Ludovicus, dominus Spiere, castrum Insulense tradere paraverat suo socrui Philippo, domino des Quordes, qui cum viii<sup>m</sup> hominum nichil aliud expectabat quam propositum suum posse prosequi cum comite de Romont, qui pridem amicum se simulaverat, et familiariter, ut fertur, ipsos Francigenas ad hoc deputatos in aulam juvenis Philippi ad abducendum introduxerat, navibus aptatis ad instrumenta quaedam bellica convehenda versus Slu-

sam, inter quae filius innocens abditus, nisi res innotuisset, in Franciam fuisset delatus; quid autem veritatis fuerit, ipse scriptor affirmative dicere non potest, sed suspiciose. Constabat autem comitem de Romont ad totius Flandriae regimen anhelasse, quod ei rex Franciae, cujus erat avunculus, ad vitam suam suspicabatur annuisse, sed se purgare quaesivit nuntiis ejus Brugis intromissis. Ipso die Sancti Johannis-Baptistae, per rectorem atque capitaneum Flandriae generalem Philippum de Burgondia, dominum de Bevere, et nobiles atque viros ecclesiasticos inter quos erat praecipuus reverendus in Christo magnificusque dompnus abbas Johannes de Dunis, ipse dux petiit filium suum e Gandavo Brugis sibi cum deputatis praesentari. Re cognita, factionis alterius quidam, uti Raseghem et Leonius dominus de Massemine, difficultatem allegare voluerunt; sed dum haec fierent, uxor domini de Gruuthuze pro vita et venia viri sui deprecabatur, nam haec soror fuit domini Wulfrandi de Vere, cui sapienter archidux aiebat impunem merito deberi virum omnem quem vera excusaret innocentia. Erat enim dominus de Veris ex Zelandia contrarius duci ob conjugis amorem de Francia oriundae; sed relaxatis et absolutis ab onere dominabus de Raseghem et de Calckene super custodia juvenis Philippi de Austria, restituta sunt denuo de Ravesteyn et de Chasteliers, etc. Certificatur archidux Austriae quod ejus genitor imperator Fredericus III<sup>us</sup> loca quaedam conquesta amiserat super Ungaros et eorum regem qui Mathiae successerat, quodque per orbem universalis pax inter christianos principes facile subsequeretur, divina mediante gratia, si tamen eam Francorum rex non impediret, cujus subditi regalesque viri cum complicibus, ut certo constabat archiduci, cum Willelmo Arenbergensi Leodiensium tyrannico invasore contraxerant facinosum condictum ut vel praefatus archidux traderetur morti aut cum filio suo Gandavi detento vivus in manus regis deliberaretur; et hoc cum dominus de Peteghem secreto significasset archiduci, mox, assersito domino de Montigny, commisit eidem in mandatis ut comprehenderet Willelmum praefatum, qui repertus ab eodem in opido Sancti-Trudonis non nichil suspicatus est cur tam sero cum paucis ad eum declinaret ipse dominus de Montigny pulcher frater ejus. Seiscitabatur causam inopinati adventus ejus. Respondit illico se venisse, sed in dolo loquens, visendi simulque tractandi causa, prout sequenti die declaraturus esset ad longum. Valde diluculo igitur accedens pausantem adhuc tyrannum reppe-

rit in strato suo, coepitque materiam de gestis in Flandria narrare, postea persuadere quatenus occasione exercitii equestris ad campos traheretur, de cursu velocioris equi se jactare, cetera quoque subjungere simulatorie ut per effectum probarentur equi. Sub equi unius igitur et alterius ac centum coronarum perditione convenerunt ut quicumque praecursor esset, alterius equum ac pecuniam promissam optineret. Ad votum itaque evenit ut ipse dominus de Montigny quemdam de suis scutiferis loco sui faceret ascendere, assignato ei mangone, qui lapsu equi creurefragium in via qua cursus servabatur perpressus est, unde moram contigit occasione tali Willelmum facere, qui ab ipso mangone perfidus traditor appellabatur, et interea hominibus suis accucurrit dominus de Montigny, qui cepit ipsum atque captivum traxit in Malum Trajectum, ubi duabus diebus retentus perfidiae literas ab archiduce Austriae recepit circiter xvii<sup>a</sup> junii, quibus publicatis ipsius archiducis auctoritate decollatus est eadem die, summoto ac dejecto tyranno a quo perpressi sunt inhumana Brabantini et Namurences, quinetiam patriani Leodienses ob ejus inter cetera mala ferocitatem barbaricam nec Deo, nec hominibus convenientem, necnon ob ejus superstitiosam conversationem in habitu exteriori, quo praeter barbam ad renes et pectus protensam, non solum torques ponderosos sed caligas deferre solebat gemmalas et deauratas valore v<sup>m</sup> florenorum Renensium. De interiori homine solus judicat Deus. Maximae presumptionis archiduci sublatum est supercilium, et, hiis auditis, cives de Brugis penitus ad pacem inclinati deputatos suos misere Gandavum quatenus ut et ipsi pacem impetrantes totius comitatus Flandriae participes haberentur. Venit igitur de Gandavo cum suis deputatis Brugis decanus Mathias, dictus Speuyaert, xxvi<sup>a</sup> junii, praesentibus coram archiduce tribus statibus patriae. Petitionibus oblatis et pluries ab archiduce primum refutatis, tandem genuflexionibus iteratis in brevibus verbis pax hoc modo conceditur, ut corruptores pacis, praecipue conjuratores conscii, si de ordine Velleris Aurei rei forent accusati, per fratres et nobiles illius ordinis judicarentur; ceteri, qui de Gandavo, per legislatores loci; si de Brugis, Ypra vel Franca Terra, omnes sub suis legibus punitiioni suae servarentur, hoc attento quod de licentia, scitu seu consensu archiducis omnia terminarentur ac ammodo legislatores officarii patriae ac villarum rectores nomine et auctoritate filii sui per ipsum archiducem instituerentur ac renovarentur ubique. Ceterum omissis causa brevitatis aliis

et aliis conditionibus, archidux receptus est primum ab hiis de Gandavo, deinde confirmatus a Brugensibus, qui burgimagistrum de Franco Nicholaum Martelli, tanquam incensorem populi apud Heysth applicatum archiducem propulsantem, eadem die proclamationis pacis captivum fecerunt. Omnibus in unam sequelam pacis consentientibus, archidux filium suum obviam in Gandavo recepit, ubi quanta hominum laetitia, quam magna fuit in receptione patris et filii jocunda societas, potest sibi quisque naturaliter satisfacere. Quinta julii Brugis decollatis Nicholao, cognomento Abbate, Zigero de Roe, Franchisco de Basseveldt et Petro de Quereu, cum quo Petro scriptor illis diebus collationem habuerat, cum, bello juxta Morinum archiduce adversum Francos commisso, dux victoriam reportaret, cujus in sublevamen pecunias ad summam mille sexcentarum librarum grossorum monetae Flandriae Dunis in monasterio, donec certificarentur hiis qui cum eadem somma remanserant in monasterio, de victoria condiderant, rati fraudulentè si aliter evenisset aliorum aes sibi posse plus proficere quam principi extraneo. Quae res ad lucem cum, erroribus Willelmi Ryn detectis, pervenisset, multis exitium vitae fuit temporalis, et non alios scriptor quam errores dudum seminatos per Johannem Wycleff in Bohemia serpere viderat inter quosdam de Flandria, qui nec Deum, nec homines revereri statuerunt sed ut quisque sibi futurum expediens opinaretur id bonum ausus est judicare. Tum primum de sacramentis cum Hussitis creditur substantia panis et vini materialiter in sacramento post consecrationem remanere, neque Christum realiter remanere praesentia corporali, quod aqua vino non sit commiscenda secundum Hussitas. Petrus de Quereu parum curans dixit: « Sacerdotes modernos paschalem » agnum non cum sanguine dilacerare; » quod autem intellexerit per hoc necdum plane scriptor accipere potuit. Sed videbatur eidem modernis diebus parum disceptasse quosdam ab haeresibus Bohemorum qui sacramentum unctionis sacrae posuerunt esse supervacuum in hiis qui baptizati sunt semel. Item si homo de peccatis suis fuerit corde contritus, confessio oris exterior est inutilis. Propterea denique scriptor hos articulos posuit aut qui sequuntur: Ut si sit in hiis eorum de Flandria quisquam oriundus confidens cum plena fide, praefati conjurati in archiducem sanguinem suum fundere maluerint quam rogum ingredi cum Jeronimo discipulo Wycleff; sed idcirco posuit eos ut ad instar Bohemorum inter viventes

diebus suis reperiantur qui corde talibus adhaeserint, dicentibus nullos ritus observandos circa sacramenta ecclesiae, tam in vestibus et paramentis sacris quam orationibus et lectionibus Scripturae Sacrae seu signo crucis aut ceteris ceremoniis. Insuper dicentibus post hanc vitam non esse purgatorium, sed omnem animam sive de peccatis suis perpetratis satisfecerit sive non, absque mora recipi vel in perpetuam gloriam Paradisi, vel perpetuam in poenam inferni; vanum esse pro mortuis exorare, neque sanctorum suffragia prodesse aut adorandos esse, quippe sicut nec imagines salutiferae crucis, Beatissimae Virginis et sanctorum Dei, sed potius confringendas aut comburendas esse; non quadragesimalia vel alia ab ecclesia instituta jejunia curanda, nec introducta sanctorum festa ab ecclesia fore observanda. Praeterea dicentibus praecepta ecclesiastica non servanda circa tonsuram et habitum clericorum aut horas canonicas, nisi specificè contenta verbotenus in lege evangelica, sed si episcopus extiterit in mortali peccato, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat, quoniam nullus praelatus, nullus civilis dominus quicumque fuerit in peccato mortali, posset populares subditos suos domino delinquentes ad arbitrium eorum deponere, corrigere ac punire; religiones tam professionatorum quam fratrum mendicantium reprobatas tanquam a dyabolo introductas, esse haereticos mendicantes religiosos, peccare quoque singulos qui praebent eis elemosinas; omnia de necessitate absolute evenire; omnes scilicet orationes praescitorum non valere, quia praescitus habens perfectam fidem et caritatem non est pro tunc in gratia Dei gratum faciente, nec est pars ecclesiae, nec aliquam in ecclesia praelationem optinet; econtra praedestinitus moraliter peccans, non est membrum dyaboli, nec extra gratiam Dei gratum facientem; graduationes et magisteria studiorum vana fore gentilium gloria instituta; nullam prope vel alterius praelati timendam fore excommunicationem; factum credere papae vel aliorum praelatorum indulgentias; omnia iuramenta esse illicita quae fiunt in judiciis sive ad roborandum humanos contractus civiliaque commercia; universalem ecclesiam esse praedestinatorum sanctam dumtaxat universitatem. Alia postremo dogmatizata per Bohemos repperit scriptor, ad quos praebuisse suas aures de conjuratis intellexit: nullas videlicet temporalitates ecclesiasticas habere vel praetendere debere, qui nudum Christum aut ejus apostolos imitari contenderint; esse sacram communionem corporis et sanguinis Christi sub eadem spe-

cie panis et vini fidelibus ministrandam; item peccata mortalia publica aut privata, necnon deordinationes legi Dei contrarias, super omnem cujuscunque status christiani prout contingunt, esse cohibendas aut corrigendas; libere insuper exemplo Christi et apostolorum verbum Dei sine impedimento a sacerdotibus praedicandum et annuntiandum. Ad istius articuli conspiratores Flandriae contra ducem illustrissimum Austriae et filium ejus Philippum Burgundiae ducem, Flandriae comitem, tenorem prosequendum, subornarunt quosdam contra veritatem praedicandum fore: quod michi scriptori dictamenti hujus absurdissimum visum est, nisi malitia eorum ad totius Flandriae subversionem prout res innotuit, a posteris tandem defenderetur. Brugis enim viii<sup>a</sup> julii conspiratorum unus Ludovicus Steyl captus de consulibus tetigit ut reus accusaretur princeps de Steenhuuze, dominus Ludovicus de Gruuthuze ac villae Brugensis capitaneus, propter quod ipse captus et curru vectus apud Vilvoordam in Brabantia penes scutiferum regis collatus est donec super nobiles ordinis Velleris terminarent<sup>1</sup>. Erat intentio tam eorum quam Francorum admissorum in Flandria dare necdum patrem sed et filium interneconi, quatinus regi Flandria perpetuo cessisset. O! si verba deficere non modo valeant, reddat saltem se cunctis ignorantia scriptoris excusabilem, et si generis altitudo repererit improbum principis laudatorem, nova laude posteritas suppleat! Parvulus enim iste Philippus triplicem ex parte matris nobilitatis accepit originem, quarum praestantissima christianissimaque domus prima Franciae tanto excellentioribus gradibus attollenda, quanto internam ex ea progenitorum accepit originationem. Hii enim ex Francone primo duce Troianorum ortum cepere dardanicum: altera ex Gondeugo rege praepotenti Burgondionum succedens, ut *Tripartita* testatur *historia*, ortum ob Evandro rege Septem-Montium cepit. A Jano filio Japhet, filii Noe decursu temporis regum generationes accepit ante Urbem conditam, etiam quingentis annis ante Salvatoris incarnationem Domini Nostri Jhesu-Christi; rursus quia hereditario et natali jure ab antiqua Lotharingiae domo, quae jam communi nomine minor Lotharingia seu Brabantia dicitur, genus

<sup>1</sup> En regard de ce mot, on lit en marge du manuscrit: « Tandem apud Machliniam in hospicio suo permissus est, et remissus ad regem scutifer militum, loco dominorum de Villari et de Sancto-Benigno cum tribus aliis de Burgondia, quod accusati fuerant apud regem de resignatione patriae Burgondiae. »

habuit a principibus gloriosissimis Karolo cognomento Martello, Karolo Magno, Ludovico dicto Piissimo, Karolo quoque Calvo, tam imperatoribus quam regibus, a quibus tanto parvulus iste dignius accepit natalitium quanto partim in eisdem claris dominiis est successor effectus. De parte vero sui genitoris per quem de vetustissima Germanorum et Austrasiorum domo, quae nullos nisi Caesares, reges aut duces inclitos parturire solet, jam nuper novissime tanto illustriorem attraxit sanguinem quod genitor ejus imperialis est unicus Frederici III<sup>ii</sup> soboles virtuosa, cui tanta generis adest claritas ut Castellae, Portugalliae, Arragoniae, Navarrae, Ceciliae, Cypriae reges cognationem habeat propinquissimam. Tertio nobilitatis insigne complectitur iste puer ex potentatu quinque ducatum, quorum tres florentissima regna fuere, quindecim comitatum, Frisiae majoris et inferioris occidentalis, in quibus patriis ecclesiae dotatissimae, militum robur, civitates et villae munitissimae. Quod si dimentionanda foret ipsius praecellentia principis, patriae nedum populis aut divitiis uberrimae, sed relictis aliarum commendationibus provinciarum dominii Burgondiae tria praecommandant ingenia : primum antiquitas Burgondorum; secundum, obedientia ad fidem catholicam; tertium Ecclesiae praestita obsequia. De primo fidem facit illud quod in lege habetur ff. *de Censibus*, ubi, aliis in servitute derelictis, Colonienses Romani, sub dominio aristonico seu aristocratico et democratico rem publicam agentes, per quingentos annos ante passionem Christi Burgondiones libertate frui mandaverunt. Nec omitendum quod eodem sub dominio Romanis degentibus, illa civitas antiqua Senonis ex suo gremio III<sup>em</sup> bellatorum in Ytaliam et Graeciam exsufflavit, quibus attonita Roma se praeter Capitolium eorum dedit optioni. Gens quoque haec in Graeciam transiens, locum et nomen illic accepit ut Gallo-Graecia patria populique Gallo-Graeci referantur. Recitat Ysidorus *de Ethimologis*, superiori subacta Germania sub Tyberio Caesare, nationem hanc in plus quam e<sup>m</sup> militarium coaluisse, Julium etiam Celsum civitates introduxisse inclitas Augustodunum et Crisopolim qui hodie Aedua dicitur, necnon Besantium frequentius Julio Caesari II<sup>em</sup> armatorum praestitisse, quorum suffultus auxilio cum legionibus suis romanae nationis Germaniam, Galliam, Angliamque suae addixit ditioni. Nec omittemus, dum Huni fere totam Galliam atque Germaniam igne ferroque consumpsissent, haec gens catholica facta forti manu totam illam barbariem extinxit. Refert



insuper *Historia tripartita* dum sub Honorio imperium irreparabilem pateretur scissuram, et jam nationes sibi dyademata regesque constituerent, et eisdem fere temporibus Franci, sub anno salutis III<sup>c</sup> XLIII<sup>o</sup>, primum regem elegissent ex ducibus, regibus sibi invicem succedentibus tam in Francia quam Burgondia, deventum est ut ille flos dignissimus sancta Clotidia regis Burgondiae neptis Clodovaco pagano Francorum regi matrimonio copularetur, extunc in unam Clodovaci personam duo Franciae ac Burgondiae regna coiere, circiter anno salutis nostrae V<sup>mo</sup>. Verum post successivam filiorum generationem, regnum pridem copulatum disjunctum ad posterum rediit, mansitque sub dyademate regio usque ad vel Martelli vel Karoli Magni tempora, sub quibus regnum etiam antiquissimum in provinciam ducalem est redactum; nec ob id inglorium quod ipse Karolus ad regendam rem publicam adjutores constituerit quos pares nominavit, nam de universis Franciae nationibus ipsum ducem primum parem pariumque decanum instituit, ut, si saltem corona transiisset, nondum dignitatis insignia diminuta essent, ejus honores attestes sunt adhuc mareschallia et cancellaria ducibus Burgundiae et nulli alio Franciae principum derelictae. Nec gloria haec minuta est in Gerardo de Rochillione qui dominium Burgundiae ab Alpibus ad montes Pyrenaeos et a Rheno in Gallias coextendit. Tanto confortatus dominio non parum Karolo Calvo imperatori Franciae regi restitit, sed bella crudelia in principes ejus perpetravit. De secundo commendationis puncto beatus Augustinus inquit l. *de Civitate Dei*. Non ideo principes gloriosos dicimus quia hostes devicerunt X<sup>m</sup>, sed quia fidem catholicam augere et augmentare studuerunt; aut ut id in eodem dicit, quod, rejectis Gygantum fortissimis et solis ab Esau potentissimis filiis, Noe qui primum incepit invocare nomen Domini et filii Jacob Hebraeorum regnum reservando restitit, sed quia super humanam spem fidem Christi intulere. Verumtamen post Christi passionem, Petro in Urbe cathedram tenente, beatus Linus ejus discipulus in Burgondiam descendens evangelium praedicavit et christianas illic ecclesias aedificavit; sed, et beato Petro Romae degente, in honorem Petri viventis usque in praesentem diem adhuc variae cernuntur ecclesiae. Nec praetereundum quod sub Aureliano Nazaracus, Celsus, Benignus et magna Burgondionum gens ut ovis ad occisionem ducta sit, sed multo magis sub Dyocletiano et Maximiano imperatoribus, dum illa sancta Thebaeorum legio morti daretur, quia tunc fere

tota Burgondiorum natio deleta est. Honorii exinde temporibus haec gens instructa fide pleniori Hunorum gentem profligavit in strage eruenta. Quid consequenter de regibus Burgondorum sanctissimis fidem priusquam dyadema recipientibus dicendum est, qui prius uncti simul ac facti reges proclamabantur? Ex quibus illa Clotidia quae regi Clodovaeo sicut et coronam ita et fidem prima detulit catholicam, non solum in Galliam sed et in Germaniam contribuens illam, prout principalia quatuor testantur coenobia Cluniacum, Carthusia, Cistercium et Vallis Olerum, absque collegiatis ecclesiis ceterisque monasteriis in eadem provincia temporibus Constantini constructis, etc. De tertio puncto denique per hunc modum auctoritas domini devoto ex famulatu ad sanctam concluditur ecclesiam. Rejecto Cham, Sem et Japhet fuerunt ad jus dominandi vocati quia patri debitum praestiterint obsequium, et Jacob quia patri praebuit famulatum: ob hanc causam ante fratrem Esau benedictionem accepit. Haec autem Burgundionum natio a toto aevo fidei et ecclesiae servitiis dedita fuit. Verumtamen cum illa dampnata haeresis Arrianorum fere per orbem igne suo conflagraret inextinguibili, gloriosa sanctae mulieris et reginae Clotidiae proles, cum Clodovaeo parente ad senium declinante, totam Aquitanorum gentem potentia et armis liberavit, illamque reductam ad fidem dominio sibi subegit perpetuo. Fuerat nichillominus paulo post sub Karolo Martello Burgundionum gens opem et adiutorium praestans in strage III<sup>em</sup> paganorum: ad cujus attestationem auctoritate papae decimas Burgundiae militaribus, quas plerique in praesentem adhuc diem possident, largitus est. Nec reticendum quanta subsidia praestiterint incliti Burgundionum principes Karolo Magno in conquestu Lombardico contra Desiderium regem, quorum in devincendis munitionibus in Alpium districtis angustiis et aliis destinatis tanta strages fuerit ut usque in hodiernum diem claustrum Mortalium a morte sic dictum appareat. Quid in conquestu Jherusalem? Quid in repulsa Saracenorum ab Hispaniis? Quid in reductione Saxonum? Quid in conversione Bohemorum sub Ludovico Pio? Certe remanent eis adhuc nostro tempore laudes exsolvendae. Non est praeterea dandum oblivioni de Gerardo Rochillionis, qui toto suo tempore Burgundiones ad gentem paganam a confinibus Hispaniae divellendam pugnatores habuit, ut septimo decimo bello confecto deficeret. Nec cessavit gloriosus ille Burgundionum dux Rodulphus de quo scriptum:

Petra dedit Petro, Petrus dyadema Rodulpho.

Hic rex Ytaliae factus, deinde Francorum, in Senonum civitate quievit. Quid postremo de ducibus tam sub Godefrido duce quam regibus ac ductoribus in transfretando variis vicibus? Habet historia Jherosolimorum frequentes semper illuc euntes aut redeuntes aut morientes, quod pontificalia satis testantur privilegia concessa ducibus et eorum capellae in Divione. Quorum ymitali vestigia, principes incliti ac nuperrime Philippus avus, pater Johannis, et ille Philippus cognomento Bonus, qui ad extirpationem scismatis in Basilea laboravit. Cujus pater Johannes in juventute, relictis uxore, liberis, soloque natali, petens Hungariam, cum ex florenti militia serenissimo rege Sigismundo socio porrexit ad Turchos debellandos, ubi suorum stragem, propriique corporis capturam sustinuisse creditur. Qualem se Philippus Bonus ecclesiae defensorem exhibuit usque Jherusalem civitatem sanctam, inde per colossum et Rhodios ad urbem Romam late per orbem beneficia tensa transeundo patuere. Postremo quartus hic parvulus Philippus quantus futurus sit restat attendere, in quem conspiratorum servorum manus ad rapiendum levabantur hiis diebus et qui, ut praevalere nequibant, paravere per alios id posse perpetrari in perpetuum domus exitium satis utique res ad effectum perducere videbatur, dum machinis bellicis domus quae circumstant motam ubi parvulus observabatur, Francorum ductor munire coeperat, ut in ea parte qua patuit via succurrendi, cum facinus perpetrari debuerat, prae tractibus serpentinarum crebrius iteratis nullus attemptaret ascendere. Sed haec et alia Mathiae Speuyaert innotuere, quem de simplici dicto mercatore, militari cingere baltheo non dedignatus est archidux Austriae. Qui, dum Gandavum peteret, praemisit dominum Anthonium, bastardum Burgundiae, cujus filius Philippus, dominus de Bevere, Brugis primogenitam filiam domini de Vere duxerat uxorem a Philippo de Ravesteyn alias repetitam, et hic dominus Anthonius ad ligam tumultuantes animos libenter traxisset ne super adventu archiducis aut alteratione legislatorum oppidi cives turbarentur. Quod cum archidux consideraret prudenti prout coeperat usus consilio, praecarissimo filio de Gandavo Teneraemondae translato, suos ad Francorum regem nuntios direxit, sciscitans an de scitu consensuque suo cuncta fuissent proposita. Nec heraldo ejus rursus referente fecit archi-

dux deliberari scutiferum regis et magistrum hospitii comitis de Rommont qui una cum Philippo des Quordes Parisius ad regem super agendis vocatus a rege fuerat, ubi parlamentum ejus, cum hiis qui convenerant, multa decrevit, de quibus apud posteros dabitur notitia certior. Generaliter enim ea dumtaxat scriptor notat quae vel vidit vel a veridicis audivit suis diebus in Flandria fieri : quo fit ut merito debeant scripta ipsius aliquantulum excusari, quemadmodum humiliter et pluries ut monachus requisivit cui non competat secularia gesta describere. Sed quoniam stupenda gesta cotidie fieri scriptor audivit Dunis in porta priori cujus curam reverendus in Christo pater dompnus abbas Johannes eidem scriptori commiserat, ab hiis quae veraciter referebantur acta non continuit scriptis commendare. Multa enim et enormia continuit quorundam confessio, tam Gandavi quam Brugis obtruncatorum, ut nonnulli dicerent dominum Ludovicum de Gruuthuze reum ac culpabilem fuisse nedum mortis Adolphi ducis Clivensis ante Tornacum, verum etiam talia fabricasse per quae primum obiit illustrissima genitrix Maria ducissa, ac ejus tandem filius supramemoratus in mortem perducendus haberetur. Hinc apud Vilvoordam exilio relegatus est. Commotis civibus Gandavi quod contra conductum archidux in armis intrasset cum feroci gente sua, quae per domos vicissim collocata vix libertatem inhabitantibus tribuit, unde quibusdam captis et vi per consocios extractis a carceribus, non sine civium furiosiore concursu clamantium ad interitum exterorum et vallare archiducem cum filio bellicis instrumentis praesumentium, non stetit absque periculo dicti archiducis querelam sedare cupientis per viam justitiae, quin ultra cives noctu in arma ruentes occuparent solitum conveniendi locum, et ex adverso populus dicti archiducis in arma contractus parabat nedum eruentis invadere manibus, sed incendere villam, penitusque radere et evacuare, nisi consilio mutato, obstetissent humanitas archiducis et humilitas illustrissimae ducissae relictae ducis Karoli, qui cum legiferis oppidi fecit archiducem, civibus jam a rebellionem descendentes in proprias domos, gentem suam ad partem retrahere. Filio igitur cum dicta ducissa domina Margareta de Iorck publice per vicos versus Teneraemondam misso, remansit archidux in oppido penes se servato suorum exercitu retro motam ponte constructo ne de cetero vagarent aut vim inferrent incolis. Oppidanis paucissimis proinde morti datis, omnes incensores rebellionis

initae relegavit xxii junii, novis per eundem archiducem electoribus deputatis, qui ceteros instituendos eligerent ad scabinatus admissionem, creatis supremo ballivo domino Jacobo de Ghistella, subballivo Johanne de Pottelberghe, etc. Nomina bannitorum, ut eadem die qua supra pronuntiabantur, haec sunt : Livinus Brixis, Michael Candelifex, Jacobus de Wilde, Johannes Lachengoen, magister Johannes de Palude, Balduinus de Rosario, Judocus de Horreo, Jacobus Heyman, Johannes Broukaert, Ludovicus Bave, Anthonius Colpaert, Johannes Neerinc, Livinus Moor, Balduinus Fabri, Martinus de Bunerio, Pascasius Minnaert, Johannes de Bru, Livinus Sceppins, Paulus Martelli, Livinus Marteel, Petrus Clincke, Laurentius Coci, Johannes Thomae, Johannes Spillegoen, Oste Meskin, Livinus Praetbackere, Johannes de Roma, Johannes Vlamingi, Symon de Clinga senior, Ægidius de Heeda, Petrus Rommelius, Mathaeus de Loo, Ægidius de Buc, junior, Henricus de Balliolo, Johannes de Commere, faber, Judocus de Longo-Ponte, Petrus Cousin, Johannes filius Philippi de Fossa, Judocus de Haga, Livinus Hauwe et accusati per eos in alio die. Petit insuper archidux restitui sibi cuncta bellica instrumenta tam oppidi quam oppidanorum cum aliis conditionibus in contractu contentis hujusmodi accordationis, ut alibi declaratum habetur ad longum. Accessit calamitas alia priusquam archidux exiret Gandavum, ut quidam ex Almannis mortem Willelmi de Arenberghe imputantes domino de Montingny, strictis gladiis, Hannonienses secum exeuntes invaderent, nonnullis utrinque caesis; et idcirco, tum occasione tali, tum ambassiatorum adventu regis, archidux visitato filio se transferre voluit ad Alostum, ubi denuo partes impetere mutuo se non omiserunt. Quapropter relegatis Almanis, quidam ad Lotharingiam, quidam ad Leodium sese diverterunt, ubi dominus Everardus, frater Willelmi de Arenberga, cum tertio fratre suo Roberto contracta liga guerrari coepit, et dicebatur quod Renatus dux Lotharingiae cum Francis illuc aciem suae converterat intentionis cum Crevecuer: praevenit tamen eos populus archiducis sub fratre episcopi Leodiensis, domino de Montingny. Denique Bruxellis cum filio suo se movit archidux, et venit Lovanium in principio mensis augusti. Hinc suorum consilio missi sunt ad Leodienses Henricus, Dei gratia Cameracensis episcopus, Johannes, abbas Sancti-Bertini, et alii seculares ut tractarent de concordia. Sed civitas Leodiensis Everardum intromisit, unde turbati nuntii redierunt ad archi-

ducem Lovanii, ubi filium suum adduxerat. Ascendit autem dux cum suis ad villam Sancti-Trudonis, ubi et intronissus suos vagare permisit, induciis stantibus ad loquendum de pace; sed fratres Willelmi de Arenbergis interim eos invasere, caesis non paucis Alemannis et Hannoniensibus de exercitu archiducis, qui pacem sperans fuit frustratus hac via. Dicitur verum quod, ut plures infelix hostis illi laqueos tetendit, hucusque tot administravit triumphos. Utinam considerent homines qualis pax sit, quae pulchritudine formae regna servat, civitates dissolutas dirutasque domos restaurat, villas reformat et auget, terras quoque colit incultas, incrementum affert et ad felicitatem omnia pervenire facit, sine qua nichil rectum, nichil ornatum esse potest! Quid Trojanam latos habentem vicos urbem, quid murum Babilonicum sacramque Hierosolimam diruit? Nonne pugna paci contraria? Quid omne genus Judeorum captivum ad Assyrios duxit? Nonne hoc idem ipsum eorum imperium orbis maximum evertit? Non Persarum, non Graecorum, non Romanorum aut Ytalorum adhuc integrae civitates propterea concernuntur? Quo pacto nuper instigavit hiis Leodiensibus ille pacis hostis dyabolus, non solum corpora, sed animas devorare cupiens, morsu suo duplici, ut currentibus annis memores cladis acceptae, nec in alterutros absque pace valeant convivere, non obstante quod in hanc aetatem constet eos miseriis intollerabilibus subjacuisse? Puto quod obscura quaedam nube obtecti, quamdam ad invicem controversiam parare contenderint, ne solutio arreragiorum debitorum ab altera partium prorogata congruum sortiretur effectum, et nullam rectam firmamque credere opinionem eorum quibus altera partium firmaretur aut utriusque suas inspicere sententias et ad magnum aliquod pacis bonum velle non advertere, quotquot optimum, quotquot excellens in mente sapiam, arte vel alta quavis esset doctrina intelligendum. Praedicatus est aliter hiis novissimis diebus memorabilis ille dominus Mathias Speuyaert, ex cive simplici miles ab archiduce creatus, archidecanus oppidi Gandavensis, qui dudum certamen civium, cum ejusdem archidecanatus fungeretur officio tempore metuendissimi ducis Burgundiae Karoli, sedasset vix mensibus binis exactis, terribiliorem motionem civium adversus serenissimum archiducem in facie propositam laudato fini dare studuit propter unionem qua tanto ardore pacis animos omnium traxerit, ut ubi caedes innumera civium aut oppidi totius incendium expectaretur, paucissimi sanguinis evenerit emissio. Quapropter, si condignam

suis demeritis poenam exsolverit ille tyrannicus princeps Guillelmus, non debuit ejus defendisse malitiam suae cognationis posteritas aut, quod pejus est, fautores aliquos admisisse. Nam illico serenissimus archidux adunato exercitu rebelles compescuit et ad veniam incolas terrae coegit postulandam, datis ad persolvendum terminis super omnibus arreragiis, litteris certificatoriis et confirmatoriis pacis utrinque susceptis. Hæc XIX<sup>a</sup> augusti anno LXXXIV<sup>o</sup> retulerunt nobiles atque potentes domini in vigilia beati Bernardi pransi cum coadjutore Dunensi, in camera dompni Johannis abbatis, e converso assumpti ad commissariatibus Flandriae beneficium, Anthonius bastardus Burgundiae, comes Rochensis, Wulfrannus, dominus de Vere, comes de Broucham, et Philippus de Bevere, filius dicti domini Anthonii, generalis Flandriae capitaneus, villarum de Brugis et de Sancto-Oudomaro gubernator, qui filiam primogenitam dicti domini de Vere nuper Brugis desponsaverat, et secum adduxit socerum, praemissis filiabus multum secrete versus villam Sancti-Oudomari, eo quod necdum plene earum pater reconciliatus esset archiduci, qui regi Franciae, uti praedicti domini confessi sunt, apud Cameracum diem assignavit ad conveniendum super cunctis adhuc indecise dependentibus VII<sup>a</sup> septembris. Interea cum ardua res incumberet, descendit in Malum Trajectum archidux, ubi disposuit tractaturus cum foretanis Alemanis de negotiis hereditatis filii sui ad salutem et omne bonum pacis: siquidem pax risus mentis, pax est pincerna salutis, et illud Yzayae quoque cupiens prosecui, quatenus pariformiter subditi pacati gauderent unanimiter: « Sedebit populus meus in pulchritudine pacis » XXXII<sup>o</sup> capitulo, sive dicatur de pectoris aut temporis pace, quae sunt necessitates vitae hujus juxta illud: « O quam difficiles » sunt sine pace dies! » sive de pace aeterna, quam se daturum omnibus in eum credentibus repromisit Dominus Noster Jhesus Christus, Dei verus et unicus filius, de quo canit Ecclesia: « Hodie nobis de coelo pax vera » descendit increata et incomprehensibilis. » Qualitercunque suscipiatur, expedit omnimodis de pace pectoris atque temporis nos semper ad pacem intendamus aeternitatis. Ratione cujus archidux dominum de Gruuthuze, principem de Steenhuza, retinuit in vinculis, et Johannem de Nova-Curia relegari fecit, servato adhuc Ludovico Steyl Brugis in captivitate, qui non obstante somma VII<sup>m</sup> coronarum oblata in emendam, paulo post capite plexus est.

xxiii<sup>a</sup> augusti, dompnus Philippus, abbas Sancti-Petri Gandensis ab archiduce deputatus, renovavit consiliarios de magno et minore consilio, quorum praesidens magister Paulus de Baenst, post quem Jacobus de Donze; Livinus ex Curia, Judocus Beyzel, commissarii eorundem; Oudemarus Clayssone, procurator generalis; magister Franciscus de Keytulla, magister Petrus de Walle, Rolandus de Mont, magister Jacobus de Smitere, magister Judocus Boelin, magister Bartholomeus de Massenme, etc. Deinde, tam Gandavi quam Brugis et alibi sonitu tubae citabantur omnes qui de liga legiferorum rebellium fuerant, responsuri super articulis coram archiduce proponendis; plures itaque relegati fuerunt timore non compariendi, qui, si comparuissent, pecuniaria poena multari potuissent emenda. Voluit enim communitas per eosdem rebelles reparari castrum domini de Dudzella, per quos decretum erat dirui. Verum tamen cum apud Tornacum Johannes Keyt fuga salutem quaesivisset, qui totam rebellionis materiam in Johannem de Rietbeke retorsit, et octingentis libris grossorum monetae Flandriae veniam meruisset, precibus domini Philippi de Ravesteyn cui fuit ascriptus ab archiduce, lex Brugensis noviter instituta nichillominus ipsum cum aliis expressis nominibus publice proscripsit L annis. De novis stupendis Angliae constat comitem de Richemont cum Francigenis transfretasse et bello Richardum regem Angliae dejecisse, quem sui, sicut fertur, insidiatores morti tradiderunt, in quo sanguis Iorkeensium periit, et juxta proloctionem iterum sanguis secundi Richardi, occisi anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> II<sup>o</sup>, coronam resumpsit, post annos LXXXIII, quibus quinque reges praefuerant intermedii de sanguine Henricidarum et Eboracensium. Ultima mensis augusti Dunis totius Flandriae commissarii recepti fuere, scilicet dompnus praelatus ejusdem loci, Daniel de Moerkerke, Petrus Langhals et dominus de Huutkerke, Karolus nomine, per quos ex novitate dictum extitit ut si dominus Henricus, Cameracensis episcopus, transferri posset ad sedem Leodiensem, et Leodiensis episcopus, dominus Johannes de Hoorne commutaret, statim pax haberetur inter archiducem et Leodienses, quorum capitaneus Everardus, frater Guillelmi, cum fratre suo Roberto de Aremberga nuper ex castro de Soelx irruptiones fecit ad intercessionem aliquorum qui vallaverant eum, et ferunt ei fuisse missos per Philippum des Quordes auxilarios. Interea naves comitis Sancti-Pauli domini de Rommont mare tenebant et demptis piscatoribus de Duunkerke ceteros



invaserunt; alii dixerunt regem Franciae misisse navigia ad Angliam, ubi, propter controversias partialitatum regni, non omnia poterant admitti, et ideo repetitis oris Flandriae, donec paramenta bellica ablata per Flamingos resignarentur, infestum mare tenere. Rex Franciae, deputatis negotiis cum archiduce socero suo, dominis de parlamento commisit onus tractandi, versus Aurelianis iter cum m<sup>o</sup> lanceis arripiens eo quod ducem Aurelianensem ligam cum aliis contra ipsum regem suspicaretur contraxisse. Quod procul dubio fecit idem dux indignatus quod ad nuptum sororis regis dominus de Bellojoco una cum duce Lotharingiae et Philippo de Crevecuer regni gubernacula disponent, et comiti de Richemont praestiterant favorem perveniendi ad coronam Angliae, ceterum quod dux Lotharingiae, prima conjuge sua filia comitis de Tanquarville repulsa, sororem Karoli juvenis ducis Ghelriae superinduxerat, necnon contra archiducem Austriae tulisset arma, etc. Hiis et aliis provocatus incitamentis dux Aurelianensis ligam cum archiduce petiit ad se vindicandum supra gubernatores regni: quod, ut dux Borboni prospexisset, a curia regis subtraxit se. Rex autem amisit Blesium; non longe ab Aurelianis insidias passus est convenientibus in campo ducibus Aurelianensi, Britaniae, Alenconiae et ceteris de sanguine regio, quibus se immiscuit dominus de Arguel. Interim Londoniae comes de Richemont intronisatur, in quo non contenti Calisienses scripserunt archiduci potius sese sibi dedituros quam admissurum ea conditione comitem uti dicebatur. Verumptamen alio modo dicendi significarunt seculares Dunenses confratres et collegae Christianus et Johannes, tubae sonitu Parisius in ipsa vigilia Beatissimae Virginis, dum ejus gloriosa nativitas recolenda esset, omnes ad arma convolandos ut de manibus conjuratorum rex liberaretur Aurelianis obsessus, amisso ductore exercitus domino Claudio de Vauldre qui cum non paucis Alemannis occubuerat in campis. Quid autem veritatis contineat haec significatio missum facere scriptor maluit ad oras soli proprii tuendas aciem mentis suae potius dirigendo. Circa xx<sup>um</sup> enim septembris, dominus Philippus de Burgundia dominam de Vere matrem conthoralis suae, dum aegrotantem a villa de Brugis usque ad opidum Oudeburgensem duxisset, illa tenerem ibi spiritum exalavit, et funus ad villam Sancti-Oudomari productum, celebratis exequiis, in Claramarisco fuit inhumatum; erat enim filia comitis de Montpensier. Paulo post archidux, relictis Leodiensibus, exercitum in Lotharingiam misit et

ipse descendit ad filium suum, quem de Lovanio per Machliniam duxit in Antwerpiam ad nundinas inspectandas, ubi denuo de Leodiensibus et de Lotharingiis talia suscepit, ut ad eum iter maturaret episcopus Leodiensis fugatus. Interea adduxit comes de Rommont plures naves apud Welravenshidam, ut uxorem suam aveheret et una applicuit ad arenam juxta Dunis piscatoriam naviculam cum pertinentiis capiens. v<sup>ta</sup> octobris, reverendus in Christo pater episcopus Heliensis, referendarius sanctissimi nostri papae Innocentii Octavi, per Dunensem monasterium iter ad Angliam faciens, dum Calisiam ingressus esset, mortem audivit comitis de Richefont, nuper instituti regis cum nonnullis baronibus subito pestifera confectione sublatis, aliis contrarium asserentibus. De successore vero novi regis non parva contentio suborta est acclamantibus nonnullis esse verum regem filium ducis Clarentiae, juvenem egregium interneconi quae a Richardo rege avunculo suo exercebatur subtractum; sed quicquam actum sit scriptor hujusmodi necdum de morte novi regis audivit. Interim capitaneus villae Calisiensis obedientiae novi regis contradicere quaerens, ad archiducem Austriae venit; cum quo contracta liga praeclarum seditionis obstaculum posuit ne Franci vel Angli pertransirent ad vagandum, ut consueverant, piratico exercitio cum Flamingis inchoato, qui verumtamen ex condicto liberos certificarunt Hispanos, Portugalos, Britones et solos mercatores Londonienses. Retraxere se continuo naves Francorum, amissis nonnullis, et ad unionem principes regni regi confoederantur, eo quod Leodienses unacum Lotharingis bellum archiduci parassent, in quos praemisit archidux dominum de Montigny cum fere vi<sup>m</sup> armatorum. Inhorruerat enim solito magis mensis october tempestis, flatibus et inundatione pluviarum, et ideo sese archidux in monasterio Sancti-Michaelis apud Antwerpiae opidum percunctando continuit ad conventionem quae per Rhenanos in Gbelria fiebat, non anhelans. Tot enim aderant quotidie legationes et diversorum regum atque principum nuntii, ut consultius standum quam pergendum dignum duceret. Filium vero juvenem principem de Lovanio transtulit ad Montes Hannoniae sub tutiori custodia, in principio mensis novembris. Cameraci dieta servari coepit inter Regales et Australes propter media pacis, et eodem tempore in Anglia rex novus Henricus, comes de Richefont, duxit filiam Edwardi quondam regis Angliae, una et eadem die corona regni novaque regina uxore dotatus. Contra quem dux de Noortfolek surrexit. Item in ejusdem mensis initio,

relieta Antwerpia, archidux versus Ghelriam iter accepit cum m<sup>o</sup> lanceis, et illic multa determinata fuere qualiter infans et haeres indubitatus Karolus ducatu Ghelriae praeficeretur. Interim apud Wirtembergam imperator, ut dicebatur, descendebat ut cum filio suo archiduce tractaret a facie regis Ungariae declinando, qui magnas civitates eidem satis miraculose bello subtraxerat, contra quem regem imperator Tartarorum quosdam principes invitaverat, etc. Relictis Ghelrensibus igitur a quibus archidux aureorum florenorum c millia recepturus erat, revocavit armatam suam ex Lotharingia pro magna parte jam spoliata, quatenus ob parlamentum Cameracense rex inclinaretur ad pacem firmandam, mediante resignatione filiae dicti archiducis, pro qua sororem suam connubio regi statuit copulandam. Qua in re non parvos labores assumpsere domini Anthonius de Borgondia et Philippus, filius domini Adolphi de Ravesteyn; et, haec dum fierent, munivit archidux loca quaedam contra cursus Arenbergensium. Ubi autem partes ambae convenissent, apertis petitionibus, ut iterato convenirent praefixa die concluderunt. Nam si pars regalis multa, pars australis non minora repetiit; sic infecta res relieta est, et archidux contracto foedere cum novo rege Angliae, nobiles suos ad se vocavit apud Aquisgranum, ut paratis vi<sup>o</sup> aut ultra lanceis, usque Franfordiam ascenderet, sumpturus coronam illic super regno Romanorum. Eisdem diebus, quia Franci piratici super Venetianos naves spoliassent, illi, legatis missis ad archiducem pro duobus annis stipendia m<sup>m</sup> armigerorum polliciti sunt in vindictam Francorum, rogantes ut bellum in eos continuare vellet. Haec rumor erat talis, sed de veritate scriptor, sicut et multorum, ambiguus determinare nil certi potuit, ex ore tamen secretarii domini Wlfranni de Veris, doctoris sacrae paginae, missi per archiducem pro filia dicti domini secundo-genita copulanda comiti de Polem legaliter xxvi<sup>a</sup> decembris Dunis recepti. Patuit contrarium, eum de pace cum rege Francia curiales austrasii sibi non sine causa certificaverant veraciter referenda. Tum quia dieta principum Germaniae propter domorum quarundam disceptationem, primum apud Werttembergam, deinde Franfordiae posita, super resignatione majestatis imperialis annullata fuerat, tum ob guerras imperatori motas a rege Ungariae qui se contra jus querebatur invasum superiori anno, dum Bossenae regnum conquestari decreverat, et ab ipso imperatore impetum hostiliter, ad ejus requestam electores dietas statuerant observare, primo in Wirtemberg, deinde

Francfordiae, tandem Coloniae, ad quam per Aquisgranum archidux ascendit cum nonnullis conscriptis nobilibus. Cumque sacri natalis Salvatoris nostri dies adesset, imperator Coloniae moram per paucis traxit diebus repetens cum filio suo duce Maximiliano Francfordiam, quam pro ingressu eorum interim palatinus Reni servabat unacum aliis electoribus imperii. Quibus convenientibus post relationem plurimam ipse dux Maximilianus concorditer electus est rex Romanorum et Sacri successor Imperii non obstantibus aemulis: quae quidem omnia Brugis ad sonum campanae publicata populo fuere, fortasse ut in fide contineretur a qua Gandenses pene proposuerant recedere, nisi detecta fraus quorundam fuisset. Hinc captivus dominus Adrianus de Rassegheem apud Insulam et ad examen ductus in Vilvordam, detentus est Gandavo; genitrix ejus cum nonnullis, domina de Calckene relegatur, fuitque decollatus miser quidem fingens se esse quod non erat cum consentaneo suo producente vexillum sub titulo: *Parate viam Domini*, etc. Brugis etiam decollatus est filius Colardi Tierin, qui Colardus pro emenda villae Brugis persolvit vi<sup>c</sup> libras grossorum. Brugis relegatur dominus Johannes de Nova-Curia, Johannes Reit, etc., cujus filius apud Vilvordam observabatur, etc. Dux Lotharingiae Renuus, Katherinam de Ghelria contra parentum voluntatem tenens, patriam fere perdidit; in ejus conquestu Martinus de Zwarte mala plurima fertur perpetrasse cum aliis adhaerentibus Austrasiis. Descenderant a Colonia dompnus Johannes, abbas Sancti-Bertini, et dominus Oliverus de Marka, quos tandiu captivos stipendiarii ducis Austriae tenere praesumpserant quousque de areragiis suis ex integro essent soluti. Arenbergenses colligati de novo cum Leodiensibus, postquam pene patriam episcopi eorum spoliassent; principalis villa comitatus de Horne, ut indemnus remaneret, xviii<sup>m</sup> florenorum dicitur optulisse. Mox praefati Arenbergenses, Hasselt et villam Sancti-Trudonis receperunt cum Tungra; sed Huyum relinquere defensatum. Sed fortior insultatio coepit exerceri, validissimo turbine post diluvialem aquae fluxum e caelo cadente, qui turbo nedum turres aut aedes altas solo adaequavit, sed hominibus atque bestiis exitialis fuit et robora sive truncos evulsit, plurimas mercatorias naves immersit aggeresque confregit. Egressus quoque Sequana limites proprios, ingentes pontes et arva cum segetibus involvit ut eo sic diffuso vastasse crederetur Parisiense solum. Scriptor autem prodigium evenisse cum illis contestari parabat, qui de magnis majora posteris sunt allaturi. Cui

scriptori versus australem plagam jaculum ruere coelum videbatur flammatum disparilis coloris, etc. Quo facto, Francfordiam dux Maximilianus, paterna simul et benevolentium assistentia contra quoscunque principes imperium ambientes fortificavit et nonnullis adversantibus sibi comminatus est; ex quibus Lotharingorum dux inter alios sese proposuit cum Francigenis. Tunc in gratiam dominus Jacobus de Saboudia, comes Rommondi ac Sancti-Pauli, per interloquios acceptus est, ex conducto quod Philippus de Ravesteyn, cum domicella Francisca sorore ac comitissa Sancti-Pauli, si absque prole praefati domini de Rommant decederet, in eodem comitatu succederet, et nichillominus pro dote praefatae domicellae quoad viveret, dictus vir ejus dominus Philippus annua pensione XII<sup>m</sup> super hereditariis gauderet bonis, quae levaret de bonis in comitatu Flandriae, consentiente avunculo comitissae, domino Anthonio de Lucemburgo, comite Rousyaci, etc. Haec mense februario anno M<sup>o</sup>CCCC<sup>o</sup>LXXXV<sup>to</sup> facta fuerunt, quo Henricus, rex Angliae, pacem publicari fecit cum regibus et principibus totius orbis Christianitatis ac in terram sanctam proficisci mandavit regni sui adversarios et sibi dudum rebelles, nulla inflicta poena quam cauterio crucis in pectore, notatos pro signo, captivis utrinque commutative Francis et Anglis deliberatis. Mense vero martio quo Paschae dies finaliter illucesceret, serenissimi Francorum regis Karoli VIII nuntii detinentur, nec revertantur cito; verum quod in mandatis retulerint, scriptorem latuit; voluerunt nichillominus dicere quidam, eos fore missos in dolo cum signaturis regis Franciae quatinus coronatio ducis in regem Romanorum et imperatorem Almanorum impediretur. Non fuit tamen omissa solempnitas coronationis ejusdem. Qua audita re, rex aut ejus consilarii proposuerunt oras defendere Burgundorum et Arthesiorum. Burgundiam enim Suctones invasuros se polliciti sunt pro parte dicti ducis jam regis Romanorum. Arthesiis vero rex mandavit ne victualia Flandriis et Hannoniis ministrarent. Et, ne diu morari Franci ab incursibus viderentur, simulatorie duci Lotharingiae tulerunt opem, ingressi patriam Leodiensem ut cum Arenbergensibus in absentia ducis patrias circumquaque, scilicet Brabantiam, Lemburgiam, Lucemburgiam, Namureum et Hannoniam bellis denuo fatigarent. Adversum quos Johannes electus episcopus Leodiensis cum Brabantinis vastare coepit subditorum suorum arva, frequentibus incursibus usque ad civitatem Leodii fortunae se committens ut intromitteretur; sed erant Arenbergenses

fortiter obsistentes, quapropter nonnullos ex suis capitaneis Maximilianus archidux episcopo destinavit, guerras publicas ipsis insinuans, etc.

xiii<sup>a</sup> januarii ingressus ad Fredericum III<sup>m</sup> et ejus filium apud Francfordiam infra scriptorum habetur : primo Arnoldus dux Saxonum cum filiis suis ducibus, Henrico de Brunswyck et Johanne de Saxonia; item Albertus frater Arnoldi, reverendus in Christo pater Johannes Wissenbach, episcopus Misensis, comes Stollenborch, Carolus dux Ghelriae, Johannes comes Ousteyn, comes Quarworch, comes Waldue, comes Voendrof, et nobiles Alberti ducis Brandenburgis, comes Georgius de Sora, camerarius imperii, comes Johannes de Casterle, pincerna, comes de Soltern, cum duobus filiis, comes Fredericus de Kasterle. Item ultima januarii Bertoldus de Binnesberga archiepiscopus Maguntiae, elector imperii et cancellarius Almaniae, cui occurrerunt comes Otto de Huneberga et ejus filius Georgius, commendator, abbas Volt, comes Johannes de Wertem, et comes de Solmis. Item cum Frederico imperatore et ejus filio occurrerunt Christophorus, marchio de Baden, Albertus, marchio, frater ejus, Hugo comes Werdenborch, Carolus dux de Ghelria, Henricus episcopus Cameracensis, Lucas episcopus Cybenicensis legatus, Adolphus comes Nassau, comes Fridericus de Bits, cum fratre suo, comes Everwin de Berthen, Fredericus comes Sore cum fratre suo, comes Everwin de Steuppaert, comes de Lichtesteyn, dominus Cornelius de Bergis, dominus Fredericus de Yselsteyn, dominus Johannes Brabanson, dominus de Lenneyo, frater domini de Bossuut, dominus Ludovicus Baenst de Muda, Philippus Bastardus et dominus Johannes de Harsele, reverendus in Christo dominus Johannes de Werdenborch, comes et episcopus Austerborgensis, dominus Georgius Alsbergh, dominus Huldericus de Frimberch, nuntii Sigismondi ducis Austriae, avunculi ducis Maximiliani, fratris imperatoris. Item prima februarii Fredericus marchio de Baden prothonotarius, comes Johannes de Assauwe, comes Bernardus Solemis, comes de Bits, comes Bernardus de Liewic cum filio, comes de Manderseap cum filio, Fredericus comes de Weer cum filio, comes Rinensis, Jacobus, Johannes comes de Liemeghen, Johannes comes de Wisteyn.

Altera februarii fuit imperator Fredericus et filius ejus archidux audiens missam apud Francfordiam, quam cantavit episcopus Cameracensis et per eundem Maguntinensem imperator vero pacem optulit, et iii<sup>a</sup> die lantgravius

Escensis, archiepiscopus Treverensis, elector et cancellarius Lombardorum, ingressus est sero cum infra notatis dominis: primus erat Conradus comes Solmensis, comes de Wirtemberch, comes de Miris alias Muers et ceteri. Quarta februarii intravit lantgravius Guillelmus de Eschia, deinde comes de Catsenelleboghe tutor Escensium. Quinta combustae sunt tres domus et circiter xvi equi; propter quod incendium non pauci ad arma ruebant. Eadem die Philippus dux Bavariae, palatinus, ingressus est, dapifer imperii, cum v<sup>e</sup> equis et hiis sequentibus: primo erat dux Jaspas filius ducis Bavariae Ludovici, dux Johannes de Bavaria, cum filio suo Frederico. Item dominus Johannes de Talborch episcopus Wormacensis. Sexta die auditi sunt nuntii regis Francorum et ducis Lotharingae, et erat Willelmus de Henricuria episcopus Verdunensis alias Henricus. Item Philippus comes de Luneghem et comes Nicolaus de Salvaerden. Aderant etiam officialis Leodiensis ex parte Johannis comitis de Hoorne, et magister Symon, nuntius marchionis Ferrariensis. De petitionibus aut eorum responsis scriptor transiit per ignorantiam. Undecima februarii convenerunt omnes electores apud imperatorem et ejus filium, cui consentientibus cunctis electoribus, pater filio coronam regni Romanorum imposuit. Post concilium eorundem exivit episcopus Coloniensis, post quem palatinus, deinde dux Albertus Saxoniae, post quem marchio Badensis, qui insinuarunt juxta koram electorum se testes fuisse electionis ducis Maximiliani in regem Romanorum. Celebratis aliis cerimoniais requisitis et orationibus finitis in devotione communicaverunt electores xii<sup>a</sup> et xiii<sup>a</sup> diebus, sed xiiii<sup>a</sup> februarii publice coronatus in foro fuit, sedente patre suo Frederico in sede majestatis cum infula sive cappa et gladio atque corona imperiali, tenente sceptrum sinistra, valoris aut aestimationis iii<sup>em</sup> ducatorum asstantibus electoribus in suis ornamentis et almutiis, quorum primus archiepiscopus Maguntiae cum vexillo proprio, post quem palatinus, deinde dux de Bruynswijk, episcopus Wormatiae et ceteri qui, genibus flexis, infcodati fuerunt. Quo facto, xv<sup>a</sup> februarii iterum in concilium sese receperunt electores, et xvi<sup>a</sup> venit in ordine imperator cum filio suo rege Maximiliano, quem cum statu suo sequebantur electores ad majorem ecclesiam. Ad dextram altaris audiendo missam imperator sedit et palatinus, postea rex Maximilianus. Ad sinistram in choro similiter tres sedes pro archiepiscopo Coloniensi, duce Saxoniae et marchione Brandenburgensi. Archiepiscopus

Treverensis in sede solus sedebat, missam dicente archiepiscopo Maguntiae de Sancto Spiritu. Qua finita, cum imperatore electores omnes se ante altare prosternebant, quousque finisset orationem archiepiscopus Maguntinus, et, mox super altare rege Romanorum elevato, imperator ejus genitor cruce super eum facta rediit ad sedile suum, incipientibus aliis *Te Deum laudamus*. Hoc cantico dicto coeperunt eum electores devestire et reinduere regalibus ornamentis, imposita desuper cappa miricea herminis pellibus intus duplicata, rubeum vero biretum foderatum ample satis supra caput ponebatur, et sic statuerunt eum ante patrem suum, supra cujus sedile deputatus unus lector longam de kora fecit lectionem; postea per ordinem excundo dux Saxoniae ante imperatorem ensem et pomum palatinus cum sceptro gestabat, donec hospitio suo redditus erat imperator; ceteri nobiles comitati sunt. Dum haec fierent apud Coloniam, profecti pacifice suscipiuntur filius Willelmi de Arenberga et dominus Everardus de Arenberga. Convocatio regalium et Australium a XIII<sup>a</sup> martii Cameraci observatur ut pacis conclusio firmaretur. Verum, antequam Australes aperirent regis Romanorum tutoris Philippi ducis filii sui petitionem, dixerunt in mandatis habere, quamdiu dux Lotharingae comprehenderetur aut alii transgressores in contractu fiendo, se nulla fore deliberandi aliquid fultos auctoritate. Sic legationes frequentatae sunt inter partes. Rhodii milites ab anno M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> VIII<sup>o</sup> defecerant a Sarracenis, et eorum religio credita beato Johanni sub regula beati Augustini proficere coeperat prout longe lateque patere potest; sed paulo ante hos dies Soldanus, Ægypti dominus, grandi navium apparatu biennio eos vexare coepit, ita quod multo majora religio perdiderit quam dampna intulerit. Turci mox imperio aucto quatuor vicibus eisdem licet suo dampno expugnaverunt; ultima tamen vice anno Domini M<sup>o</sup>CCCC<sup>o</sup>LXXX<sup>o</sup>, cum Mahumetus imperia duo regnaque XII et alios potentatus maximos subegisset, penitus ad destructionem Rhodiorum militum destinavit, instructa classe c velorum, cui Bassam Gracculum, virum exercitatissimum armis, praefecit, et c<sup>m</sup> virorum cum ingentibus armamentis machinarum stationem maximo cum tumultu firmavit sub muris, ubi per LXXXIX dies prosequabatur indefesse milites et eorum munitiones. Sed divino auxilio et solertia Petri Bombosci, Galli, militum magistri, cum ultimo impetu moenia Turchi conscendissent ad XL<sup>m</sup> armatorum, in conflictu militum, signo Christi et Beatae Virginis Mariae ac sancti



Johannis Baptistae Turchi incredibili terrore concussi, urbe relicta, progredi non sunt ausi. Quapropter, fugientibus Turchis, innumerabilis utriusque sexus cecidit ex eis multitudo. Sic Bassa ignominiose, relictis omnibus, fugatus est. Redeuntes autem milites cum praeda, muros et moenia coeperunt instaurare; verum terrae motus multos confestim habitatores absumpsit, et maxima pars urbis cecidit: unde milites ad Castrum Sancti-Petri cognominatum se transtulere, quod munitissimum mox fecerunt et maximo sumptu custodire coeperunt. Ferunt ex captivis esse confessum quod candidissima virgo cum clipeo et hasta in manibus et comes vili obsitus veste quem ingens armatorum sequebatur phalanga, apparuisset: quae visio tantum terruit alios Turchos quod quo sese salvarent ignoraverunt. Modernis autem ut fertur diebus filius Mahumethi Baiioithanus IX, imperator Turchorum, ipsos Rhodianos cotidie vexat; nec est qui succurrat eisdem, quia Ferdinandus rex Neapuliae ac Ceciliae, etc., instantia Johannis Imolarum ducis et comitis Sancti-Jeronimi, filii, ut fertur, Sixti III<sup>ii</sup>, nuper defuncti, totius Ytaliae principes contra Innocentium VIII<sup>um</sup>, successorem Sixti, provocando, ipsam Urbem obsedit, et propter hanc discordiam maxime periclitantur Christiani, boni quoque ecclesiastici viri dolent.

*Pro anno salutis 1486.*

Innocentius VIII<sup>us</sup> ab Ymolarum comite, cui favorem gessit Ferdinandus rex Neapolitanus, obsidetur occasione suae promotionis, quia cardinalis Sancti-Marci, filius Ferdinandi regis, dejectus fuit fraude cardinalis Masticonensis, prout ante mortem suam idem Masticonensis Burgundus confessus est. Cumque cardinalis commode non posset [ingredi] arcem Sancti-Marci, tandem patri suo regi praefato Romanis acriter obsistentibus, qui nudato concilio regem acceperant captis arcibus Sancti-Angeli ac ceteris locis, [dicebant] urbem cedere debere in ditionem ejus et Ungariae regem Mathiam introducere et reddere posse imperium contra regem Romanorum alii quam Maximiliano, filio Frederici III<sup>ii</sup>, apud Francfordiam coronato consensu electorum nuperrime dominica Quasimodo, de qua materia scriptor parum aut pene nichil referre potuit nisi relatu didicisset. Ungariae rex accire sibi studuit Turchos, in adiutorium quorum imperator requisivit consigilla-

tionem omnium nobilium regni Ungariae. Qui convenientes in unum, uno ore et animo se id facturos non posse polliceri responderunt, ne jus quod jure propinquitatis regi Romanorum pertinet de regno Ungariae tolleretur. Rex igitur Romanorum ad expeditionem regni Franciae sese convertens, apud Cameracum indixit conventionem, et festum ordinis III<sup>a</sup> maii tenendum in Bruxella pro dilatione majoris novitatis de Leodiensium submissione voluntaria Machliniae statuitur. Item penultima aprilis apud oppidum Sancti-Audomari migravit Wulfrannus filius Henrici de Veris, comes de Bouchain, de Longa-Villa, dominus Campferae, Duvelandiae, Brouwerportus, etc., cui filia primogenita, nupta domino Philippo de Bevere, successit, secundogenita vero comiti Polano compromissa sub tutela dicti domini Philippi remanente. Hujus Wulfranni filius, natus ex filia regis Scotiae prima conjuge, Lovanii defunctus est: sic ad filias omne patrimonium atque matrimonialia bona cessere. Ceterum permaximae reputationis in curia Serenissimi Maximiliani regis Romanorum, archiducis Austriae, etc., magister Judocus Breysel, magistro Paulo domino de Formizella, Flandriae praesidi, significavit hiis verbis gloriosam praefati regis coronationem: « Judocus » Breysselius clarissimo Flandriae praesidi, domino suo peramplissimo, etc.

» Optimus princeps noster, clarissime praeses, paucis ab hinc mensibus, » Romanorum rex, patri excepta administratione ad vitam, apud Francfor- » diam designatus, hanc in urbem nuper veniens, quod rei christianae » faustum ac felix fiat, quinto ydus aprilis 1<sup>a</sup> dominica Quasimodo octava » Paschae sacramenta iniit. Quibus id cerimoniais, quibus solempnium prae- » cationum votorumque nuncupationibus nobilitatis germanicae, quanta » frequentia jam puto per urbium trivium decantatur. Rarum utique et » magnificum spectaculum. Dum peractis solempnibus imperator parens » rexque filius, humani generis augustissimi vertices, ad palatium remea- » rent, ni coronae proderent, pontifices crederes, sed et in electoribus » qui in veste senatoria regem antecedeabant, ymaginem Pompei aut Ca- » thonis agnosceres. Gratum est vidisse, qua magnificentia, quo splendore » rex omnem comitatum convivio exceperit. Sed multo illud pulcherri- » mum quod in tanto illustrium virorum principumque conventu nichil » erat rege ipso admirabilius, seu animi seu corporis seu fortunae bona » respiceres. Siquidem e tanto numero nemo huic uni poterat vel virtutum » praestantia vel rerum gestarum magnitudine et gloria comparari. Absit

» invidia dicto: haud scio an universos hic unus superaverit, ne dicam  
 » obscuraverit, tanta et adolescens adhuc et deinde vixdum adolescere  
 » desinens tanquam praeclara edidit bello paceque facinora. Facescant  
 » nunc Petrarchae Francisci querimoniae, Romanorum Caesarum igna-  
 » viam deplorantis, et Blondi inclinatio imperii conticescat. Adest ecce  
 » qui, Deo fretus, erecto omnia animo reformabit. In pristino decore rem  
 » christianam restituet. Nam qui Gallorum potentiam bello campestri  
 » straverit, rebellantem Ghelriam armis subegerit, Trajectensium urbem  
 » insignem in deditionem acceperit, Leodiensium insolentiam saepe re-  
 » presserit, Gandavenses stolide libertatem usurpantes primus omnium  
 » sub leges remiserit, diutius ne passurus, credimus, quin Christi Dei blas-  
 » phematores crucifixi, Calvariam Bustique saxum, Oliveti montem, val-  
 » lemque Iudicii ac sanctissima quaeque loca, ubi Deus homo factus est  
 » et in lucem editus, ubi natus vagiit, ut ille ait Franciscus praefatus, ubi  
 » infans reptavit, ubi puer lusit, ubi vir docuit, ubi exanimis jacuit atque  
 » resurrexit, ubi ad inferos descendit, ubi conscendit ad superos, terram  
 » majoribus nostris promissam, nobis debitam et aeternae patrie arram  
 » atque figuram, possideant et christianis ultro insultent. Nam si pro sua  
 » et terrena gloria tanta sit ausus, quid non ausurum crediderim pro com-  
 » muni omnium et aeterna christianorum? Sed ne me longius publicata  
 » protrahat gratulatio, mi clarissime domine et amandissime, vale. Ex  
 » Aquisgrano III<sup>o</sup> ydus aprilis. »

Fuerat dudum Lovanii supramemoratus Judocus scriptoris collega Cas-  
 trensi Pedagogo. Cujus hoc reciprocum breve scriptori paulo post direc-  
 torias missiunculas correspondebat.

« Quod modicitatem meam, religiosorum ornatissime, tuis ita amplificas  
 » litteris, et adeo jam prosa, jam carmine hanc attollis, non laetitia quam  
 » rubore me afficit. Dum te video opinari de me quam sublimiter me vero  
 » praestare posse, nec etiam mediocriter, etsi te pro parente ducerem et  
 » sincerum cognoscerem, ludere crederem, non serio scribere; sed carnales  
 » mei parentes aluere corpus, tu spiritualis animam; illi rem publicam  
 » in terris capescere, tu suades in coelis; quae illi sequenda ducunt, tu  
 » equidem et religiosius multo suggeris contempnenda. Nec inter haec  
 » extrema jactatum tua consolatione etiam absentem destituis quin ad  
 » coelestia semper novis me exhortationibus, novis lectionum contempla-

» tionibus interpellas. Non est hujus temporis de referenda tibi gratia  
 » agere. Plura enim debeo quam ut solvendo nunc fuerim. Mitto quum  
 » ita cogis ineptiarum mearum aut inepta testimonia, ad coelestem ambi-  
 » tum et ad stimulum amoris epylogum cum paucis quae antehac Jacobus  
 » Rothomagensis dictavit de studio et arte bene moriendi. Rationem habe  
 » dum adhuc res integra est et invidiis hominum non exposita, sed tuta  
 » ac tolerabilia tibi cuncta videantur, ne subito praeoccuparis; nam nihil  
 » invitis fas quemquam fidere divis. Vale. »

Agnoscant per haec Dunenses fratres quam non fataliter retinendi, quos  
 prisci societas gignasii copularit, et inter caeteros scriptorem non vulga-  
 tum qualiter dignatus sit excolere vir magnificus, utriusque juris peritis-  
 simus, per quem etsi contra morem geri dicatur, ut res historiarum similes  
 copiantur viventibus personis quibus loquimur, salva tam lectorum quam  
 auditorum omnium benivolentia, nil certius sciri posse fatendum est quam  
 quod vitali monumento peragratur. Hinc in omne testimonium ipse scriptor  
 Dunis posteris ejusdem loci diminutas ineptias suas dedicare voluit ut eas  
 nichilominus sic concessas fraternae dilectionis memores lima politiore  
 juvent.

Eodem mense aprili Parisius frater regis Scotiae, ex improvise lancea  
 capite vulneratus in hastiludio, obiit. Rex Franciae mox condempnavit  
 spectaculum sic ludentium imperpetuum et interdixit.

1486.

Omissis hiis quae tractata Coloniae vel Aquisgrani et alibi sunt, brevitatis  
 causa, Romanorum rex et archidux circa finem maii per Rhenum descen-  
 derat in Hollandiam, et xxix<sup>a</sup> maii per totam Flandriam ejus litterae  
 patentes sonabant de bello contra generum suum regem Franciae prae-  
 parando, sub data diei et anni primi regni sui. Praecesserant jam v vel vi  
 de servitoribus Parvi Zalazart et in Morino se tenuerunt donec ad prae-  
 fixum diem ipse Zalazart adesset cum suis ut clam civitatem illam archi-  
 duci pro filio suo resignaret. Navibus igitur aptatis, quaedam transierunt  
 oras Flandriae, sed in<sup>or</sup> apud Gravelingam ubi jam erant cc ex Calisia  
 Anglici parati, stipe conducti, applicabant. Decima junii, relictis igitur

suis in Gravelinga, Zalazart assumptis paucis mox adiit gubernatores oppidi Sancti-Oudomari pro rebus gerendis consulturus eos, et ad suos reversus fere cum quingentis circiter, xi<sup>a</sup> dicti mensis, hora ii<sup>a</sup> in nocte civitatem cum scalis apportatis ascendit per muros et dumtaxat duobus hominibus obvociferantibus ad portam caesis, per v vel vi horas omnes inhabitantes et hospitatos regales servitores captivos accepit, fecitque mobilia bona, aurum, argentum, vasa, etc., ad se deferri, omnesque captivos in loco uno adesse iussit ut iuramentum praestarent fidelitatis sibi loco domini sui regis Romanorum; nec unus quidem id ausus est denegare, cum mors et vita omnium in ejus staret manibus. Praecepit igitur suis ne quemquam ultra laederent aut gravarent in corpore et bonis suis, et, cum accresceret in diem numerus sociorum, inquisitionem de necessariis ad victum et hiis quae ad conservationem civitatis pertinent diligentissime faciens, totius rei per ordinem nedum vicinis sed ipsi regi Romanorum et aliis absentibus significavit perpetrata. Mox Casseletenses in arma ruentes eidem subvenire parabant, sed ipse Zalazart petiit assistentiam intertenendi seu manutene[n]di fortiter, et cum communitate requisivit ut in necessariis provisio ministraretur: legationibus igitur et decursibus nuntiorum frequentissimis res haec agebantur ad communem omnium salutem. Apud Antwerpiam rex Romanorum inducias vi ebdomadaram omnibus mercatoribus adversae partis dedit. Interim ex Aria et Bethunea Franci cursitantes oppidum interceptum saepius petebant in absentia Philippi de Burgundia, domini de Bevere, cui rex praefatus in villa praefata pro stipendiis, ut in tempore provideret, trecentas libras grossorum fecit dari, assignatis etiam denariis pro domino Daniele de Moorkerke alias de Meruwa, supremo ballivo Flandriae, ut oppidum Bergas Sancti-Winnoci, cujus erat capitaneus, cum Swiceris tutaret ac defenderet, etc. Parabat item et ex portu Slusae classem ipse rex quatenus absque gravamine trajiceret exercitum in Arthesiam et Bolonesiam, quibus in partibus armatorum fragor intonuit ex parte generi sui. Quis igitur effectus rerum inter duos reges de bello provenerit, scriptor aliis id se melius scientibus relinquit, etc. Philippus tamen des Quordes nisus est de manu Zalazart dolo recuperare Morinum, sed res innotuit ipsi Zalazart qui, obruncatis traditoribus, onus custodiendi locum capitaneo Anglicorum committens, clam exivit ut quid agendum esset a rege Romanorum referre sociis posset. Quod dum ageret, qui dolo non

valuit, armis temptavit obsidere Morinum, et denuo multis ex jactu lapidum et manu caesis de suis, Philippus retrocessit, amissis tribus aut quatuor, prae celeritate, majoribus machinis quibus portam et partem muri corroserat. Supervenit Zalazart, ac illis de Casleto signum ingressus ejus, ut praedixerat, ex Morino dedit. Econtra Casletensibus flammam in aera dantibus in signum, in Francorum castrum, qui ad  $\text{m}^{\text{m}}$  in obsidione erant, se abstraxerunt. Sequebatur autem ipsum Zalazart dominus Petrus de Chanteray, ductor Brabantinorum, Leodiensium atque Ghelrensiarum, per monasterium de Dunis et ad oras maris usque ad Sanctum-Oudomarum iter carpentium. Imperator autem Bruxellae mandavit filium suum regem Romanorum, ubi, dum comparuisset, tanta multitudo convenit nobilium Almanniae ut vix ipsa villa se tutaret, et tota plana patria depasebatur. Auditis istis, villae principales Flandriae deputatos suos miserunt ut offerre se cum juvene principe Philippo dignarentur in parva comitiva. Responsum est se cum filio nolle parva comitiva Flandriam aut villas ejus intrare; quare, relicto filio Bruxellae, praemisit rex Romanorum exercitum suum terra marique ne gravaretur patria multitudine armigerorum. Nichilominus tanta in Flandriam irruit tempestas ut multi relictis rebus fugerent a facie ipsorum; nulli enim aliquid ubi contigit armigeros Almanos et praecipue Hannonienses transire, si portabile fuerat, relictum est, quin imo velut adversarii praeter hoc quod captivos viros non abducerent crimen abhorruere, etc. Rumor exivit ducem Lotharingiae feodum suum optinuisse et homagium imperatori fecisse conditionibus inter alias stantibus quod, rege Francorum relicto, contra regem Hungariae ac eos quidem adversarios qui Romam urgebant, illico procederet, et summus pontifex Innocentius VIII<sup>us</sup>, detruso Ferdinando, Neapolitanorum rege, Renatum ut ab ecclesia benemeritum et verum heredem in regem Ceciliae et Jherusalem coronaret, etc. Nobiles autem regni Franciae ad invicem convenientes ut unanimiter Romanorum regi, super petitione filiae suae et patriarum omnium resignatione, responderent, legationem parabant, lento gradu, quatenus messis tempore campos armigeri ad pabulandum equos sibi sanguine cariores observarent. Penultima igitur julii Flandriam ingreditur flos totius christianitatis, Fredericus imperator et filius ejus rex Romanorum, etc., ac de Tenremonda petitur Gandavum, deinde Brugis, etc. consequenter. Cumque pausarent aliquot dies tam imperator quam Romanorum rex ejus

filius, querelam cives oppidi Slusensis super vexatione armigerorum cum aliis ausi sunt deferre ac denuntiare regi Romanorum, cum quibus legiferi villae Brugensis accesserunt et exposuere gravamen subditorum : respondebat rex non alios quam suos ducendos in hostes sub designatis capitaneis adduxisse, parumque fore sustinendos a patria, quousque cum illis, relicto Brugis genitore suo, campos et castra servaturus esset; sic confusi tacuerunt, etc.

Plures itaque de Slusa, relictis domibus, cesserunt intromissis Almannis qui per mare debebant hostes oppugnare, nichil aliud quam ad provisionem necessariam tardantibus. Eo temporis affuere Veneti petentes deperdita sua recuperare super Francigenas qui superiori anno classem eorum fuerant depraedati; legationes insuper regnorum Angliae, Scotiae, Hispaniae, etc., interim admittebantur, et aliorum nuntii principum ut plures de bello ineundo, quod summa contentione partes inchoarant, desiderent. Solus enim ex parte regis Francorum Philippus des Quordes per Arthesiam quosdam in arma contraxerat, contra quem dedignabatur rex Romanorum se exponere, sed capitaneos suos praecire mandavit usque ad medietatem mensis augusti. Tunc enim heraldus regis Romanorum ex Francia rediit cum responso tali quod contra Flamingos nullum Francis bellum erat attemptandum, pace stante superioribus annis cum communitate trium membrorum facta; nec Francorum regem ab ea recessurum esse, sed mirari cur, generi sui Romanorum regis industria, regni sui limites nuper invaserant Almanni et homines ejus, contra quos usque ad sanguinem sese defendere cum suis illico curaret. Rex Romanorum iterato misit ut filiam ei restitueret, etc., aut, si id refutaret, prout diffidationis copia tenebat inter alios articulos, sciret hujusmodi occasione ad recuperandam regni partem super eum se manu valida venturum et optinere tandem, pro quo se suosque in sanguinem parabat exponere. Rex Francorum gener regis Romanorum, sub hac forma verborum respondit : « Maximiliane, qui te ducem dicis Austriae, cum non sis nisi ducatum expectans, regem quoque Romanorum te nominas, sis quidem : nichil ad nos sive sis an non. » Nec mora, Frederico genitore suo et imperatore Brugis relicto, campos elegit et castra posuit juxta Arehas inter oppida Ariae ac Sancti-Oudomari, mandans victualia deferri, ceteraque necessaria negotiis bellicis subsequi. Porro cives Sancti-Oudomari, ne viderentur

neutralitate notari, claves Romanorum regi praesentantes, ad oppidum suum eum vocaverunt; qui rex, audita fraude ducis Lotharingiae, qui cum suis ad regem Francorum declinaverat et se pro rege ultro pugnaturum contra regem Romanorum optulerat, cunctis stupentibus de praesumptione, continuo (rex Romanorum), aciebus ordinatis, se objicere Francis in magna multitudine defendentibus non formidavit, circiter xxii augusti, quum primum Ariam rex Romanorum percurrens ad Bethuncam se contulisset, in quo oppido Philippum de Crevecoeur cum suis latenter intrasse recognovit, et antequam illic castra posuisset, cum paucis jam praefatus Philippus egressus tam Hesdinium quam Attrebatum munire non tardavit, et non apparuit ex omnibus locis ad quae Romanorum rex vel in propria vel per alios adiit, qui verbum dare dignaretur sibi vel suis heraldis frequenter pulsantibus; eumque sic usque ad finem mensis septembris campos exercitus observasset, servorum suorum Zwetonum provocatus rex insultibus in villam Insulensem se recepit, ubi ad eum imperator genitor ejus ascendit de Brugis, mansitque sub capitaneis exercitus vacillans, et magnus numerus Swicerorum ad Francos ab eo defecit, quorum major pars poenitens, captis ductoribus in causa exeuntibus et v<sup>e</sup> fere ante Bethuniam Francis occisis, rediit ad suum dominum regem. Sic, manifestata traditione suorum, rex Romanorum petiit ex Flandria provisionem maximam denariorum, quorum taxatio solvendi steterat ad tres terminos, quam illico sibi mitti postulando mandavit eo quod occasione stipis sui ab eo defecissent. Verum ipsorum Zwicerorum exorbitatio, necnon Almanorum pompositas in causa fuisse fertur ut alias tandem patebat; nam quidam ductor Martenus Zwart, corduanarius, torquem valoris III<sup>m</sup> florenorum invadiarat, et regis praefati joculator in talem abusionem ceciderat ut archimiles omnium reputaretur cum incederet unus; si de infimis talia praesumebantur, quid de scutiferis aut collateralibus temptabatur, ambiguum esse non restat. Eodem tempore maritimis de Flandria per regem Franciae concessae sunt tot litterae salvae conducturae quot pro suis e converso potuissent a rege Romanorum impetrari. Fuerunt exempti Hollandrini ab hac gratia, quamquam Romanorum regi numerassent in promptis L<sup>m</sup> leonum aureorum, et paratas in statione Slusae naves retineri praefatus rex jussit, ne praedandi causa mare redderent infestum. Hujuscemodi occasione maritimi Zelandiae et Hollandiae, non parum commoti, vix se conti-



nuerunt. Cives etiam quidam Gandavi moti fortasse occasione probri suscepti vel perpessi vix se continuerunt. v<sup>a</sup> septembris se retraxit imperator ab Insula versus Curtracum, etc. Bastardus, eo tempore, de Fevyn ab hominibus comitis de Nassova insidiis apud Insulam occiditur, seu quia regi Romanorum significarat quosdam eum vel vivum aut mortuum Francis tradituros, qui maximo numero sub duce Aureliani convenerant in Atrebato, seu quia petitam pro scutifero quodam dicti comitis relictam divitem Insulanam quamdam matrimonio sibi copularat. De cujus bastardi nece tristis rex Romanorum in ultionem ejus a sacro loco tractos maleficos jussit obtruncari; recessit quoque mox comes, et una cum Philippo de Ravesteyn infra Duacum se recepit. Nec moratus est rex Romanorum in Insula, sed, continuo secum avectis majoribus machinis, in campum sese dedit apud suos in diversis locis ad succursum impendendum. Dum haec fierent, ultra petitionem de xx<sup>m</sup> librarum turonensium quam a clero rex Romanorum sibi mutuo, datis jocalibus in pignus, acceperat, iterum ab eodem clero novam exegit sibi dari decimam cum quadam verborum comminatione quia clerus respondere litteris tardaverat et se difficilem reddiderat, tum quia parum aut nichil rex adhuc cum suis perpetrarat, tum timore suorum hybernari quaerentium, ad ipsius cleri et ecclesiae necnon patriae grave praecjudicium atque gravamen intolerabile, etc. Finitis induciis, cum aliquid durantibus eis traditionis perpetratum esset in ipsum regem Romanorum, transacto festo Nativitatis Beatae Mariae, nec sibi villa Sancti-Quintini resignabatur, altera die, post festum Beatae Mariae Virginis Gandavi vi obtruncantur, quorum Franciscus de Coppenolla praecipuus habebatur, eo quod de Tornaco procuraverat bannitos clam intromittendos esse ad occidendum Gandavenses partem regis Romanorum observantes et omnes officarios, etc. Valde quoque cives attoniti reddebantur dum eorum quidam publicabantur machinatores, sed quod temere praesumptum extitit a Tornacensibus, quibus fidem inesse cives Gandenses crediderant, in lucem prodiit, unde plures denuo bonis fisco susceptis a Flandria praescripti sunt exulare alibi.

Romae papa Innocentius VIII<sup>us</sup> cum Ferdinando rege Ceciliae sive Neapolitano et aliis confoederatur. Imperator Fredericus ad oppidum Valen-chinas se contulit, filio suo rege Romanorum apud Keynodium cum exercitu suo mense septembri residente, et tractabatur de conventionem pacis inter

Romanorum regem et generum suum Karolum regem Francorum, octavum hujus nominis, etc. In principio mensis octobris, exercitu dilapso, tam imperator quam filius ejus rex Romanorum descenderunt in Antwerpiam, posita provisione ad oras Flandriae. Dicebant imperatorem cum grandi pondere denariorum abscessisse. Hommagium Flandriae, Arthesiae et Bolo-niae respuerat, nichil optinuit tamen Romanorum rex pro filio suo. Sed dolens, moestus et tristis apud Liram ad filium suum Philippum visitandum se recepit, et iterato Flandria petitam ei decimam concessit xxvii<sup>m</sup> aureorum in sublevamen collectae armatae sive debitorum contractorum occasione patris sui imperatoris, quem cives de Machlinia pro suis expensis aliquatiter in recessu suo retardare praesumpserant, et hinc tam imperatoris quam regis filii sui non modicam indignationem incurrerunt. Parum enim aut nichil imperator, quocunque locorum applicuit, de expensis hominum suorum solvere curavit, sed frequentissime ab eis quod gratis sibi optulissent cives aut patriam requisivit, quasi non ad aliam occasionem quam praetextu colligendi descendisset; unde ejus avaritiae dilapsi exercitus imputabatur culpa, atque ac filii sui regis Romanorum ejus adventus sic vertebatur ut cum magno dedecore concepta res in generum suum, regem Franciae, maneret infecta tametsi probrose: quod canticum adversariis haberetur, et nisi coactus miseratione vix a genero quasdam optinisset respirandi inducias. Dum haec fierent, rex Angliae Henricus de Richemonde filium suscepit ex conjugē sua, filia primogenita Edwardi, qui cum coronari petiisset, major Londoniensis accessit et imprecatus est regem, quod more praedecessorum non honoraret civitatem Londoniam atque nationes. Rex satis de audacia stupescens, nullo interprete aliunde quaesito, eidem majori dixit se nolle regi ut praedecessores aut honorare nationes quibus necessarius erat, quolibet anno, novus rex, etc. Ex hac hora major ex Londonia coepit ejicere Theuthones et inire simultates cum nonnullis ad novum regem instituendum, filium ducis Clarentiae, fratris quondam regum Edwardi atque Riquardi, qui quidem filius ex parte matris dux Verwecii in Yrlandia observabatur.

Eodem tempore, scilicet circa initium mensis octobris, princeps Aragoniae, dicens se justum heredem, cepit Nannetis, favore nobilium. Rex autem Francorum illic suos concite direxit ad tutelam patriae Britanniae resumendam, praetendens more praedecessorum suorum jus aliquod in

ea : sic nova videbatur oriri guerra pro patria optinenda. Cumque rex Romanorum dictam apud Bruxellam in Brabantia teneret, convocatis statibus ecclesiasticorum, nobilium atque communitatum omnium patriarum filii sui, sibi obedientium, non modo Franci tueri cupientes occupata loca sibi rejecto timore confederata, sed ad Morinum recuperandum villamque Sancti-Oudomari conquestandam, summis conatibus vires resumpsere, tenuitque satis rigide Parvus Salazart cum suis Morinum per tempus, nec non dominus Petrus de Xanctreijn, de consensu Philippi, domini de Veris et de Bevere, etc., oppidum Sancti-Oudomari ingressus est mense octobri praefato, Philippo ad regem Romanorum vocato, etc.; nam dominus Jacobus de Lucemburgo, frater Ludovici quondam comitis Sancti-Pauli, Parisius obruncati, missus erat ad rectores oppidi praefati ex parte regis Francorum ut peteret an sicut Aria partem ipsius tenere vellent ipsi, nec administrare necessaria illis qui Morinum observabant. Cui responsum extitit factum per dominum de Viarez, cunctis audire volentibus, ex parte loci : quod neutralitatem quam eis rex Francorum ultra sub sigillatione propria optulerat, omnimode firmam et ratam cives loci manutenere vellent. Hinc dictus Jacobus cum suis salvum se recepit in Attrebato. Mox homines domini Philippi des Quordes totius Arthesiac capitanci supremi ceperunt quamdam domum Philippo de Burgundia, domino de Veris et de Bevere, pertinentem, ad parvum miliare de villa Sancti-Oudomari, vulgariter dictam Quesne sive Alin. Imperator, interim recedendo, dum de Machlinia et Bruxella vellet ad expensas villarum liber sine solutione suorum se retrahere, parum absuit ne tumultus excitaretur. Sed apud Nuchiam dies aliquot retardare cogebatur, sive simili occasione sive belli causa, quod Colonienses cum Juliacensibus inierant; ad idem se Arenbergenses fratres contra electum episcopum Leodiensem et ejus fratrem de Heurne dominum de Montingny surrexere. Mensibus novembri et decembri superhabundabant nix, ventus, pluvia, gelu, quibus temporibus, rege Romanorum apud Bruxellam exeunte, plures apud eum legationes regum atque ducum convenerunt, etc., rumorque factus est de rege Angliae deponendo et filio ducis Clarentiae introducendo tanquam vero herede; de treugis etiam dandis per Francos habita fuit mentio; sed qualiter contingeret fieri, varie tractabatur. Mare servabant Dani sive Australes, contra quoscumque praeter eos qui de Flandria, Brabantia, Hollandia et Zelan-

dia ingrediebantur. Frustratus comes Polanus de sponsa sua, sorore conjugis domini Philippi de Bevere, filia domini Wulfrandi de Veris, quam filius domini de Breerode surripuit, non modicam tulit iram. Eo tempore, cum natus esset filius Henrico regi Angliae et paucis diebus vixisset, conjunx ejus in reginam se fecit coronari. De Taruanna dubitavere plures ne defectu provisionis iterum Francis daretur, sed in fine mensis januarii profecti per monasterium Dunense nobiles Herbertus de Nassoua, Philippus de Burgundia et Johannes de Burgundia, praepositus Beatae Mariae Brugensis ac Sancti-Oudomari, cum multis aliis tempore affuerunt, ac ignorantibus multis hoc modo rex noster et genitor Philippi principis incliti, cognomento de Austria, facta convocazione curialium Bruxellae, subsequutus est, prius filio suo domino Adolpho Clivensi commendato, cujus Adolphi filius Philippus ductor regalis exercitus constitutus cum Namurcensibus, Hannoniensibus et nobilibus Brabantiae clam per Duacum girando venit ad ipsum regem, se secreto tenentem apud Sanctum-Oudomarum, cujus armata remansit in Archis juxta dictum oppidum. Nobiles vero praefati qui Dunis recepti hospitio fuerant, satis egerunt ut conditionaliter rex Romanorum pristinum juramentum pro filio suo renovaret, quatinus, nisi Francorum rex dampna illata villae et civibus Sancti-Oudomari repararet infra tres ebdomadas, relicta neutralitate villa praefata deficeret ad dictum regem et fidem ei pro filio suo tanquam vero domino et heredi daret. Interea cum fame tanta stipendiarii infra muros civitatis Morinensis urgerentur ut canes et equos in escas sibi pararent et a diversis insultibus lassati deficere se significassent domino Karolo de Saveuze tenenti se apud Rugheschuere, xxvi<sup>a</sup> januarii, sumptis victualibus in sacculis ad haec deferenda, noctu signo dato per tintinnabula gregum aut armentorum, ante portam deputatam ipsa victualia cum sacculis effudit, rediens juxta castrum Francorum, qui posuerant obsidionem, quibus mane seiscitantibus ad quod tintinnabula sonassent, apparuit obsessorum de victualibus provisio, sacculis ad muros expansis et pendentibus. Sive timore igitur regis Romanorum et exercitus Flamingorum, quorum numerus ad xxv<sup>o</sup> millia hominum aestimabatur, sive terri de capitaneo regis domino Philippo, qui cum pluribus equestribus advenerat et ob Sancti-Oudomari nutationem mox assultibus duobus acerrime concessis, nec proficientibus eis, ipsi Franci terga verterunt, ad oppida proximiora sese recipientes. Tunc

penultima januarii Romanorum noster praepotens et metuendissimus rex victualia de oppido Sancti-Oudomari cum gravi fecit exercitu conduci infra Morinum, et regratiatus est capitaneis loci, praecipue Johanni Salazart, Hispano, domino Sancti-Martini, qui inter inediae et pericula varia fidelis servus perstetisset, missisque Flamingis, pro numero tamen aliquibus retentis, in propria apud Sanctum-Oudomarum duos ibi capitaneos ordinavit, videlicet comitem de Nassoua, generalem Flandriae capitaneum, et dominum Philippum de Ravesteyn, Burcharium cognomento, post Philippum des Quordes, ductorem Francorum appellatum. Non absque misterio ipso solempni die Purificationis Beatae Mariae propter inopinata nova significata de Francis qui cum fratribus Arenbergensibus Leodiensem episcopum et civitatem ipsam obsederant, Romanorum rex, relicta cura suis ordinatis capitaneis, de Sancto-Audomaro recessit et per Duunkerkam renovato juramento pergens ante monasterium Dunense, se iv<sup>a</sup> februarii recepit in Novo-Portu, deinde Furnis, et quantum possibile sibi laborando ut Leodium obsessum liberaret, ut sanguinem Arenbergensium deleret, qui mala tanta suis patrianis irrogarant. Erat autem praeter Guillelmum et Adolfum extinctos, duo superstites fratres eorum, Everardus et Robertus, qui, ut filium suum introduceret, cum Everardo temptavit, vocatis Francis et Lotharingiis, Leodium obsidere. Verum quid actum sit scriptor suis diebus ignoravit. Dum sic serenissimus rex noster inter adversantes hostes invigilaret, significatione responsoque mitiori factus est rumor ut de pace regum tractari dominus Anthonius bastardus Burgundiae procurasset ea conditione ut, relegato ex Francia Philippo domino des Quordes, tota Arthesia cederet regi Romanorum in jus filii sui Philippi ducis, pro quo dictus dominus Anthonius eundem comitatum regeret ad profectum et utilitatem nepotis sui ducis scilicet Philippi usque ad annos aetatis majoris. Sed haec in dolo conficta fuere. Nam ut recessit rex noster, et ad victum necessaria Morinensibus dominus Ludovicus de Bonderiis ex Sancto-Audomaro tute cogitaret inferre, manibus Francorum incidit cum suis, nec morati sunt capitanei diutius in eisdem locis, licenciatis universis. Sic exercitu soluto Burgundorum et provisione facta de victualibus Francorum, terror omnes post tergum nostri regis relictos effugavit ad obprobrium laxis atque cauponibus decantabile. Verum quaecunque gerenda forent constabat illum Philippum dominum des Quordes non ignorasse,

qui, mediante gratia regis Romanorum, dum Ariam et cetera loca Arthesiae sibi resignare proposuisset, quatenus contracto foedere se alienaret a regno Franciae in quo multos habebat aemulos, et ad regem Romanorum deficeret, sive veritate sive dolo temptata per eum res fuerit ipse scriptor suis diebus nichil aliud determinare valuit. Nam ad muscipulam extensam ut innodaretur rex noster aut quidam suorum, Francorum vertebatur intentio, sub colore deditiois Arthesiae. Insuper sub spe tractandi debuisent ex parte regis Francorum villam Sancti-Oudomari petivisse Anthonius de Burgundia, Jacobus de Lucemburgo, dominus de Mony, sed praetextu currentium ex Morino et Aria non comparuere: sic quoque factum est ut nisi supra tres principales villas Flandriae stipendia pro 11<sup>e</sup> lanceis accipienda concederentur villae Sancti-Oudomari, a neutralitate sua dictum oppidum non recederet, licet itaque servata neutralitate qua cives sese continebant, Francis magis quam Burgundis comperti sunt fuisse fideliores. Caesis enim per Morinum tenentes fere c Francis ac totidem captis prope Ariam incolae Sancti-Oudomari subtraxerunt Morinensibus multa victualia, dumque quodam vice praedandi ex Morino Burgundi clam putarent exire, ductoribus corruptis, ducenti aut circiter ex ipsis Francorum insidiis perierunt, deinde captivis altero pro altero relaxatis atrocius instaurare cursitatores utraeque partes inceperunt. Ad regem Francorum Philippus des Quordes ascendit ob ingentem curiae regalis divisionem nobilium qui hinc inde dispersi citius e regno profecti sunt, nonnullis captis qui serenissimae majestati regali inceptum regimen exposuerant, et tam ecclesiasticis quam nobilibus et praecipue Philippo de Comyngio, flandrita, tanquam regis Francorum insidiatore. Sed quod evenit scriptor ignoravit sicut et quomodo Jacobus de Zaboudia, comes dictus Sancti-Pauli, perierit; ejus omnia dominia fisco per Flandriam occupata in manibus Philippi filii domini Adolphi de Ravesteyn posita fuerunt. Spatium igitur horum litum est ad aliqua conscribenda quae contigerunt in regno Franciae, ubi tam magna principum exorta est scissura ut pene omnes regio de sanguine nati, relicta gubernatione dominae ducissae Bellijoci, alius se juxta ducem Britanniae, alius juxta ducem Borboniae vel Alenconiae receperit. Rex vero paravit exercitum in ducem Britanniae, qui ducem Aurelianensem attraxerat, et ligei facti sunt cum rege Romanorum, prout nuntii eorum qui Brugis in principio mensis martii applicuerant, publice declaraverunt, etc. En

qualiter mulieris unius motione moti sunt ad ignominiam sanguine cari cum nichil tamen ab ea perpassi, nisi forsitan os sublimis, intellectus et nonnulli sensus imperitiam seu mentis pravitatem valuerunt contueri, quo factum est dicta ejus incusare et hostiles in eam sumere inimicitias cogebatur. Invitus ab ea Renatus Lotharingorum aut Tulingorum dux propterea discessit quia nobiles et intelligibiles animo se retrahere conspexit a curia regali, sic ut regnum in ore famulorum unius mulieris stare videretur.

1487.

Mense martio ante Pascham anni M<sup>i</sup> CCCC<sup>i</sup> LXXXVII<sup>i</sup> frater episcopi Leodiensis, dominus de Montigny, capitaneus regis Romanorum, dum insequeretur Robertum et Everardum fratres Arenbergenses in confinibus Hammoniae, ex ictu sagittae veneno mixtae tactus post biduum interiit; cujus morte rex contristatus ad resistendum praefatis Arenbergensibus providit, ac trium statuum convocatione Brugis xx<sup>a</sup> martii observata multa et grandia vel ardua rex proponi fecit coram eis, ad quae responderunt vocati ac deputati. Cumque haec fierent tanta frigoris et ventorum inhorrui immensitas ut ea quae paulo ante pullulare supra terra perpulchre cernebantur, illico emarcuissent ac si exustans flamma pervolasset omnia. Item in vigilia Dominicae Palmarum, Brugis quarteriatus fuit quidam de Gandavo oriundus, nomine Johannes de Mille cum duobus aliis qui cum eo de homicidio fuerant accusati ac decollati. Sed hic Johannes patentes litteras ad Philippum des Quordes supra se habuit, a quo cum ejectus fuisset de propugnaculo juxta Antverpiam ad Franciam migravit, et receptus fuit cum nonnullis, ac cum certis deputatis sibi reversus est nuperrime, secum deferens intoxica oblata quibus regem Romanorum putabat perimere et intercipere Morinum, quapropter ut traditor distractus fuit. Quae vero mox evenerunt de Morino ac patria Leodiensi scriptor hiis suis diebus plane non intellexit, etc. Postquam tamen Leodiensis episcopus Brugis a bankariis levasset ingentem denariorum summam, repatriando cum Everardo de Marchia alias dicto de Arenberga convenit, eo quod ceteris fratribus extinctis faciliter ipse trahendus fuerat ad concordiam. Porro de negotiis concernentibus Romanorum regalem majestatem plura sequenti-

bus annis posteri sunt deelamaturi quia Flandrenses dilationem super petitione regis facta post Pascha quaesiere, quae (utinam votivis aut salutaribus effectibus!) incolas et patrianos a Francorum et Anglorum molestissimis invectionibus terra marique liberos reddidisset; sed, heu! tarde. Pecuniarum causa quae vertebatur, fuit inextricabilis erroris innodatio, prout sequenti anno per scriptorem in parte deducetur, quum de maximis bellorum eventibus tractabitur, quum necdum bella Turehorum aut Sarachenorum sed inter se mutuo christianorum concertantium praelia perpensabuntur. Verum hoc anno et mense, finaliter recte ante Pascha anni instantis LXXXVII, regalis sedes Sarachenorum quae tenebatur apud Granatam, populosam et opulentam civitatem, Fernando regi Castellae XXI<sup>o</sup> subicitur ingenti bello ac strage Sarachenorum, et volunt hoc bellum inter Sarachenos et christianos fuisse centesimum sexagesimum secundum, prout in excerpto nostro de regibus Romanorum liquido continetur, in quo de singulis bellis eorundem christianorum et paganorum pro modulo replicatio compendiosissima denotatur, tam sub annis nostrae salutis quam regiminis singulorum regum et imperatorum Romanorum. Ob amorem et laudem Maximiliani, filii Frederici III<sup>i</sup> Caesaris et imperatoris christianissimi, qui filiam suam unicam nuptiis hoc tempore exposuit, instantia Sigismundi ducis Austriae, fratris ejusdem Frederici III<sup>i</sup>, qui, cum esset octogenarius valetudinariusque decrepitus, Ytaliae seu Lombardiae bellum indixit eis qui in regem Romanorum recipere nepotem suum Maximilianum refutarent, quem salutatum nomine Venetorum Hermolaus Barbarus patricius ab eis Brugis directus venit, ubi et Fredericum imperatorem reperit, cujus oratio sic incipit :

« Postquam litterae tuae, sacer imperator, jocundissimum rei publicae nostrae nuntium attulere, Maximilianum Celsitudinis Tuae filium, principem »  
 » celeberrimum et fortissimum, admirabili populorum et optimatum consensu electum et salutatum esse regem Romanorum, Senatus et universa »  
 » civitas, non contenta id per epistolam fecisse, congratulatum utique nos »  
 » misit, et in mandatis adjecit ut magnitudinem gaudii sui quod pro tanta »  
 » re merito concepisset, non duobus modo vobis, principes invictissimi, sed »  
 » Galliae, sed Germaniae, sed omnibus gentibus nationibusque conspicuam »  
 » et testatissimam faceremus, tum quia nichil tam amplum, tam gloriosum »  
 » Sacratissimae Majestati Vestrae potest contingere, quod sibi quoque pro



» sua in vos observantia, fide et benevolentia non commune putetur, tum  
 » vero maxime quia christianum nomen et Romanum imperium hoc altis-  
 » simo providentiae vestrae consilio divinitus amplificatum sit. Hoc tanto  
 » et communi bono sic afficitur nostra universa res publica, ut sollicita sit  
 » admodum ne laetitiam incredibilem suam oratione consequi valeamus.  
 » Quamquam enim, Caesar gloriosissime, ut a te primum incipiam, regem  
 » Romanorum te vivo renuntiari permiseris, et multa sint alia tuorum ope-  
 » rum egregia tum bello tum pace monumenta, quorum prosequutio nec  
 » loci neque temporis hujus est, nil immortalis tua memoria dignius hoc  
 » uno facto fuerat expectandum, in quo opinione nostra fructum omnis  
 » antea vitae maximum peperisti, quod filium generosissimum insti-  
 » tuisti, qui necdum gentem nobilissimam sed populum ferocissimum na-  
 » tionesque bellicosissimas non minus armis quam sapientia vincere pos-  
 » sit. » Haec de epistola, acta III<sup>o</sup> nonas augusti, anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXXVI<sup>o</sup>,  
 apud Brugas seu Gesoriacum. Sed laetitiarum extremitatem pro sequenti  
 anno luctus occupavit, dum oppidum Sancti-Oudomari traditum sit, etc.

Sedente in Urbe sanctissimo nostro patre Innocentio octavo pro III<sup>o</sup> anno  
 suo, Frederico Caesare III<sup>o</sup> ac C<sup>o</sup> VIII<sup>o</sup> Germanorum ordine, tanquam duobus  
 in utroque regimine Christi vicariis, tot praelia, tot adversa tempora miran-  
 da conspiciuntur, ut actas praecedentium tulisse tanta mala nusquam repe-  
 riatur. In omnibus enim mundi plagis nova malorum nequitia et iniquitas  
 homines omnis conditionis, ut tempestas quaedam (utinam transiens et non  
 in pejus perseverans!) involvit, et, ut a sanctuario Dei primum ordiar, in quo  
 peccatorum origo superba viguit ambitio, nil scelestius avaritia colebatur,  
 et ideo contra id solito atrocius processum est, tum a coaequaevs filiis, regi-  
 bus, principibus et nationibus, tum a perfidis Sarachenis, Turchomannis ac  
 Tartaris qui, dissentientibus christianis, ab oriente, meridie et Affrica, hii  
 in Pannoniam, hii in Apuliam usque signa posuere, urbem atque sedem  
 Petri Christi vicarii in terris occupaturi, etc. Non enim Mathias, rex Un-  
 garorum, regnum Bosnae tueri potuit quin a Tartaris ipsum cum aliis multis  
 conquestatis repeteretur; sed solus in regno se contra partem Frederici III<sup>i</sup>  
 tuebatur. Invitati Turchomanni, nec invito Ferdinando, rege Neapolitano  
 et Ceciliae, sese diffundere per Ytaliam et vagare permitti, prout in contextu  
 tangetur in generali, ruinam minabantur; et pro fide et limitibus ejus am-  
 pliandis, Fernandus Aragoniensis sive Navarrensis rex XXI<sup>us</sup> Castellae, tan-

quam egregius miles, ut decet christianissimum regem, caesis Granatensibus, bello sibi civitatem et omnem Granatae provinciam conquestare ceperat et praelia continuavit aequissime, etc. Reges vero nostri Francorum, Anglorum et aliorum climatum in seipsos arma crudeliter converterunt et heu! sacro fraterno sanguine maduerunt campos, prout in contextu legendum est. Agentibus enim fautoribus et ex-gubernatoribus castrum de Sithiu, id est Sancti-Bertini vel Sancti-Oudomari, traditum est oppidum istud insigne et ultimum de comitatu Arthesiae conquestandum, postquam decennio se defendisset adversum regem Francorum et domui Burgundiae diu adhaesisset, in manus Philippi des Quordes alias Crieveker, dominica mensis maii ultima quae fuit vi kalendas maii, resignantibus claves Antonio de Heymont, Johanne de Haine militibus et ceteris civibus ac legiferis oppidi, tam suptiliter ut nomine Philippi de Burgundia pars una muros ascenderit et pars altera navicella sub claustro Sancti-Bertini immitteretur. Nec vox audita adversariorum, nec levatum belli signum, donec omnes cum traditoribus theatrum occupassent; voluitque resistere eis cum paucis loci tutor designatus dominus Johannes de Calchia-Reginaldi, qui mox cum suis prostratus et peremptus est; deinde suspecti omnes fere de parte Burgundorum, pluribus evadentibus per muros, aut se praecipitantibus aut aquis se committentibus, quorum plurimis sauciis repertis fugaque salvatis, submersis aliquibus, de misera invasione ac civium caede peracta vicinis prima nova referuntur. Venit autem Furnis navicella Balduinus de Lannoys, dominus de Fresnoy, frater abbatis Sancti-Bertini, cujus ex ore qualia perpetrata sunt ab hora secunda post mediam noctem ejusdem dominicae usque ad meridiem sequentis feriae secundae, satis inhumanum sonare videbatur ut ab hiis quorum praecedenti die societas amicabile in conviviis habebatur, nec parva severitas injuriae consociis atque concivibus inferebatur. Eadem quoque die et eodem haud dubio proposito Gandavi tumultuatum est introeuntibus publicae quibusdam proscriptis circiter xviii, tensis ad emittendum cordis arcuum suorum, et per vicum ubi contubernales sagittarii convenerant, signum Sancti Georgii, prout moris est, e fenestris ostentantes, et hii proscripti cum eodem signo vociferantes: « Vivat dux » Philippus et Sanctus Livinus! » in ingressu domus legiferorum obvium habentes unum mox peremerunt, declinantibus periculum eorumdem ceteris legislatoribus, Johanne caeso Varnewyck, Rolando Wedergraet resistente

ac Judoco de Ghistella milite, filio Gerardi, etc., qui cum essent praestantiores nobiles, magnam partem civium in succursu vocaverunt, et comprehensis circiter v<sup>c</sup> vel vi<sup>c</sup> de seditiosis illis proscriptis, ceteris fugientibus, vulgus sedaverunt, et obtruncati fuerunt rigore justitiae captivi. Fuit et eadem dominica die Romanorum rex Brugis omnium istorum nescius, quousque sequenti die de talibus informatus disponderet quid agendum restaret. Itaque concilio et civibus adunatis, cum illi de Morino se fortes ad quindecim dies assererent contra adversarios, quid actum sit aliter ad longum patere potest. Philippus enim de Ravesteyn, pro Philippo de Burgundia, domino de Bevere, designatus armatae ductor, in West-Flandria gentes suas apud Brougburgum, Gravelingham et Duunkerkam collocavit. Daniel vero de Moerkerke, supremus ballivus Flandriae, capitaneus pagi Brugensis et dominus Jacobus de Voocht, territorii Furnensis, dominus vero de Pamele, capitaneus Noviportensis, et ceteri ordinati contra Francorum insultus sese tenebant. Regis autem Romanorum gardia versus Morinum tetendit, et dum Franci loca quaedam pertinentia duci Aurelianensi ligo regis praefati temptassent invadere, dux Lotharingiae adversum eos arma sua paravit. A Burgundia x<sup>m</sup> Suetonum descendere in ejus adjutorium contra Francos dicebantur. Balduinus de Burgundia, cum nuntiis ducis Britanniae, qui jam occurrerat in campis eisdem Francis cum collegis suis, praefato duci per mare laturus auxilium, transfretavit. Sic omnia commota iri visum est et vulgari murmure prius Arthesiam igne et gladio fore recuperandam quam adversariorum jugum diu ferendum esse per principes conjuratos ferebatur opinatum; ferebatur et tumultu vulgari actum ut pulsus Francis domini de Chastel-Dion et de Vergy Burgundiae comitatum interceptissent et cum Suetonibus ducatum velle recuperare, item et bellum a Britonibus, victoriose caesis multis de Francia, optinuisse eodem mense; sed sequenti mense rex, in propria tanto exercitu superveniens, in fugam misit Britones ut vix evaderent.

Mense vero junio regnum Angliae nutavit utram partem teneret, an Margaretae relictae Karoli, quondam ducis Burgundiae, etc., an Henrici de Richemond, campos observantium. Cecidit comes Lincolnensis et Martinus Zwarte cum fere v<sup>m</sup> hominum, sed rex, pie cum extraneis agens, omnes de Yrlandia captivos strangulari mandavit; captus quoque fuit juvenis dux Clarentiae, quem subtiliter comes de Suffole liberans transfretavit cum

eo et apud Guizam se recepit. Sed dicere verius voluerunt ipsum non comparuisse hoc praelio, quod actum est tam temerario ausu ut x contra unum frustra pugnasse viderentur; verum ipsius filii de Clarentia exercitus subsequens bello temptavit ipsum Henricum de Richemont bis excipere; tandem ipse Richemont profligatur, et Clarentiani treugas cum rege Romanorum inierunt in fine mensis julii, ut sequenti patet margine. Ad dietam circiter in sabbato octavae Sacramenti praefixam praelio pro negotiis Flandriae deputati a rege Romanorum capitanei Karolus dux Ghelriae, Philippus, filius domini Adolphi Clivensis, cognomento de Ravesteyn, Hubertus comes de Nassouwa, seneschallus Brabantiae, Johannes de Egmont, dominus de Yzelsteyn et quamplures alii convenerunt circiter omnes apud Casletum ad xviii hominum, et in vigilia Beati Johannis-Baptistae ceperunt iter ad Novum-Fossatum cum ii<sup>o</sup> curribus victualium, ut sequenti die Morinensibus inferrent necessaria sicut fecerunt. Irrumpentibus ex Aria quibusdam equestribus Francis, sed insultare non audentibus, cum scirent quosdam interceptos Francos ab Alemannis, ferme cc qui deferebant sociis suis necessaria tenentibus Regneschuram, relictis itaque provisionibus, mox ut apud Casletum rediissent, dicti capitanei solverunt exercitum qui dilapsus hinc inde non parvum incolis gravamen intulit. Quibusdam navigia petentibus per regem Romanorum in Zelandia praeparata ut in Britanniam aut alibi per mare vagarent, quibusdam labentibus ad loca deputata vel in propria sese recipientibus, interea de rebus per Martinum Zwart in Anglia gestis non fauste consultatum est, induciis inter Anglos et Flamingos expiratis ipso die Sancti Johannis-Baptistae, qualitercumque tueri Flandria posset a duobus adversariis, etc., ac de Antwerpia regis dicti praestolabatur adventus in Flandria quatenus provisionem sumeret. Fortiter enim Franci, cum Philippo des Quordes, Johanne de Bellay, domino de la Flotte, ac ceteris, opidum quod nupar ceperant Sancti-Oudomari munire coeperunt ut hinc in Flandriam totam debacharent; nam compertum habebant odium Theutonicorum Flandriam vastantium, esseque plures favorabiles Francis ipsis etiam patriae nobiles, in signum cujus dominum Johannem de Burgundia, praepositum Sancti-Donatiani, ex Sancto-Oudomaro dimiserunt absolutum, et, ut aliis quae viderat relatu patefaceret, Brugis destinarunt; cumque per singulos venisset ut referret gratiarum actiones, ait illi dominus

Johannes de Bellay : « Custodiat me Deus a manibus vestris! » Verum nonnulli confictionem putabant et sinistra interpretatione alia carpebant, quasi a longe res machinata deducta jam se prodidit in effectu. Dum haec fierent, in Anglia comes Lincolnensis et ceteri partem tenentes filii ducis Clarentiae una cum Martino Zwarte, fere caesi sunt ad III<sup>m</sup> hominum ab Henrico de Richemont. In octava sancti Johannis-Baptistae ex Sancto-Audomaro Philippus des Quordes obviam ivit dominae comitissae Sancti-Pauli, quae se recepit in loco praefato. Mox idem Philippus versus Duacum cum omni potentia sua se repperit, aestimans furtim similiter opidum ad horam datam ingredi; sed fefellit eum machinatio. Deinde per pagum Insulensem iter faciens, cum praeda plures captivos secum accepit, et, cum de Aria peteret opidum Sancti-Audomari, parum abfuit quin incidisset in manus Burgundorum Morinum observantium, qui captivum ceperunt quemdam alium de Francia vidammum Ambianensem. XII<sup>o</sup> autem julii, cum haec fierent et ex opido Sancti-Oudomari praefatus Philippus obsidionem admovere coepisset ad Morinenses, Johannes de Commingiis et Rolandus Halewyn, capitanei de castris Brougburgh et Gravelingha, temptaverunt furtim, faventibus quibusdam civibus, opidum Sancti-Oudomari surripere Francis, quos fortuna fefellit, caesis nonnullis atque jugulatis civibus.

Eodem mense, Franci frequentibus irruptionibus ante Insulam comparuere, scientes bastardum Sancti-Pauli cum stipendiariis illius loci infra Morinum se dedisse, Hispanorum capitaneo Alvorano dejecto. Prospero flante vento, fere II<sup>m</sup> v<sup>o</sup> stipendiarii versus Britanniam navigabant; nam civitas Nannetis obsidione regali liberata, non sine strage multorum, eosdem petierat contra regem Franciae, cujus aliquot naves piraticae tam a Danis quam a Flamingis mare tenentibus expeditae fuerunt. Rege Romanorum apud Antwerpiam sedem tenente, multa Gandavi machinata sunt in ejus praesudicium, signanter occasione suae monetae currentis quam rectores aut vulgares refutaverunt, quia levi pondere dispensabatur supra valorem, et inter vulgares jam provisiones adhibebantur ne tanti regis ex improvise praemerentur occursu. Disperso regis nempe exercitu per totam Flandriam pedestri, juxta cum pars equestris remansit circa Antwerpiam, et altera pars Hannoniam elegit, misitque rex apud Teneraemondam, ut contribueret opidum istud ad manutenendam guerram, similiter et apud Alostum, qui se

magna commiseratione conati sunt excusare, nec posse dare quod non habebant. Jussu igitur regis ad captivitatem tracti, pro vita redimenda violentiam ac perperam sustinere quamplures. Gravatus proinde populus in West-Flandria ab externis cursoribus qui oras patriae dicebantur observare, coepit in eos propter excessus suos arma parare, nam cotidie regis expectabatur in campum aditus ut bellum in hostes deliberaret; sed quia conventionem aliquam vulgus ignorabat, arma fieri vetitum rege exsimulavit et Flandriam derelinquendam ab ipso rege si denuo collectio quaedam deputaretur, aut ultro adversariis tradendam per quosdam nobiles, quemadmodum de opido Sancti-Oudomari practicatum erat, nec sine causa. Frequentius Franci ante Insulam comparuere, ubi solus armiger cum paucis, frater scilicet bastardi de Fevyn, ipsis Francis se opposuit.

xxvi<sup>a</sup> julii anno ut supra, factione Philippi de Crievecuere, domini de Quordes, cum nonnullis vigiliis secundas observantibus, in Morino, quidam custodientem signum ab alta turri ecclesiae secum ne daret de Francigenis muros ascendentibus stare pellegerat, spe praemii polliciti tractus, circa vii<sup>ma</sup> horam ante meridiem, nocturnis vigilibus pausantibus; civitas ipsa Francis cessit in direptionem, paucis caesis et vulneratis aut captivitati reservatis. Nec mora fraude domini de Bethunca Judoci de Peena, falluntur nobiles cum ante Bethuneam recipiendam sese xxviii<sup>a</sup> dicti mensis dedissent, ubi praefatus Philippus cum omni virtute militari Francorum citra Parisius et Sommam fluvium affuit, et caesis ibidem tam equestribus quam pedestribus non paucis, ut moris est Francorum, denarios, non mortem in fuga adversariorum appetentium, praeter occisos aut prostratos de Brabantia, Ghelria, Flandria, Almannia, Hannonia, etc., captivi servati sunt, illustris Karolus dux Ghelriae, Herbertus de Nassoua comes, et seneschallus Brabantiae dominus de Bossut et quamplures alii equestris ordinis viri strenuissimi que bellatores regis Romanorum, qui dietae non interfuit Antwerpiae febricitans, aut ut alii dixerunt epydimiaca praeventus aegritudine, ut mortuum rumore vano plures eum existimavere. Porro captivi producti ad Sanctum-Oudomarum, ibidem praesente Philippo de Crievecuere tanquam tenente locum et vicem regis Francorum, alloquuti fuerunt ad instar derisoriae quod ultra dies quibus expectati fuerant tardassent in via. Nichilominus tracti usque Dourlentium opidum ubi, camera regis pro eis deputata, manserunt quousque rex eos Parisius mandare voluit, ubi, cum res inno-

tuisset, praepositus Parisiensis et alii signa laetitiae pro victoria, campanarum sonitu atque clangore tubarum, illico ferialiter ostentari fecerunt. Sed in luctum id breve gaudium sequenti die convertebatur, cum idem praepositus regias litteras publicas ad precessionem pro eo coactus sit producere, quibus continebatur regis serenissimi fuga a facie Britonum et eorum qui se contra ipsum in arma juxta Nannetensem civitatem contulerant, ubi de regio exercitu ferè xv<sup>m</sup> cruenta caede, mediantibus Almannis per mare sub ductore Balduino de Burgundia in subsidium adductis, ut fertur, prostrata sunt, et civitas Byturicensis factione Britonum vel adversariorum ex integro fuit incinerata, rege vix ad castrum quoddam se conferente in salutem, caesis nobilibus multis et bellicosis, parcoque regali cum omnibus bellicis instrumentis amisso. Quae omnia Parisius delata provocabant ex ore lactantium et infantium pro rege fieri processionem devotissimam in fine julii mensis. Quo tempore procuraverant negotiatores Angliae prolongationem induciarum xv annorum inter regem Angliae Henricum de Richemondo et Flamingos; unde in principio augusti, Anglicis de Calisia et Guiza transitum habere permittentibus per patriam nonnullos de garnizonno Gravelingensi, factum est ut Anthonius de Auxi, cujus sororem Philippus de Crievekuer habuit uxorem, cum suis ex Sancto-Oudemaro vellet reditum illorum impedire, sed captus ab eis ad opidum Brugborch mancipatus custodiae fuit cum aliis conceptivis. Eodem tempore dieta alia campalis inter Henricum de Richemont et filium ducis Clarentiae tenebatur in Anglia pro contentione regnandi, cumque Yoreksensium pars in Yrlandiam migrare cogeretur, prorumpens inde frequenter ascitis Noorthumbriis et Suutfolek, victores tandem evasere, etc. At ubi non apparetur objectio regis Romanorum in propria, concilio indicto fuit ordinatum ut nomine principis juvenis, videlicet ducis Philippi de Austria, designarentur Adolphus Clivensis dominus de Ravesteyn tutor ipsius et Philippus ejusdem Adolphi filius supremus Flandriae capitaneus, praestito juramento fidelitatis, ut patriam ipsam et armis et vi defenderent ab adversariis qui undique insidiati sunt qualiter eam ditioni subjugarent regis Francorum, unde cum Francis Arenbergenses Lemburgiam, Lucemburgiam et alias patrias incursare coeperunt. Ipse vero capitaneus Arthesiae Philippus de Crievekuer, munitis villis ad oram dietae patriae, cum captivis Bethunici belli, sabbato xxvi<sup>m</sup> julii supradicti Parisius ascendit, praemissis armigeris ad regem Franciae campos

tenentem contra Britones. Ipse vero Romanorum rex necdum convaluit; juxta fluvium in Bruxellam se tenens praemisit, alterata lege Gandavi post gloriosissimae Virginis Mariae diem celebrem Assumptionis, ut omnimodis adversum regales Franciae fieret expeditio bellica, in qua difficulter Gandenses exhortati consensum praebabant, soluto a captivitate Adriano de Vyleyn, domino de Reeseghem, etc. Petebant autem Hollandrini ac Zelandrini mare ingredi cum Danis, qui plurimum illud infestum tenebant, sed ipsis non est consensus occasione praedandi datus, sed potius piscandi licentia impetrata ab ipsis Francis sub certo numero navium atque hominum: pariformiter cum Flamingis actum est. Toto mense augusto, diversis in locis observatae fuerunt conventiones et interlocutiones deputatorum trium statuum Flandriae, videlicet spiritualium, nobilium et vulgarium cum rege Romanorum, qui apud Bruxellam cum filio suo libenter armatam in hostes parasset, tam contra Francos quam contra Leodienses, sed, quamvis nobiles eidem gessissent plurimum favoris, dummodo denariorum collecta sufficiens pro stipe ministraretur. In quam sententiam deputati pro statu ecclesiastico necnon pro villis et locis patriae Flandriae consentire nolentes, dixerunt se pro pace fienda, non pro mantenentia guerrarum aliquid plus posse conferre se, cum tot annis protelata guerrarum commotio exhausisset omnem eorumdem paene substantiam. Itaque divisione sic stante periculosa, pendebat salus patriae cum fortuna ad utrumlibet. Nichilominus ad West-Flandriam ab incursibus Francorum tutandam certus numerus armigerorum in Gravelinga, Brogburgo, Casleto, Bergis, Duunkerecka, Furnis et in Novo-Portu missus est. Quaedam admisere extraneos, quaedam loca refutabant eos, patriotis intromissis. Septembri mense signifer ille Philippus, non modo dominus des Quordes, sed magnus admiraldus regni Francorum appellatus ob insignia bella per ipsum tam artificiose perpetrata, apud opidum Sancti-Oudomari ditissimum statuit immorari, cum ex una domo gloriabatur se valorem xxxi<sup>m</sup> aureorum invenisse, neque sine causa servaturum se ibidem auspiciabatur, tanquam locus ille ad conquestandam nedum Calisiam sed Flandriam totam latissimus atque planissimus gradus esset; capitaneus enim Calisiae captivitati mancipatus tandem Francis opidum clam paraverat, sed defecit, etc. Cumque Gandavi nova lex dissolveretur, ex commotione dominus Gerardus de Gistella ballivus cessit, nec mora major decanus negotiorum a magistratu communitatis cum nonnullis ad regem



Romanorum Bruxellam petiit querelam delaturus, rumore vano currente de morte regis Francorum et captivitate nobilium, inter quos numerabatur dominus Anthonius de Burgondia, de nuperrima Britonum victoria, etc., etc. Ferebant enim aegre Gandenses praefatum decanum majorem Mathiam Speyaert cum fratribus de Quercu sibi cohaerentibus, quod ad summam ferme mille et quadringentarum librarum grossorum opidum ipsum compresserat. De Brugis vero multo major summa denariorum, ut in compotis resignatis habebatur, emulsa fuit; unde mirantibus negotiatoribus ad manutenendum bellum manum subtrahere pro succursu regis. Visum est expeditius ne, quamdiu munera tam grata principi fierent, generalis pax impediretur, quae paucis antea diebus oblata fuit per generum suum ipsi Romanorum regi cum resignatione civitatis Attrebatensis et aliorum opidorum citra Sommam uti Bethuncae, Bapalmis, Ariae et Sancti-Oudomari. De qua quidem oblatione, cum rex Romanorum minime flecti potuisset quin omnia repetenda diceret a suis praedecessoribus possessa, gener infecta re contra Britones et alios ligeos ipsius regis Romanorum profectus est, et perdidit mox idem rex Romanorum opidum Sancti-Oudomari, necnon Morinum, innumera denariorum impensa ad manutenendum amissa. Nec ad novas belli machinas ob id vulgus induci plus voluit donec minaci ferro cogeretur. Pro colligendis igitur stipendiis facta fuit conventio omnium tam villarum quam patriarum archiducis Philippi filii regis, non comparentibus deputatis aliquibus de Gandavo, quidam ad eufortunium, quidam ad perniciem, contemptum hunc auspiciati sunt posse spectari.

Octobri igitur mense, anno salutis ut supra, praemeditatus est rex Romanorum velle de novo modo rebellare Gandenses cum Tornacensibus. Quapropter rex mandavit rectoribus Tornaci pellere a se dominum Johannem de Reeseghem et Adrianum de Likerke, qui cum Francigenis conatus est deliberare nisi Gandenses ipsum in suo recipere vellent opido. Ingressus est autem opidum cum pace declarans se non esse vel a rege Romanorum vel a quovis patria et opido natali relegatum, rogans admitti tanquam filius obediens, qui necdum ipse vel praedecessores ejus cives et filii civium a multis annis opido reperti fuerant infesti. Legiferis autem non respondentibus tam votive, negotiorum omnes decanos repente convenire fecit, ex quibus pars una quae minor erat, rem deferendam regi Romanorum dic-

tabat, altera distulit offerens se suaque omnia pro eo sponte prius exponenda quam talem opido excludi. Quid plura? Pendentibus rebus de peste Francorum in Britannia rex certiorabatur, et de patre atque Sigismundo avunculo suo duce Austriae qui cum exercitu gravissimo contra Venetos in campum exierat; prodixerant vero Veneti de tributariis Turchis in eos fere XII<sup>m</sup>, et strages magna perpetrabatur. Item unus de praecipuis traditoribus castris Sancti-Oudomari, cui nomen Julianus, alias Lixa, solitus pisces inferre domibus civium dicti castris, miles creatus et dominus de Myn vocitatus, unacum magistro Philippo supra Sanctum-Ligerum in manus Burgundorum de Broghborch incidit, et regi Romanorum apud Bruxellam ejus examen oblatum est. Quam ob rem rex dietam in Tenremonda statutis omnium patriarum edixit, circiter VIII octobris, ubi nec comparuit nec per suos respondere placuit, sed apud Hulst ecclesiastico statui diem assignavit. Machinamenta enim quorundam Romanorum regem apud Bruxellam tardare fecerunt, quia cives cum communitate Gandensi, quantum ad contribuendum denarios, dicti regis petitionem expresse refutabant, Antwerpiensibus eo tempore reconciliatis cum Bruxellensibus super aliqua differentia. Philippus, princeps juvenis, pro quaestu deferebatur ad diversa loca, cum non haberetur alius modus extorquendi pecunias. Accersiti legiferi Gandenses a rege Romanorum reportabant nisi dominus de Reseghem per dominum abbatem Sancti-Petri et Philippum de Burgundia, dominum de Bevere, vellet eorum dictis acquiescere (primus de ordinatione articulus), opido teneretur excludi. Qui cum nollet exire, res ad arma trahi visa fuit, et satis minaci verbo rex Angliae Henricus regi Romanorum scripsit, cujus pater amisit Novam-Civitatem post obsidionem XVI mensium et ad regem Hungariae totum dominium ipsius defecit, caesis non paucis et in fuga versis hominibus imperatoris, ex quibus reliquiae peciarum ad filium imperatoris regem Romanorum usque in Brabantiam et Flandriam descenderunt. Petiit igitur rex a clero Flandriae summam XII<sup>m</sup> pro legatione sua versus Urbem ut obedientiam sanctissimo nostro praestaret Innocentio octavo summo pontifici. Sed inter haec ardua, quod actum est sciri cito minime concessum est, nec quod VIII<sup>m</sup> concesserit clerus perditis privilegiis et consuetudinibus alias habitis.

Novembris die nona, cum jam legiferi et officarii per commissarios regis Romanorum in Gandavo depositi fuissent, agentibus dominis Adriano

de Vileyn, alias de Lykerke, Johanne de Reeseghem, Leonio de Massemine, Johanne Copenolle et ceteris adhaerentibus eisdem per relegatos et admissos, novi legiferi utriusque banchi scabinalis et duo decani clerum informantes de certis articulis tam pacem cum Francis, quam foedus nuper contractum cum rege Romanorum continentibus, eundem clerum cum aliis statibus et membris Flandriae Gandavi ad dietam invitaverunt ad medium bonum universalis pacis inveniendum, fuitque dies assignata xxiii novembris, quem rex Romanorum praeventit diversis munitionibus armigerorum, necnon induciis x mensium cum socero suo rege Francorum, quas revocabant praefati de Gandavo cum insinuatione procedendi contra dictum regem Romanorum, etc.

Romanorum rege Brugis in principio mensis januarii existente, cum esset rectoribus opidi gratus, sed communi populo gravis ob continuam denariorum impositionem et colligentium exactionem, qui satis minatorie visi sunt exactionem hanc prosequi, clerus qui diem assignatam compariendi in Gandavo transierat, timore magis quam amore repetiit mediare disturbium quod inter eundem regem et rectores Gandenses nuper renovatum publicis etiam invasionibus fuerat. Temptavit ergo clerus dirigere nuntium ad illos Gandavi ut concederetur accessus pro medio concordationis ne vulnus renovatum et apertum exulceretur in pejus. Revertente nuntio, clerus accepit conditionalem similem si cum tribus membris consentire vellent Brugenses relictis illis de Franco, facile satis flecti posse ab intento sperandum erat. Quae responsio vulgaribus placuit, et interim Johannes de Coppenolle profectus ad Philippum de Criefkuer optinuit ut per Lizam in Gandavum introduceret denuo Francigenas. Interea v<sup>ta</sup> januarii ante Hulst, postea ante Aldenardam venerunt, sed fugati, profecti sunt. Cumque clerus laborabat diligenter, circiter mille sexcenti e Gandavo profecti, cunctis ignorantibus quorsum fortuna tales vocare disposuerit, nonnullis eos asserentibus adire Teneraemundam aut Aldenardam sive Geraldimontem, die ix<sup>a</sup> januarii, sive de consensu civium sive quadam subtilitate, Curtraco sese receperunt, valido clamore diluculo domino d'Esterées capitaneo opidi concitato, qui castrum petiit in quo se tutavit. Nocte vero praecedenti Philippus de Burgondia, dominus de Vere, de Bevere, etc., per ipsum opidum iter ad regem Brugis fecit ex Bruxella, descendens ubi conthoralis sua in puerperio manserat, et consultatione habita mox Roma-

norum rex praemisit Philippum de Ravesteyn versus Curtracum ad succursum castrum, qui magna deliberatione arma rebellibus objecit, sed jam per Johannem de Heula castrum redditum erat, qui postea resignare cupiens, mox ab Adriano de Likerke occisus est, ejectis omnibus aliis in manu forti. Quae dum fierent, impetu suo Flandriam ab austro et meridie vastabant Franci ex opido Sancti-Oudomari prosilientes in Casletenses caesis ferme quingentis. Praedones itaque terras marique piratae patriam obsiderunt, quae diu bellis externis jam domesticis coepit agitari, communitate Gandensium primos inchoata tumultos, quae, cum ante Hulst, in quo opido plures regis Romanorum partem observantes sese receperant, circiter xx aut paulo plus amiserit, in fuga repetiit Gandavum. Mox marchio Antwerpiensis ex captivis capuciatas de Gandavo egressis viii vel ix in opposito opidi Antwerpiae super aggerem jugulari fecit; e converso Gandenses praecipue negotiatores, gens vilis servitutis ad raptum facilis exiit. Quae velut turbo cum bellicis machinis instructa quas ob pericula glacierum in itinere reliquit, irruit ad Aldenardum capiendum; sed Harpinus, scutifer, capitaneus opidi pro rege Romanorum propulsavit gentem illam, quae, furibundo impetu, duce Adriano de Likerke, cum assultu cepit Curtracum custodibus aut se opponentibus caesis: optento opido castrum per dedicationem sequenti mane recepit de manu domini Johannis de Heule, quem paulo post manu propria dictus Adrianus jugulavit; et haec de Gandensibus sub brevitate. Nunc de terrificamotione communitatis villae Bruggensis hoc est sciendum qualiter septem et decem negotiatores inter se sub suis decanis tumultuabant, tum quia carpentator unus accusatus apud regem per Conrardum, qui se fatuum regis fingebat, cum esset ad mala prudens et argutus, breviter lesae majestatis reus in verbo quasi dixisset audiente Conrardo cum aliis assidentibus: « Si quis vellet regem salutare, » prospiceret eum transeuntem, » subjunxit illico carpentator: « Conducat » cum dyabolus et omnes qui cum eo transeunt aut diligunt. » Descendens fatuus Conrardus capi fecit eum contestans per assidentes eum regi maledixisse. Mox obtruncatur carpentator, et subsequitur motio, cum jam in libera plus civitate libere loqui non liceret. Ego tamen in causam rectorum regis et nobilium suorum nimiam exactionem denariorum traherem, necnon eorumdem machinationem qua suptiliter vocato rege conati sunt tractare loci illius opulentissimi despoliationem. Quod quidem probabiliter

hoc modo temptatum fuisset, quia rex Romanorum omnes suos nobiles accersiri fecit, et subsequebatur armatorum gardia quam Philippus Clivensis de Ravesteyn ductabat circa Brugis, nec ingressum optinuit, quemadmodum in castrum Curtracensem autumaverat, occasione cujus ipse praedictus Johannes de Heule fuerat occisus et omnes praecipitati desuper in Lizam ejus socii. Sic Philippus versus Slusam, et gardia dissolvebatur hinc inde. Penultima vero januarii, schultetus villae Brugensis, dominus Petrus Langhals et complices sui munierunt domum regiam machinis et instrumentis in vasis ne conceptus opinionis conclusae proderetur, et rex armis suis indutus incedebat ad theatrum ante domum villae cum suis architenentibus ac nobilibus, videlicet comitibus de Polano, de Sora, etc., firmatoque loco picarii vocem dederunt : « *Velle! velle! velle!*<sup>1</sup> » Concite, cum vox haec audiretur, disparuit a loco congregatio, et continuo mulieres per vicos clamando discurrebant : « Omnes interficiuntur, » nunciantes. Continuo sub decanis suis in furore negotiatores accurrentes forum intercepere. Quid plura? Rex in primis captivus accipitur cum nobilibus suis, et custodiae mancipati sunt cancellarius Carundelet, praesidens magister Paulus de Baenst, consilarii ejusdem : magister Georgius Baert, magister Thomas Baradock, etc. Quaesitus schultetus ad L libras grossorum positus est partium quibuscumque deliberantibus eum; proditur fuisse visus apud Augustinenses, nec post dampnificum valde scrutinium ibidem et alibi factum reperiri potuit, sed in habitu fratris minoris dominus Georgius de Bolle, suus familiaris, temptans cum ceteris fratribus glaciem rumpere, de ordinatione decanorum captus est, cum missali libro villam exiturus, et reductus rogatur ut antequam carceres intraret, celebrare vellet, etc., vix unquam in latino litteras interpretatus, sed a vili simplicique, sicut magister ejus, conditione provectus a rege Romanorum, et cinctus fuit baltheo in bello Morinensi. Captus et alius familiaris ejus fuit clyens et executor malivolus Petrus. Hic distractus primus fuit supra bancum sive sippum per ipsum fabricatum ad audiendum examen uniuscujusque malefactoris; post quem Johannes de Nova-Curia filius Michaelis, dictus aquarum comes, qui multos accusavit in tortura sua, a qua dum relaxaretur, ipse potius mortem pati maluit quam simili torturae subjeci, unde revocavit statim omnes quos accusaverat, dicens quod injuste prae timore poenae

<sup>1</sup> Ce mot : *Velle! velle!* est ici pour : *Pille! pille!*

fecisset. Consequenter omnes a tribus annis citra qui deputati fuerunt, diversis in officiis creatis novis officariis, ferme ad ducentos accepti fuerunt captivi, quos cum carceres nequiverunt, domus villae suscepit. Aulfugit receptor generalis Flandriae Rolandus Fevere, necnon comes de Zora, Conrardus de quo supra, etc. Propter quod communitas volens assicurari de firmiori reservatione, regem Romanorum et dominum de Bevere, necnon aliquos nobiles introduxit in domum nominatam Craenenbouch; architenentes vero regis ad propria ejecti. Cepit communitas omnia quae repperit in domo regis; in qua, cum Philippus de Ravesteyn etiam sua recondiderat, scribens e castro Slusae repetiit sua sibi dirigi, addens quod bene de persona regis qualiter tractarent providerent, quae littera fuit Gandensibus ostensa; qui cum magno numero exierant et deputatos a Brugensibus mandatos comitabantur. Nationes tamen diversarum provinciarum instanter requisierunt ne intromitterentur cum deputatis nisi certa quantitas, et hoc idem in mandatis a rege dominus de Bevere habuit, qui sequenti die post Purificationem Beatae-Mariae venit ante portam et ne rex Gandensibus traderetur efflagitavit. Petiit et ipse dimitti cum illustris et praeclara conjunx ejus apud Bruxellam in puerperio fluctuabat prae tristitia. Sed communitas pulchra quaedam verba regi spondit, sed nec unum de captivis cum eo tam cito licentiare cogitavit. Convenientibus proinde penes eundem regem deputatis de Gandavo Wilhelmo de Camera, Philippo Wielant, Philippo de Syccle et ceteris, collaerimantibusque simul antequam sonus vocis perciperetur, rex ipse suam primum et postea deputati querelam suam aperuerunt: multorum ignorantiam habuisse regem ferunt, alii aliter de singulis deposuerunt. Ventum est ad hoc postremo ut foedus pacis conclusae per principales tres villas Flandriae cum genero suo rege Francorum denuo reformaretur; annuit Romanorum rex, nec aliud se velle quam pacem cum genero postulabat. Sed quia cum duce Britanniae tale foedus inierat ut nec unquam alter sine altero reconciliaretur cum rege Francorum, ait difficilem pacem esse rependiendam, insuper se vereri plurimum, cum Ferdinandus, rex Hispaniae, etc., pollicitus erat deliberare cum persolutione stipendiorum x<sup>m</sup> armatorum per annum, donec filia Margareta, regina Franciae recuperaretur et connubio restituta esset primogenito Ferdinandi, cujus filiam primogenitam optulerat duci Philippo de Austria comitique Flandriae copulandam idem ipse Ferdinandus rex. Ad quod deputati longa relatione perpulchre

remonstrare nitebantur Flandriam esse portum universalem multarum nationum, neque possibile fore nisi cum pace vicinorum regnorum apud se posse consistere, etc. Cumque sic tractaretur, heraldi regis Romanorum diligentissime furorem populi sedare curabant, qui publico in loco sub falis ante ostium dicti regis incessanter et indefesse nocte dieque reclamantes, modo de accusatis unum, modo alterum puniendum rapiabant et edicto pendente convenire cunctos Almanos aut exterarum gentes coegerunt in forum venerinum, ubi retentis nonnullis de domo et familia regis aut domini Philippi de Bevere, ceteros una cum cancellario Burgundiae, abbate Sancti-Bertini, etc., versus Gandavum cum v<sup>c</sup> fere armatis duci fecerunt. Insuper decreverunt sub domino Nicholao de Hosten, adversario regis Romanorum, dirigere plures ad delendum castrum de Middelborch, quod nobiles de Slusa munierant; nam ad Philippum de Ravesteyn confugerant plures, inter quos dominus de Yzelsteyn et dominus de Pamele, capitaneus Novi-Portus, qui die Purificationis beatae Mariae Dunis ex Grevelinga prandium suum habuerunt. Duo igitur castra cum opido Slusae se tenebant pro rege, necnon Aldenardum, Teneraemonda et Hulst. Verum ubi marchio Antwerpiae cum suis, et dominus Karolus de Saveuze cum aliis intromissis ex Hannonia, populo circumquaque multa mala ex ipso opido inferre videbantur, Gandenses cum incolis iterum ante Hulst in fine mensis februarii sese dederunt, ubi parlamento tandem habito de resignatione opidi salvis vita et bonis actum est. Nam rex per nuntios intermedios ad regem Franciae missos pro salute patriae et pace concordanda XXI dies induciarum optinuit, neque, ut consueverant, cursus suos Franci ex opido Sancti-Oudomari agitabant postquam juxta Watenis supra rivum domum de Pybrouck ceperant. Nam Gandavi, Yprae et Brugis foedus cum eis publicabatur, et dieta quae Machliniae fuerat assignata, Gandavi transferebatur, sed propter velle Adolphi de Cliva, Philippi de Ravesteyn genitoris, ipse filius non comparuit alteri vices committens ut cuncta deciderentur in pace generali; sed aliter res evenit, quam rex et sui putabant, nam motio sanguine foedabatur penultima februarii, anno ut supra, obtruncatis comite aquarum Flandriae Johanne de Nova-Curia, filio Michaelis, Petro clerico vel cliente schulteti domini Petri Longicolti, Victore Hughheyn, domino Georgio Ghyzelin, milite ac burgi-magistro de Franco. Notebant enim ammodo sequestrari tanquam membrum patriae Franci,

sed subesse banco Brugensi, in signum ejus ad theatrum ipsi cum signiferis propriis accesserunt et se junxerunt hiis qui cum armis Brugis stabant. Mandabant ut accederent omnes de West-Flandria a Dixmuda supra, nec comparuerunt Slusenses, vero contractis armis attoniti quod acturi essent praestolabantur cum castra ex parte regis et filii principis patriae munita essent, quamquam castrum de Middelboreh in Leest juxta Ardenborgum a capitaneo Nicholao de Hofflen pro Brugensibus interceptum esset. Joachim, loci capitaneo, Brugis mancipato custodiae. Tenuerunt autem se pro rege ac principe Alostum, Teneraemonda, Hulst et Aldenardum, ex quibus locis frequenter fiebant irruptiones. Poenituit autem Brugenses cives et nationes captivitas regis; sed parum miserti sunt ipsius viles et mechanici. Tamen precibus quorum rex et sibi deputati, pro quiete sumenda, ducti sunt ad aliam domum ubi secure pausare possent. Interea quae Machliniae fiebant, ubi filius regis et princeps status Flandriae vocaverat, ad plenum scriptori latuerunt. Hoc tamen actum est ne spiritualis in Christo pater et abbas Dunensis illic proficisceretur, limes hospitii sui, ut absque scitu decanorum opidum non exiret, velut carcer ei datus est. Cumque circa principium mensis martii populus patrianus in terra Quatuor officiorum crebris incursionibus ab hiis qui Hulst tenebant, ejectis civibus et inhabitantibus eversoque monasterio et ecclesia fratrum de Observantia sub moenibus, nimium premereretur, ecce secundo Gandenses in multitudine gravi vallabant locum et intulerunt plurima dampna. Non tamen cito bene munitus atque defensus locus expugnabatur; sed, insultu quodam amissis fere ccc, exercitus se retraxit in proximum villagium de Lapide Sancti-Johannis. Multa Brugis et praecipue Gandavi cum nuntiis regis Francorum tractabantur ad contrahendum foedus, quod absque consensu regis Romanorum et ecclesiasticorum ac nobilium communitati trium villarum Flandriae difficile concludendum restabat in eadem forma qua prius anno LXXXII<sup>o</sup>, Jacobo de Coppenolla cum adhaerentibus aspirante ad regimen patriae, qui secum assumptis Philippo Wylandt, Philippo de Zickele et ceteris Ypris legem ex parte communitatis creaverunt, Brugis etiam Johanne de Ryebeke cum complicibus in adventu suo animante multos ad motionem continuandam. Quare publicum forum adiens singulis ibidem arma levantibus aureum protulit. Nam et ex Franco viginti et septem signa bellica tunc praeter alia collocata servabantur, nec resta-



bant insignia singularum decaniarum allata ut viderentur pro confusione quadam, eo quod rex Romanorum jocalia illa, paulo antequam in arma ruisset, expetierat, quae praecipue fuere occasio totius mali. Pollicitus enim erat schultetus magister Petrus Longicollus ut armis ad hoc regem juvaret quatenus optento theatro magna pars satellitum gardiam regis dicti per portam unam introduceret ad rem perpetranda. Non penitus villam incineranda aut spolianda, ut vulgares intellexere, patebat hoc examine penultima februarii trucidatorum. Itaque discutere coepit praefatus Johannes de Ryebeka similia, necnon computa villae a tempore fugae suae, quibus, ut ferebatur, areragia multa ratione gubernatorum repperit sub rege Romanorum imperantium, de quibus ipse scriptor nequivit ad liquidum cuncta referre. Sic breviter vice versa qui detrusi superioribus annis erant, modo resumebant imperium; necdum tamen obedire plane West-Flandria voluit eorum imperio, forsitan ad neutralitatem parata donec fortuna se negotiis inclinaret regis. Pro quo Philippus de Cliva, dominus de Ravesteyn, et praecipue Trajectenses, Frisones, Clivenses, Rhenani, Ghelrenses cum nobilibus inferiorum patriarum arma gerere videbantur. Quae dum fiebant, ecce sanguis Arenbergensium denuo prodiit et hyatus pandit, contra quos Brabantini suas oras tutare curabant, sed inter eos Lovanii orta est dissentio. Quam ob rem, nisi strages illa famosa quae Bulscamp nominatur in foribus adesse testetur, non credidit scriptor illam suis diebus esse veniendam. Nam et altera martii, quae fuit dominica Reminiscere, Gandenses et cum eis in vallo ante Hulst, et quidam in fuga versus morum, quidam etiam intercepto itinere haud longe ab ecclesia Sancti-Laurentii de ballivatu Saeftinghe. Capitaneis Johanne bastardo de Nassoua, Karolo de Saveuze et alii numero fere cccc equestrium et viii<sup>e</sup> peditum de parte regis diluculo exeuntes, omnes trucidabant et incendebant inclusos in tentoriis, etc.

Tertia martii, dominus Mathias Speyaert, publice captus in itinere, vir septuagenarius, quondam decanus major villae Gandensis, deliberatus est per seditiosos Brugenses ipsis Gandensibus qui, examinato eo, mox eum primo, deinde mox alios ex majoribus et honestioribus obtruncaverunt, quorum haec nomina : Michael de Vroede, Johannes filius Johannis Hutten-Hoven, Petrus Goezin, Petrus Bonetsin et dominus Johannes de Fossa, miles, Dyonisius Saren, Judocus Rits, Judocus Netezone, Johannes de Wilde. Hii

omnes extracti, nocte jugulati sunt, et mane corpora inventa sacris locis. Illico Johannes de Coppenolle sub titulo primi camerarii regis Francorum, pacem proclamari fecit in dolo ut postea patebit, etc. Accusatus etiam dominus de Dudzeele, Brugis decollatus est vii<sup>a</sup> martii. Coeperunt igitur omnia in sanguine versari. Supervenit dominus de Chantrayn, et pervagata ora maris ex Slusa, post vinctos aliquos, illis de Hulst sese junxit. Mandata sunt publicata ex parte trium principalium membrorum ut omnes obedi-  
rent tribus villis aut alias per brachium regis Francorum compellerentur, et realiter ix<sup>a</sup> martii apud Novum-Portum fuit nuntius regis Francorum requir-  
rens ante x<sup>um</sup> diem sibi dari responsum an pro eo stare vellent et ipsis tribus villis adhaerere. E converso, Jacobus de Foxsole, capitaneus Brogburgensis Bergis, Furnis, Duunkerka et in Novo-Portu mandavit terra marique: Pa-  
tent insidiae, ut tota continuo Flandria suis hostibus sit conclusa. xii<sup>a</sup> vero Martii, dum Brugenses intenderent reformare legem apud Oosthende et alibi in Franco, Daniel de Moerkerke, miles et supremus ballivus Flandriae, capitaneus opidi Bergensis, publice causatus accusavit in foro malam et pessimam fovere causam tria membra. Nisus est deputatos ad novos  
creandos legislatores ubique sibi captivos reddere, unde contra jussum illorum quidam de Novo-Portu transitum sibi dedere; de qua re moti Bru-  
genses non suos ausi sunt emittere, timentes ut tota West-Flandria ipsis contrariaretur. Sed eo non obstante, quamdiu portus de Slusa non impe-  
diret transitum, in ipso domino de Chantrayn confidebant; qui Rolandum Fabri, receptorem generalem Flandriae, dominum Judocum de Wassenare, necnon aliquos alios versus Hulst, captivos duci fecit, eo quod Brugenses Jacobum de Heere, cum quibusdam aliis ceperant, videlicet Willelmum Houtmart, Nicholaum de Delft, etc.; quibus punitis, ex Machlinia des-  
cendit dominus de Fontanis, per salvum conductum, ut regem ex parte principis et filii sui salutaret ac de statu suo posset veraciter informari. Nam quod male tractabatur pater, filio fuit relatum. Cujus dum contrarium accepisset, soluto concilio quod Machliniae servabatur, datis obsidibus ab  
utraque parte, certa dieta Gandavi observata fuit a xiiii<sup>a</sup> martii usque in alios sequentes dies mensis ejusdem. Ibi primo dominus de Bevere, de Brugis profectus apud dominum Johannem de Gruuthuuze comparuit, etc., ut pax cum Francis accordata Machliniae in formam et modum debite confirma-  
retur. Cum igitur Gandavi deputati omnium villarum et patriarum com-

parere non auderent propter certas causas, heraldi tam regis Francorum quam Romanorum et praecipue Philippi juvenis principis, dietam apud Bruxellam transtulerunt ut ibi pax concluderetur. Interim Brugis, seditiosa motione plures accusabantur et puniebantur, ubi tamen Nicholaus de Delft, post torturam, vitam de speciali gratia impetravit; sed Johannes Vanden Keere, Petrum Longicolti, compatrem suum, suptiliter tradidit, apud quem hospitio receptus fuerat Petrus ipse, de quo suis locis nephanda referri possent et in consequentibus aliqua relaturus est scriptor relictis objectis aliis. Fuerat enim in banco legis villae Brugis praefatus Johannes Vanden Keere, saepiusque mandari de inquisitione Petri supra memorati audierat ut quicumque proderet eum *l.* aut centum libras grossorum in siccis reciperet denariis: verum quia rumore cujusdam viri prophetes multi dixerunt malignum spiritum eundem Petrum esse, *v<sup>ta</sup>* die prodidit eum, et accidit ut *v<sup>ta</sup>* die Johannes assistens in conventionem legiferorum aperuit rem jamdiu celatam, sed palliando per edictum extremum, videlicet si quis eum ea die proderet ubi esset, summam *c* librarum reciperet gratis, sin alias post hanc diem omnes et scientes et apud quos vel quocumque personam repertus esset, domus illa, cum omnibus in ea, publice interiret. Circiter igitur *xv<sup>ma</sup>* die martii in sabbato, dictus Johannes cum provisione satellitum Petrum, relictis eis ad insidias, ingressus domum, ipsum eduxit tanquam armigerum in crepusculo die, qui mox ab insidiatoribus interrogatus quo diversurus esset, respondit: « Ad forum, ad forum, » voce muta cum arcu supra spatulam. Subdunt continuo ceteri: « Vere nobiscum ad forum ibi- » tis! » et illudentes eum traxerunt ac tota nocte vexaverunt. Sequenti vero die, dominica scilicet Reminiscere, torturae fuit mancipatus. Priusquam autem caperetur, populares existimabant eum in hospicio Dunensi aut apud Augustinenses latuisse, quare clamabant illico tolli papas de locis suis et bonis spoliari, etc. Cumque res aliter inventa esset, domno et praelato Dunensi super molestiis indulgeri sibi requirebant. Captus ille qui tradidit eum, mox fuit; necnon conjugis ejusdem Petri pater, dominus videlicet de Poucke, terrae Franciae burgimagister effectus. Dominus autem de Praesepio qui et de Lichtervelt nominatus est, creatus est ballivus de Furnis, et depositus est a supremo ballivatu dominus Daniel de Moerkerke, alias de Meruwe, subrogato alio, etc. Fertur proinde Romanorum regem emancipari debere de custodia trium membrorum Flandriae designatorum in ejus

praesentia Brugis, juxta domum magistri Johannis Gros, quondam cancellarii Burgundiae, sed quia tam enormia cotidie de praedicto magistro Petro audiebantur, servatus adhuc erat, quousque nichil ultra remanserit in Petro fatendum. De fatali modo promotionis ipsius Petri sciendum quod, cum genitus esset a scrinifico lignario Brugis, eleganti suo ingenio, fratrem professum apud Augustinenses in Brugis promovit et in monasterio de Doest stabilivit, quem dompnus Henricus, loci abbas, Parisius ad preces Petri misit forsitan, et eum vel in ordine Cisterciensi vel alibi sublimare cogitavit, etc. Hic Petrus, arte ut vulgariter dicebatur mala, de clerico pervenit sive de servili conditione ad nomen magisterii; deinde suscitavit eum curia regalis ut ab humilibus officiis ad magistrum compotorum et receptorem finantiarum assumeretur sub duce Burgundiae Karolo, cujus mortis reus accusabatur, cum apud Lucemburgiam retardavit denarios pro stipe collectos ad solvendum militibus, et, quia non in tempore directi essent, milites eum et stipendiarii in mortem reliquerunt; unde certificatus de magisterii nece quitantiam de recepisse sommam octuaginta et v<sup>m</sup> aureorum magistro Symoni de Carest tradidit et sibi totaliter retinuit. Dominica igitur Lactare punitionem primam in tortura magister Petrus recipiens, inter cetera, cur id genus puniendi addidisset, interrogatur. Respondit se tales aliquando malefactores habuisse, qui non poterant aliter induci: « Neque vos veritatem » absque probatione, subdiderunt alii, fateremini. » Fuit igitur in altum erectum istud ingenium, ut eum continue prospicerent omnes puniri, qui praeter accusatos horrenda scoelera sua detexit, etc. Accusavit enim Rolandum Fabri, receptorem generalem Flandriae super multis articulis, necnon Theobaldum Barradoch, secretarium, praelatos de Sancto-Benigno et Sancto-Bertino, cum multis aliis, unde solutis legislatoribus a captivitate citra tres annos promotis inventa fuit villa Brugensis areragiari in xxii<sup>m</sup> libris grossorum ac vi<sup>c</sup> aureis coronis. Accessit autem de Francia in Ypram magister Tristannus de Balliolo, qui una cum certis deputatis de Gandavo et Brugis reformavit novos legislatores in Ypra, nomine Philippi principis, per quem articuli pacis ejus nomine publicati de novo diversis in locis fuerunt, etc. Quibus adhaesere patriae dicti Philippi principis, praeter Antwerpiam, Teneremondam, Alostum, Aldenardam et Hulst. Postquam autem magister Petrus Longicolti, praeter intraneos patriae Flandriae accusatos, etiam marchionem Antwerpiensem reum et capitaneos quosdam

accusavisset, Brugis in omnium conspectu neci traditus est circiter xxiii<sup>a</sup> martii. Laboratum vero mox erat ad emancipationem regis Romanorum, quae dilata fuit ob certas causas. Requirebant enim Brugenses omnium armigerorum expulsionem et Slusam libere cum castris resignari, quod etiam capitanei de West-Flandria revocarentur ut consueta mercimonia transitum haberent, et quicumque captivum adduceret dominum de Meruwa, c libras recepturus erat, eo quod esset accusatus et regi plurimum obnoxius fuisset in stipendiis. Pro Philippo vero de Hondeghem, promissae fuerunt L<sup>ra</sup> librae grossorum, monetae Flandriae; quotquot tamen magister et dominus Petrus Longicolli accusarat, ut dicebatur, absolvit antequam ictum gladii susceperat, et confessus est coacte cuncta quae perpetraverat, per collaterales regis egisse. Fuit autem caput palo infixum et supra portam quae respicit Gandavum, erectum; corpus, instantia domini Johannis de Nova-Curia, militis, ejus dudum sororem duxerat et filios reliquerat, apud capellam in ecclesia Beatae-Mariae traditum sepulturae. Tunc deputati de Gandavo personam regis petierunt aut assecurari si quid mali postmodum irrogare disposuerit illis, etc. Unde Brugenses attoniti sese diutius in armis continebant, non ignorantes quod imperium affectabant sibi usurpare. Brugenses, vero domino suo naturali principi deferentes honorem, absque eo pacem dicebant non concludendam cum adversariis, nisi similiter, ut prius, tres status omnium patriarum et villae principales consentirent; quae fuerat causa dissolutionis concilii Gandavi observati primo, deinde Machliniae. Clamor igitur plebis attollitur undique quorsum dissensionis hujus tenderet livor. Proinde Brugenses ad occidentuam partem Flandriae nuntios emisissent ut sub eis comparerent; capitanei dissuadentes Bergis, et in Duunkerka contra eos insurrexerunt cives, in vigilia dominicae Annunciationis. Nichilominus publice dixit primo Bergis supremus ballivus, de quo supra, populo convocato cuncta in dolo machinata fore per Gandenses et eis adhaerentes, ut repulso garnizonno Criefcuer occidentuam Flandriam primo, deinde cum tribus membris totam Flandriam in manus regis Francorum resignaret, una cum patre rege Romanorum; quo habito filius bene traderetur, etc. Ad hanc vocem vulgus prodiit, et quemdam Johannem de Eeckhoute subornans, unanimi clamore se diutius sustinere nolle garnizonnum, neque posse plus contribuere ad manutenendum ipsum: quo ballivus supremus mitigatus petiit sommam vi<sup>o</sup> coronarum ut stipendia reciperent armigeri

priusquam licentiarentur. Vulgus vero refutans paravit tenere cum civibus forum, at ballivus declinans furorem aufugit cum omnibus suis in Brogborch. Veruntamen [ignoratur] an ballivus sciret, sive dominus Jacobus Foxsole, cujus matrem ceperat uxorem dominus Rolandus de Halewin.

Vigesima-sexta martii Foxsole subrogatus Furnensis ballivus totum garnizonnum circa Furnis in dunis et censis nostris, quousque per eum revocaretur, omnes remorari fecit, pollicitus a domino Johanne de Coppenolle talem sommam pro stipe debitam fore ipsis refundendam; sed defecerunt scrutantes scrutinio. Cumque perditionis homo praefatus Johannes ad cor altum ascendisset, subito Gandavi rumor factus est cum deliberatione benevolentium virorum quibus res cordi erat, quod Egidius de Palude, Johannes de Rantere, necnon domini milites de Reeseghem, Leonellus de Masseine et domicellus Adrianus de Liekerke ceterique mutuo ligei cum rectoribus villae Brugensis et Yprensis imperium desumpserant, etc. Dum haec fierent in Flandria, ruinam magnam in strage et sanguine multo Franci contra Britones, Almanos atque Anglicos passi sunt, primatibus et nobilibus regni caesis et captivatis. Novam etiam guerram denuo relevarunt Arenbergenses propter episcopum Johannem de Heurne, cujus fratrem comitem de Huerne peremerunt, fuitque causa electionis origo guerrarum, quare capitulares elegerant dictum Johannem et non filium Philippi de Croy, virum dignum, qui praestam tam magnam denariorum eidem Johanni episcopo fecerat, quod ad solutionem pertinere nequierat. Hinc cum Francis per Philippum de Criefeuer missis una cum ducibus Lotharingiae et Ghelriae, Anthonius de Croy tanquam invitatus in Leodium ascendit et receptus fuit atque intromissus. Quod cum episcopus Johannes audisset, per Hasselt sese recepit in Trajecto, sed Aquenses ipsum continuo et cives impetierunt, cessitque sic Arenbergensi Leodium, et Ghelria domino suo naturali duci Karolo necdum a captivitate Philippi de Criefeuer absoluto. Apud Bruxellam in Brabantia conventio patriarum observabatur, ubi deputati de villis Flandriae ex Gandavo, Brugis et Ypra convenerunt ad audiendum articulos pro bono pacis in praesentia Philippi principis et suorum proponendos, et convenerunt satis ut emanciparetur Romanorum rex et pater dicti principis, licet Johannes de Coppenolle subtiliter eum maluisset regi Francorum deliberare. Convenerunt etiam ut a guerris fieret abstinentia et a suis locis stipendiarii levarentur, etc. Sed illi de Hulst ad praefixam diem quaerebant

sibi responderi super regis deliberatione. Similiter dominus de Chantrayne requisivit, nisi III<sup>a</sup> aprilis laxaretur rex ad divinum officium in sancta ebdomada, continuandum sub bona custodia motionem exinde posse sequi, etc. E converso decani vel deputati tunc rectores opidi, regi confessores, pro libito, ordinabant, quorum alter de Gandavo, quondam Parisius collega scriptoris, bullatus doctor erat magister Johannes de Oya; nec dimittere regem ex clausura volebant, quod utique multis displicuit opidanis, et quantum nocuit opido Brugensi vel subditis eorum, non est existimandum. Cum autem stipendiarii de Hulst omnia vastassent ab orientali parte ultra Gandavum, temptabant partem occidentalem et australem incursare, venitque marchio Antwerpiensis cum aliquot navibus ad portum Slusae ut jungeret se domino de Chantrayn, deditque negotiatoribus ad portum praefatum ne Brugis aliquae mercimoniae veherentur, impedimentum, et libenter opidum de Dam conclusisset, apertissimum Brugensibus receptaculum et orificium per quod omnia ferme maritima convehenda Brugis velut in ventrem transeunt. Substitit nichilominus dominus de Chantrayn, cum legationem notabilium de Brugis apud Slusam perbenigne recepisset et audisset excusationem quia rex emancipari non tam cito debuit. Pacifice remisit deputatos, post quos in egressu stipendiati quidam traxere lapillos, etc.; sed jussu domini de Yzelsteyn desistebant ab incepto. Referentibus igitur deputatis concivibus suis lacerationem, in exitu minime poterant induci decani negotiorum ut rex absolveretur, sed si per vicos publice cum deputandis dignaretur vagare pro recreatione quadam et aeris mutabilitate et alteratione possibile sibi concedendum ex gratia speciali, etc.; quod quidem regi displicuit quaerenti an vellent eum obsequi sive servire sibi deputandis carnificibus, fabritiis et ceteris infimae conditionis popellis. Itaque res ad Gandenses defertur, qui jam quosdam ex Francigenis intromiserant ad resistendum hiis qui apud Alostum, Teneraemondam et Hulst, incolis et subditis ferro, flamma, praedationibusque gravissima dampna cotidie ingerebant cum sanguinis effusione non modica diversis in locis, videlicet in Houthem, Eecloo, Caprika, Asseneda et patria Wasiae, quae penitus conflagrata supra multorum hominum aestimationem despoliabatur ut paucissimi reperirentur ex praedonibus Almanis, Brabantinis, Hannoniensibus et ceteris pro jure regis pugnantibus, qui non ditati auro et argento patriarum ornabantur. Unde Francigenae potius eorum spoliis quam propul-

sationibus intenti cum Gandensibus eos incessanter insequabantur. At hostiliter adversantes alii quocunque poterant internitioni eos dabant aut captioni. Cumque res acueretur in diem ob dominicae Passionis atque Resurrectionis celeberrima tempora, deputati de Gandavo, Brugis, Ypra, Insula, etc., denuo Bruxellae coram concilio juvenis principis comparebant, ubi multis de pace ventilatis omnino Gandenses a rege tolli petierunt mamburgium atque regimen patriarum et locorum filii sui, nec persuaderi poterant ut pater gubernacula filii sui resumeret; placuit nichilominus assumi eum cum illis qui de cetero filium gubernarent tanquam univocum de concilio, aut alias sibi talem assignare provisionem qua merito decet regem incedere ad honorem et decus imperialis majestatis, et ubi tandem hiis aut similibus argumentis nichil in dieta conclusum sit, Gandavi revocandi omnes erant status patriarum ubi cum certis a rege Franciae deputatis tractari posset materia, etc. Sed nobiles indigne ferentes sequi voluntatem subditorum, recusabant venire, ex quibus aliqui se paratissimos ob concordiam offerebant, alii versus Hagam Hollandiae se retraxere, ubi dux Clivensis erat, cujus avunculus, dominus Adolphus Clivensis, alias de Ravesteyn, cum Philippo filio, Philippo de Burgundia, domino de Veris, Johanne de Egmonda, domino de Yzelsteyn et aliis multis, ad quos dominus Johannes de Gruuthuize profectus est ut secum dignarentur redire in Flandriam, qui dum per Machliniam iter ageret versus Gandavum, jussu dominae Margaretae, relictae ducis Karoli, retentus fuit, tanquam Romanorum regi contrarius et infensus. Nichilominus praenominati domini nobiles ad bonum pacis applicuerunt in Slusa, ubi se dominus de Chantrayn cum stipendiatis tenebat, et inde nuntiatus est Brugensibus eorum adventus et quod ingressum petebant ad regem, sine quo pacis formam concludere volebant, nisi praesentialiter ipse consensum in eam praerberet et consigillaret; sed, quia cum magno numero ingredi quaerebant, praevalere posse rati supra se, seditiosi quidam omnimodo refutabant, et apud Damvico ordinabant ex Franco tueri locum et in praesidiis ad certum numerum hinc inde collocabant stipendiatos, ne opido Brugensi fieret inopinatus assultus, quoniam apud Slusam applicuere cotidie partes regis, et timor invasit eos uti in visceribus propriis laterent quamplures ipsi Romanorum regi favorabiles, etc.



1488.

Annus iste mirabilis terminationis ubique recolitur, tum in spirituali, tum in statu vulgari; nam et sanctissimus noster Innocentius octavus in Urbe multas tribulationes perpressus est, et a vulgo seu servilis conditionis populo nobiles atque rectores pluribus in locis oppressi fuerunt, unde vulneriferae plagae praeter hostiles invasiones principum evenere. Sed inter lares natalis soli scriptor eminens quae testari fas erat, in primis tangenda continuabit in universali. Nam, cum apud Saeftinghe castrum pro rege Romanorum servaretur, frequentabant navigia marchionis Antwerpiensis ut Hulstensibus stipendiatis inferrent victualium provisionem. Aldenardenses etiam et Curtracenses qui paulo ante visi sunt deferre Gandensibus obedientiam, paulatim eam substraxerunt eo quod capitanei Francigenarum introitum quaesivissent, prout libenter Johannes et Franciscus de Coppenolle fratres persuasissent. Cumque feria quarta paschali dierum in Machlinia corpus sancti Rumoldi episcopi et martyris in tumba petrosa reconditum solito more festivaretur, Gandenses cum Francis insidianter, praemissis aliquibus, juvenem principem regis Romanorum filium suptiliter conati sunt intercipere, etc., quos fortuna fefellit. Postea partes hostiles occurrere ut frequenter inter arma contigit, illinc caesis, istinc captivis abductis et publico spectaculo Gandavi jugulatis. Tetrum et horride gestum utriusque, quod accidere potuit, evenit. Brugis convenientibus seditiosis apud Eecho-tensem ecclesiam, ordinatur inutilis combinatio vagantium pro praeda. Captus et liberatus Johannes de Nova-Curia Gandavi destinatur, qui utinam apud conservatorem suum dominum Philippum de Burgundia, dictum de Bevere, in Veris Zelandiae resedisset; captus extitit, et unus de hiis qui apud Hulst a Nicholao de Hossere avolasset, etc. Cives Bergis Sancti-Winnoci videntes se non posse quacunque divertere quin caderent aut inciderent in manus servorum supremi Flandriae domini Danielis, eum revocaverunt cum hominibus suis ad tutelam loci, domino Judoco de Halewin, ballivo opidi, persuadente, cujus nepos Karolus de Halewin capitaneus fuit opidi de Duunkerka. Furnis autem ex parte regis Romanorum ballivus erat dominus Jacobus de Foxsole, qui continuit locum illum pro dicto rege, non permittens Brugenses accedere pro victualibus solito more comparandis

et reducendis. Porro dominus Rolandus de Halewin apud Gravelingam locatus tuebatur locum illum. Itaque cum Brugensibus dumtaxat illi de Franco senserunt, quorum capitaneus dominus de Poucke fuit designatus; sic de statu West-Flandriae scriptor prospicere potuit. Interim quae fiebant apud Gandavum et subditos ejusdem villae pauca referre nisi ex relatu valuit aliorum, cum fortissimae contentiones erant inter ipsius villae rectores, ne rex Romanorum emanciparetur. Verumtamen, circa dominicam post Pascha Quasimodo adhuc supra centum ex Francigenis de Attrebato receperunt. Porro circa dominicam Misericordia Domini, dieta parlamentandi designata fuit Gandavi, nec comparere voluerunt ibidem domini quamplures. Dominus Adolphus Clivensis, cujus filius fere cum m<sup>e</sup> equis die Marci Evangelistae ante Novum Portum veniens prohibitus fuit ingredi, hoc indignanter tulit. Versus Slusam ad alios iter torquens, requisivit intromitti Brugis, ut cum rege loqueretur; nec vulgus assentire voluit, armis aptatis. Ita rex nisi mortis ymaginem prae se ferre videbatur, intentabant enim omnia mortem, etc. Verum continuo de Gandavo nunciatum est patrias conventionis Brugis observandae proxima die exaltationis Sacri Sanguinis et crucis dominicae, cunctis nobilibus et deputatis omnibus alia designatur dieta. Interim apud Novum-Portum supremus Flandriae ballivus dominus Daniel de Moerkerka et Karolus de Halewin, capitaneus de Duunkerka, pro reformatione legiferorum ex parte domini Philippi de Ravesteyn, supremi regentis Flandriae, cum certo numero virorum fuerunt intromissi. Brugis etiam intromissi fuerunt Adolphus de Cliva et Philippus de Bevere, dominus de Veris, pro concordia tractanda, ut rex emanciparetur et honore servato restitueretur pristino in gradu, etc.; sed Gandavi intertractando cum singulorum opiniones depositae essent, et hii qui de sanguine principis copiam tradi sibi super hiis quae [dixerat] Willelmus Zoete, pensionarius villae Gandensis, petiissent, eo quod oratio viri tangebatur regalem majestatem acrimonia qua calumpniatus est potius regem arestari donec restituisset ablata quam indempnem cum dimitti, etc., addentes quod nequaquam ultra Gandavi convenire vellent, sed si Brugis aut alibi conventio servaretur, maluerunt eligi xii aut xvi pro tribus villis Flandriae ac totidem ex hiis qui de sanguine principis affiniores essent absque dilatione ad finem ut expedirentur omnia, priusquam Flandriam gens regis Romanorum ingrederetur,

quae per Brabantiam jam continuo descendebat, et jamjam sub dominis capitaneis parati stabant apud Boudeloe, Hulst et circumquaque usque ad portum de Slusa. Quo in loco Philippus de Ravesteyn supremus et generalis Flandriae defensor cum suis moram traxit, cum pater Adolphus cum esset senio fractus et omnino debilitatus, una cum domino Philippo de Bevere plurimum laborabat ad bonum medium reperiendum quo Gandenses vellent consentire tam in pace generali facta anno LXXXII<sup>o</sup> cum Francis, quam facta anno LXXXV<sup>to</sup> cum ipso rege Romanorum super tutela filii sui, etc. Insuper obligabant se nobiles et status ecclesiasticus in omnem abolitionem de quibuscunque injuriis in personam regis vel in officarios ejus irrogatis; in quo consenserunt pro statu Brabantiae se obligare similiter reverendus in Christo pater dominus Affligemensis, dominus de Busco Rosarum et ceteri deputati continuoque guerrarum cessatio proclamatur: nichilominus Bertholomeus quidam civis in Gandavo in errore suo cum Francis obviandum omnibus ordinationibus salubrius fore dixit, etc.

Ipso die Exaltationis sacri sanguinis Salvatoris ac pretiosissimi ligni crucis, Romanorum rex Brugis processioni parumpar interfuit, quousque rumor popularis eum decrevit mancipare pristinae custodiae, tum quia difficilis conclusio pacis Gandensibus visa sit, tum quod homines se continere non possent cum regem Romanorum reclusum audirent, necnon arrestatos arbitros pacis, dominos Adolphum Clivensem, Philippum de Burgundia, dominum de Veris, de Bevere, etc. Quod ut nuntiatum esset aliquibus notabilibus illis continuo stare periculum in foribus, se retraxere. Verumtamen magister Paulus Baenst, praesidens Flandriae, necnon alii civium, apud Ypram intromissi fuerunt. Apud Novum-Portum vero, cum ad illos de Franco tanquam deputati de Brugis ad contrahendum eos in arma missi essent, milites Karolus de Halewin, dominus de Huutkerke, dominus Petrus Meynteney, schultetus, Arnoldus Breydele, cujus pater superioribus annis obruncatus fuit Brugis occasione regis Romanorum, Willelmus Houtmart et quamplures alii redire dubitantes in praefato opido recepti fuere. Trepidatum est illico Brugis, et ad arma cuncti dato signo provocantur, creatoque novo capitaneo domino de Lichtervelt, alias de Praesepio, populus ad resistendum fautoribus regis Romanorum eductus est. Mandaverat rex Romanorum supremis capitaneis assecuratione data ut ad ipsum diverterent, quibus e converso remissis ad suos, mox castrum primo de Brootshende,

deinde Ardenborch et Middelborch, necnon circumquaque Brugis incursum est. Brugenses significaverunt Gandensibus gravamen extraneorum; illi parabant opem ferre, tam ex inhabitantibus, quam Francis novissime intromissis ad maximam stativam campestem observandam. Interim regales oras maritimas incursant et depraedatis villagiis opidum de Dam conati sunt accipere; saepissime erumpentes partes occurrerunt. Cumque v<sup>a</sup> maii homines regis Middelborch in Flandria cepissent, exeunte capitaneo Brugensi qui captivus acceptus est a communitate, qui ad ccc fere de Gandavo cum Francis ante portam Sanctae-Crucis stare per moram aliquam, priusquam aperturam daret, permisisset, indignati Gandenses, auditis dumtaxat esse paratis 11<sup>m</sup> ad occurrendum Almannis, vix spatio trium horarum ad invicem conferentes retraxere se; unde rex Romanorum excusando se purgavit, dicens non sua culpa actum quod evenerat, cum nil citius quam pacem duxerat expediendam. Datis igitur induciis, mandatur a patre Philippus de Ravesteyn, Brugis ut compareret, etc. Ignorantes haec capitanei regis in West-Flandria, Daniel de Moerkerke, dominus de Meruwa, supremus ballivus Flandriae, dominus Jacobus Foxsolle, etc., cursus suos in Francos agebant usque in Burgum-Vetus; et Johannem de Boonem aliosque revexere captivos in Brobborgh et in Gravelingam. Dominus etiam de Ligno et West-Fleterna, Dixmudam ferme cum 11<sup>o</sup> petiit ut opidum istud pro rege Romanorum servaret, ad cursitationes versus Francos et Brugis agendas; sed cives obstetere, etc. Significatum enim fuit per dominum Philippum de Ravesteyn, cujus genitor Adolphus Clivensis obses Brugis cum aliis effectus, ut emanciparetur rex a custodia ne per quemvis capitaneum temptaretur hostilitas. Spes ergo multos traxit in gaudium, sed utinam istud non illico rejecissent! nempe genitor regis Romanorum, Fredericus imperator, apud Coloniam et in agro ejus cum exercitu gravi descenderat, et magna jam pars stativam apud Aquisgranum et circumquaque tenuit, etc. Praecursores absque ductore Brabantiam ingressi per marchionem Antwerpiae redire cogebantur, et electissimorum sub distinctis ductoribus suis armigeri admissi sunt. Neque vulgus adhuc Brugense trepidari visum est, sed quos fratres appellavit Gandenses invitavit. Unde condicto factum est, si Brugis primum circumvallari contingeret, Gandenses ferro viam ad eos aperirent; e converso, si Gandavum, non deessent arma sive victualia vel quae necessaria pro posse subministranda. Fuit itaque periculo suo Flan-

dria suspensa, et aboritur metus quidam mentem multipliciter discerpens, cum humano generi pessima sors vitae a multis stetisset diebus, nec justi aevi methas hactenus attigisset, haud dubium dextera Dei reformanda jam instat; terrestris enim homo, velut ambigui generis, ipse in mare sese projicit, totusque arbitrii factus fortunae, modo si dicam furibundo, semper stimulis acerbis et morte pejoribus anxietatibus repletus. Quapropter honestum neque utile videbatur insanienti populo particeps dominationis fieri. Nempe scribendi ista satietas suggestit, et haec scriptor in Dunis, veluti de sublimi spectaverit, auspicatus est. Ceteri vero, qui periculum fecere, quanto exactius populus ingratus, morosus, invidus, crudelis et immodestus, maximeque insolens, et huic quicumque assentatur multo miserior, quibus quidem torqueri defectibus simile est, veluti si Scillam quis aut Centaurum reformidaret, quae tamen nunquam sunt ad exitum affutura, eo quod exeuntium rerum dumtaxat metus est. Ubi vero quis docta haec verba dixerit, ex ea quae nunc regnat garrulitate, scriptorem addidisse, quasi quaestus illiciendi crepuerit hanc orationem, non sic intelligant fratres ut errabunda jam mens ducatur ipsius. Etenim captiosis nequaquam sistitur verbis, sed illis acquiescit solum quae valeant mentem usque penetrare. Tristes enim reddet omnes amissio bonorum temporalium, quibus est nobis tam ingens sollicitudo ut eorum privationi substituatur omnis sensus; sed quisquis bona temporalia amittit, mala profecto patitur; cui autem non est, nichil ejus quo privatur, neque ullus in eo dolor, quia nullam laedentium notitiam ei locus in quo est, exhibebit. Quod si non per imprudentiam ab hiis potissime temporibus unum aliquem sensum homines cum morte componere viderentur, non tam metuerent amplecti pacis foedera quam totis ea viribus tutarentur cupidissime. Nunc ipsi se subvertunt, amissum iri potius temporalia quam animam metuentes, et hoc ipsum non sentire quod alios alio se sensu illos comprehensuros putant. Transibunt tamen, non in mortem sed in immortalitatem, non in amissionem bonorum, sed in sinceriores eorum perceptionem; neque ad voluptates mortali infusas corpori, sed ad eas proficiscuntur quae sunt ab omnibus purgatae molestiis, ubi nulla fatiscientia quietam et placidam peragent vitam.

Penultima proinde mensis aprilis apud Gandavum servabatur dicta statuum omnium patriarum. Praecipue tamen deputati de Brabantia, Hannonia, Hollandia et Flandria convenere, conclusumque fuit ut Brugis

certi deputati mitterentur ad regem Romanorum et ad eos de sanguine filii sui qui nolebant Gandavi comparere. Verumptamen ad bonum medium pacis sequentes articulos Gandavum repetentes deputati congregatis ibidem optulerunt: primo, quatinus notabiles legarentur versus regem Franciae pro pace manutenenda de anno LXXXII<sup>o</sup>, comprehendendo ducem Britanniae et ligeos adhaerentes, declarando quod omnes patriae sic conclusum foedus requirebant interteneri; secundo, quod Flandria nomine principis naturalis et non patris sui regis Romanorum gubernaretur, et hoc consilio dominorum de sanguine suo ac notabilium, prout tria membra Flandriae advisarent et providerent, et quia tria membra Flandriae de mamburnio regis appellaverunt, parlamentum Parisius notitiam partium audiendarum haberet; tertio, quod patriae principis de cetero conditionibus istis gubernabuntur ut omnia demania et subventiones ordinentur ad finem ut status tam regis quam filii principis proportionentur suo modo ad manutenendum eosdem ut cum residuo persolvantur contracta debita, vel jocalia omnia principis, quae rex Romanorum impignoravit, recuperari valeant ac deliberari; et quarto, quod rex Romanorum Brugis deliberabitur in spectaculo forensi ubi omnes patriarum deputati petituri veniam de injectione manuum ac suae nobilis personae detentione, etc., praecipue tamen intranei de Brugis de offensis omnibus adhaerendo tribus membris indulgentiam petent, etsi non fuisset ejus persona retenta quod nequaquam detineretur, orando ne futuris temporibus occasione tali punirentur, impedirentur ac scandalizarentur quolibet modo; promittere quoque rex obligabitur ad sacramentum Dei, etc., talem abolitionem qualem Brugenses requirere velint, etc.; quinto rex ad actus jurabit pacem et praefatos articulos manutenere, patentesque litteras suas dare quae confirmabuntur sanctissimi nostri Romani pontificis auctoritate sub omnibus censuris et spiritualibus poenis, etc., etiam sigillis roborabuntur Caesaris et imperatoris, dominorum electorum, coriforestariorum imperii, necnon omnium dominorum de sanguine, etc., sed et firmiori stabilitate corroborabuntur signaturis deputatorum omnium patriarum tam praesentium quam absentium, conditione tali, si casu quovis ipse rex tractatui huic contraierit aut egerit, ut a juramento quod ipsi deputati patriarum sibi fecerant, absolvantur, et adhaerebunt omnes statibus Flandriae contra ipsum regem Romanorum; sexto, rex tenebitur omni diligentia quatenus ex

opidulis et locis ubi collocati sunt et ex Almaniam sive diversis aliis locis armigeri sui applicuerunt, cum effectu realiter recedere faciat; et quia stipendiis opus sit, dabunt ipsi de Flandria quinquaginta milia coronarum auri ad illico distribuenda in ipsorum recessu, etc.; septimo, ne tantummodo patriarum unio sed et locorum ac villarum Flandriae ad invicem sit communicatio, rex ipse realiter indulgere debet omnia quolibet modo sibi forefacta, et invicem ipsi de Flandria mutuo quaecunque possunt esse illata et irrogata, condonabunt, transibuntque singuli ad propria absque eo quod de differenti alter alteri molestiam inferant aut gravamen sub poena capitis. Ad hos articulos singulos per dominos de sanguine principis responsum extitit per *Fiat ut petitur* quia intollerabile dampnum principi foret nisi sequeretur unio pacis et patriarum adhaesio. Requirebant igitur nobiles de sanguine principis ut nec amplius admitterent homines armorum aut garnizonnum villae de Teneraemonda, Alost, Aldenardo, Curtraco, Slusa, Novus-Portus, Duunkerka et cetera loca in praejudicium trium villarum Gandavi, Brugis et Yprae, considerato quod per has parvas villas sigillata inconvenientia deliberata saepe fuere, principaliter in Hulst, ubi culpa Danielis de Tielt et aliorum intromissorum plura perpetrabantur, etc. Referri dumtaxat hoc scriptoris potius animus indicavit qualiter articulis praenominatis emancipatus ab arresto fuerit serenissimus rex Maximilianus, pollicitus tamen adimplere quae supra memorantur. Unde suas litteras misit Gandavum ad tres status omnium patriarum quarum ex gallico scriptor originaliter quod potuit extraxit. Erant enim ecclesiastici viri de Brabantia Gandavi cum aliis de sanguine illustrissimi principis et archiducis Philippi, quibus sic rex rescripsit : « Reverendi in Christo » patres, nobiles, excellentes domini ac speciales amici nostri. Nos com- » municavimus super articulis quos vobis per nostros praedilectos signifi- » cavimus Adolphum de Cliva et Philippum de Burgondia, dominum de » Beveres, et pro totali conclusione vos precor et adjuro per honorem » vestrum et juramentum conscientiae vestrae, quod sitis boni fideles se- » cundum Deum et naturam, faciendo extremam diligentiam pro pace et » tranquillitate de ista materia quam in vobis posui et vestris manibus » dedi ad honorem unici filii mei, vestrum quorumlibet et patriarum om- » nium absque partialitate. Deliberatus enim sum sustinere et habere » longam patientiam temporis; sed videte ne moveatur divisio aut guerra

» pro mora, quia esset mors mea. Et si moriar, filium meum patri meo  
 » recomendo. Sapienti pauca sufficiant, quod omnia breviter expedian-  
 » tur et fiant, quia tam vos quam nos scimus pericula, si mora longa inter-  
 » veniat. Scriptum Brugis per Maximilianum. » In superscriptione vero  
 cedulae ponebatur : « Nostris nepotibus dominis de Ravesteyn, de Bevres,  
 » de Gruuthuze, de Bergis, de Molembais et d'Aymeries. » Haec de copia  
 totali regis.

*Responsio regis Romanorum super certis litteris clausis ac diversis articulis  
 sibi pariter et dominis de sanguine directis per status patriarum, etc., et  
 trium membrorum Flandriae.*

Primo, Karolus VIII<sup>us</sup>, Francorum rex, suis litteris clausis et etiam paten-  
 tibus se offert ad generalem pacem bonam et firmam anni LXXXII<sup>i</sup> absque  
 reservatione aliqua deliberare tales provisiones aut assecurationes sicut  
 avizandum sit, de qua Romanorum rex bene contentus est ut ita fiat.  
 Quantum vero de duce Britanniae et ceteris, etc., rex est contentus de  
 responsione illorum de Flandria, hoc attento ut talis per eos diligentia  
 adhibeatur quatenus ejus honor servetur aut custodiatur. Item quod con-  
 cernit regimen Flandriae, rex Romanorum contentus est durante minori  
 aetate filii sui, nostri principis naturalis archiducis Philippi, quod patria  
 Flandriae gubernetur nomine filii sui per ipsos de suo sanguine et de  
 tali concilio, prout ipse rex una cum illis de sanguine necnon cum tribus  
 membris ordinabit et advisabit, renunciando mambourniae ac dando seu  
 resignando totum regimen in manus praefatorum de sanguine et de con-  
 cilio, etc. Quantum ad arma, rex dumtaxat defert arma regni Romanorum,  
 et ita nec ipsa neque tituli praecedunt adversum filium, etc. Quoad  
 gubernationem aliarum patriarum, nichil ad Flandriam; attamen  
 rex est contentus de provisione et ordinatione statuum earundem pa-  
 triarum. Et ita rex est contentus quod unio fiat in tractatu pacis quia  
 ignorat quid contineat; sed pro securitate se convertit ad deputatos sta-  
 tuum in Gandavo. Ultra contentus est de portione tali prout tres status  
 ordinarint ac de contributione tali prout tria membra praesentare velint,  
 attento quod residuum reservari poterit ad utilitatem filii sui, etc. Item de



jocalibus invadiatis, rex acquitationem tribus membris praestabit ad voluntatem eorum, etc. Item contentus est de reparatione honorabili. Similiter contentus est de summa acquitanda casu quo contra hunc tractatum ierit, et vult eum confirmari per tractatum Franciae, per patrem suum imperatorem, per omnes de sanguine, et quod litteras in hoc casu pertinentes deliberent. Item rex securitatem dabit negotiatoribus cum requisitus ab eis fuerit. Item quod gentes armorum et garnizonni recedant, pro quorum recessu rex orat rationabilem summam denariorum deliberari quatenus contententur, etc. Consentit idem ipse rex tenorem articuli de gubernatione Flandriae stante minoritate filii sui, etc. Consentit etiam in responso trium membrorum, nichilominus abolitionem requirens generalem absque reservatione aliqua et quod unusquisque indulgeat offensas et injurias in antea usque ad praesentem datam irrogatas sive sit in verbis contumeliosis et effectibus ut nunquam inde oriatur prosequutio, sed quod sopita sint omnia quasi non evenissent, et quilibet ad sua poterit in eo statu quo repererit manum ponere, unde in majorem assecurationem principes et illi de sanguine, de tribus statibus et membris, suas poterunt exhibere litteras; quod de cetero liceat pace frui et vivere absque quocumque regressu rerum ante actarum. Item rex accordat se praedictis omnibus articulis, hoc medio tamen ut restituatur libertati, videturque dominis de sanguine omnes has assecurationes in uno posse die compleri, et si longum tempus accipiatur, obligant se rex et nobiles de sanguine suo ut concedatur, et per avizamentum trium statuum atque membrorum patriae sit gubernata durante tempore minoritatis ac per patrias et diversa loca, quemadmodum alias sit ordinatum, suo tempore transportata, etc. Ad finem igitur, ut conclusio generalis reperiatur, deputati membrorum et patriarum requisierunt loco regis Romanorum obsidem dari sibi Philippum de Ravesteyn, qui apud castrum Slusae se receperat, ad quem pater ejus et Philippus de Burgundia profecti, tum optinuerunt, licet eo invito, ut Gandavum proficisceretur, quo, cum se recepisset, plures ibidem detentos de nobilibus et ecclesiasticis de consilio regis praefati liberavit, et sic res ad pacem deduci videbatur. Brugis etiam ingressi sunt dux Bavariae et comes Balnearum circiter x<sup>am</sup> maii, cum aliis multis, imperatore Frederico Coloniae relicto cum exercitu suo, cui ne descenderet renunciavit rex filius ejus. A data nichilominus x<sup>a</sup> maii usque ad xvii<sup>am</sup> ejusdem mensis juxta Brugis et cir-

cumquaque omnia loca depraedabantur et mala perpetrabantur enormia more guerrantium. Verum ubi regem armigeri deliberatum et emancipatum intellexissent a detentione sua, mitius agere videbantur. Comparuere tamen frequenter in armis, quos Brugenses totis conatibus arcebant ne vallo proximarent. Rex continuo de requesta civium usque castrum de Male egressus, capitaneos mandavit ut sub signis singuli convenirent ad stipem recipiendam, quam ipse rex omnibus distribueret infra triduum in exitu patriae. Sic reversus rex Brugis, susceptus laetanter cum processione solempni ac celebratione, sacramentum de manu episcopi suscipiens supra lignum quo salus humani generis pependit, juramentum praestitit, etiam manum ad canonem et sacrum porrigens eundem tractatum pacis inter tenere prout publicabatur cunctis audientibus et veniam orantibus in terram procumbentibus eo loco existentibus. Quem quidem tractatum pacis ex originali scriptor sub brevibus inserendis hic de gallico convertit in latinum sub benigna cunctorum aliorum translatorum correctione: « Uni-  
 » versis, etc. Nos tales, repraesentantes tres status ducatus Brabantiae, etc.,  
 » et nos, etc., ducatus Lemburgiae, et nos Flandriae, Hannoniae, Valen-  
 » chinarum, Hollandiae, Zelandiae et Namurei, etc., et nos marchionatus  
 » Antwerpiae ac domini Frisiae et Machliniae, salutem. Cum, pro con-  
 » servatione rei publicae maxime pax et amicitia mutua necessario requi-  
 » ratur, quae custos et mater omnium virtutum et occasio quod divinus  
 » cultus augmentetur atque in magna tranquillitate principes nobiles  
 » honorentur et in securitate negotiationes exercentur, ac econtra, ubi  
 » dissentio sit, cuncta disregulantur, frequenterque fit ut regna, provinciae,  
 » patriae, villae, castra, ad gentem transferantur alienam. Hinc a paucis  
 » annis et diebus in magnam confusionem patriae archiducis et principis  
 » nostri Philippi per dissentionem guerrantium transiere sibi in maximum  
 » detrimentum ac praesudicium omnium subditorum suorum, quas tamen  
 » ut obediens et fideles praeservare tenemur jure naturali per justitiam  
 » legum tam divinarum quam humanarum et sacrorum canonum et insti-  
 » tutionum. Quapropter ad reducendas has patrias contiguas praenomina-  
 » tatas in unionem et bonam pacem secundum ordinem et pollitiam  
 » justitiae jurisque civilis, nos unius domini servi suaeque ditionis, per  
 » maturam deliberationem de consilio et auctoritate ejusdem dicti nostri  
 » principis naturalis ac de consensu et scitu genitoris ejusdem illustrissimi

» latem nostri principis patriarumque suarum concludantur, omnes status  
 » singularum patriarum circiter prima octobris quolibet anno, durante  
 » minoritate principis, tenebuntur in uno loco aut villa patriarum deputata  
 » convenire de mandato ejusdem, et deputati tractaturi recipient singulas  
 » querelas ac omnium patriarum causas et depositiones. Eodem igitur  
 » anno quo supra, prima conventio Bruxellae servabitur prima octobris  
 » proxime ventura; sequenti anno Gandavi in Flandria, tertio in Montibus  
 » Hannoniae, etc., consequenter prout ordinabitur a tribus statibus vel  
 » consilio, etc. Item, quod dolendum est, quia non possunt hiis temporibus  
 » teneri dignitates aut praelaturae abbatiarum quin ab extraneis rapiantur  
 » in commendam, per quod divinum diminuitur officium, perit obedientia  
 » et universa confusionem religioni pariunt, promittimus ammodo obser-  
 » vare scripta juxta canonicas electiones, et ipsis commendationibus aut  
 » commutationibus beneficiorum sive provisionibus resistemus, etc. Item  
 » ut omnia firmiter stabiliantur hac intelligentia et confoederatione trac-  
 » tatus patriarum, nos deputati et quilibet nostrum sub sacramento sancti  
 » evangelii promittet non contrariari aut recedere ab ipso tractatu et liga,  
 » sed manutenere absque infractione ulla. Quod fieri volumus pariformiter  
 » ab omnibus tam institutis quam instituendis officariis, necnon ab om-  
 » nibus de sanguine principis qui sese obligabunt intertenere accordatio-  
 » nem et obstare cunctis qui contraire et machinari praesumpserint, etc.  
 » Quapropter ad perpetuam rei memoriam nos patriarum deputati sigil-  
 » lavimus tractatum pacis hujus, humiliter requirentes excellentissimam  
 » majestatem regis Francorum ut proximiozem ac plus apparentem, ratione  
 » reginae suae, sororis principis nostri heredem, ut de speciali gratia  
 » sua confirmare, ratificare et approbare majori sigillo suo generalem  
 » hanc ligam de pace, nosque sua virtute adjuvare requisitus, si opus sit,  
 » ad resistendum praestantibus impedimentum et punire via justitiae  
 » omnes hujuscemodi pacis infractores quotienscumque super hoc adie-  
 » tur. Item hunc eundem tractatum similiter requirimus tam per prae-  
 » sentes quam absentes principes et dominos de sanguine nostri principis,  
 » praecipue per reverendum in Christo patrem dominum divina provi-  
 » dentia David de Burgundia, episcopum Ultrajectensem, Johannem,  
 » ducem Borbonii, connestabularium regni Franciae, ac fratrem suum  
 » dominum de Bellojoco, comitem Clarimontensem, dominum Adolphum

» de Cliva et Marka, etc., Philippum, filium suum, dominum de Ravesteyn,  
 » de Thoralto, de Winendale et de Rollario, etc., Anthonium de Burgun-  
 » dia, bastardum, comitem de Rupe in Ardenna, etc., Philippum, filium  
 » ejus, dominum de Bevere, de Vere, etc., comitem, etc., Ludovicum, domi-  
 » num de Gruuthuze, principem de Steenhuze, comitem Wincestriae, etc.,  
 » et quoslibet alios, ut parentes et amicos sanguinis nostri naturalis prin-  
 » cipis archiducis, etc., qui hic non comparuerunt, ut consigillat tracta-  
 » tatum istum in testimonium generalis pacis sub qua comprehendi pos-  
 » sunt si velint vicini Leodienses, Ultrajectenses de diversis territoriis, etc.  
 » Haec Gandavi, xii<sup>a</sup> maii. »

Cumque Brugis referenda rectoribus darentur, in omnibus rex Romano-  
 rum se submitit. Verum dum ipse rex deliberari debuit, sui circumquaque  
 cum machinis ictus in oppidum emittere coeperunt, placuitque regi ut cives  
 similiter machinas adaptarent, et inter ceteros ibi percussus est ductor.  
 Continuo ad parlamentandum rex cum legiferis et deputatis egressus est  
 ad dominos illos qui se retraxere audito regis nuntio et heraldo donec  
 revocarentur. Octo igitur revocantur in planum locum quo rex constituerat  
 audientiam dare similem et recipere; deputatus ex hiis unus longum pro-  
 traxit sermonem et de contumeliis in regem filium imperatoris, postremo  
 subjunxit se certitudinaliter onus in commissum ab imperatore habere  
 omnia ferro et igne, nisi restitueretur libertati aut condigna satisfactio  
 eidem filio fieret, traditurum. Magnis exhibitis cerimoniais, deputati Bru-  
 genses praetendebant excusare se, timere tamen furorem vulgi. Ideirco rex  
 ipse verbum ex ore Brugensium cepit ac tantum egit ut ammodo cursus  
 ante oppidum non temptaretur. Et quia tractatus de pace habebatur, Gan-  
 davi manserunt obsides pro mantenentia comites Polanus de Valcken-  
 steyn, et Philippus, filius Adolphi de Cliva, alias de Ravesteyn, unacum  
 illis qui de Brugis illic ab initio motionis destinati fuerant. Igitur xvii<sup>a</sup> maii,  
 id est altera Ascensionis dominicae, Romanorum rex solempni loco receptus  
 est in foro, cunctis nobilibus ex clero et rectoribus oppidi inferius jacen-  
 tibus, civibus pro venia delicti quod manus imposuerant in regem efflaga-  
 tantibus, prout magister Petrus Comitum pensionarius referebat, sub multis  
 articulis pax et concordia sacra communione et juramento firmatur. Dum-  
 que peracta essent haec omnia, rex ad prandium sibi paratum in domo  
 Johannis Cancel deducitur, sed iterum malignantes a foris Alemanni accla-

mantur in dolo esse, etc. Sequenti die rex, cum deduceretur in via qua burgimagister Gandavum tenderet, ab ipsis Alemannis captus est ac pro v<sup>c</sup> libris grossorum liberatus, cui nomen Judocus Deckere. Rex itaque petiit supra oblatam summam xxv<sup>m</sup> totidem assignari sibi, cum quibus denariis in propria persona se praesentavit educere omnes homines suos, et realiter sequenti die cum illis profectus est, transiens Ardenburgum, Axellam, Hulst, et in Antwerpia dimisit quamplures. Ascendit autem ad filium suum ubi patrem imperatorem expectans non rediit in Flandriam.

---

## ADDITION.

*De visione in qua magister Ægidius de Roya apparuit Adriano But discipulo suo* <sup>1</sup>.

Dum in exacti temporis solamen aliquando mecum lare secreto tractarem moder-  
 norum studia non parum a prisecorum degenerasse labore morumque disciplina, con-  
 tigit me vice quadam insuetae lucis aspectu terreri, nec sese potuit interim oculus  
 videndi avidus in aethereum illud lumen attollere, donec facta voce cujusdam in haec  
 minuta verba coepissem animadvertere. « Noli, frater, inquit, trepidare, nec te nova  
 » perturbet species; ego tui misertus advenio tempestivum errori tuo ferre succursum. »  
 Vix verba finierat : astare conspicio virum cujus aspectus pariter et habitus religiosus,  
 multa majestate venerandum, qui paululum interjecto silentio conversus, ut colloquerer  
 inducere me dulciter nitebatur, sic primum exorsus : « Care mi frater, ex millibus, cum,  
 » eo tu propinquior morti quo sis, a proprii morbi cognitione remotior, permissus ad  
 » te de longinquo descendere dignarer, per me nunc tibi consolandus nedum sed  
 » et consulendus est animus. Siquidem tu mei cultor nominis et ego tui ferventissimus  
 » amator. Quid est quod agnoscere dissimulas quia mortalis es? Tamen ex industria  
 » tuis adhuc cupis favere miseriis. » Tum ego praeceptorem indulgentissimum agnos-  
 cens magistrum Ægidium de Roya : « Tu-ne dudum ille meus qui quondam magister  
 » dux atque mearum optimus curator passionum ades qui loqueris? » — *Magister* : « At  
 » certe tuus aliquando consolator. » — *Adrianus* : « Quid me vis intelligere, fare.  
 » Tempta si qua sim adhuc ope levandus. » — *Magister* : « Mortalem prudenter te  
 » volo memineras. » — *Adrianus* : « Memini non absque gravis cogitationis horrore. »  
 — *Magister* : « Nil efficacius pro contempnendis vitae totius illecebris assidua mortis

<sup>1</sup> J'ai cru devoir placer ici le récit suivant qui se rapproche beaucoup du *Confessionale* (Voyez plus haut, p. 377); il est tiré du manuscrit des Archives générales du royaume, où il est placé, dans la chronique que nous venons de reproduire, au milieu des événements historiques de l'année 1479.

» meditatione, dummodo non superficiei tenus insideat. » — *Adrianus* : « Multa nichil »  
 » hominis sunt, ad quae me provehet in vita labor aut diligentia. » — *Magister* :  
 » « Posse frustrari tamen aliquem non inficior, nisi plene sua cupierit exui miseria. »  
 — *Adrianus* : « Dubitari non potest quin multi quidem inviti sint miseri. » — *Magis-*  
*ter* : « Si tibi non ad vulgi plausum laborasses, tam insulsa non proferres. » — *Adria-*  
*nus* : « Conscium, oro, fac me quorsum tua pergat oratio. » — *Magister* : « O te »  
 » nimium infelicem si per haec deliramenta confidas te perventurum ad veritatis inqui- »  
 » sitionem ! Oportet, te praestigiis signatum iter aliud arripias juxta quod dicitur :

Macte nova virtute puer, sic itur ad astra. »

*Adrianus* : « Si quem praesens adhuc felicitas miseriarum suarum efficit immemo- »  
 » rem, jugum omne fac tandem excutere vitiorum. » — *Magister* : « Tecum institui »  
 » perorare primum esse gradum ad evadendum hujus vitae mortalis angustias assiduum »  
 » mortis meditationem, secundum esse studium resurgendi per verae confessionis attri- »  
 » tionem. Quo pacto neminem nisi sua sponte miserum affirmarem, cum sapientes »  
 » pactum velint esse voluntariam actionem. Tibi prius igitur vilipendenda sunt omnia »  
 » quae ad verae felicitatis ostendere valeas concupiscentiam, quam profecto minus amat »  
 » qui secum aliquid amat. » — *Adrianus* : « Gloriam cupiditatem intelligo quae mi- »  
 » serum reddit unumquemque. » — *Magister* : « Interroga conscientiam tuam, et ad te »  
 » post paulum, ut ait Flaccus, ventura pericula cernes. » — *Adrianus* : « Non otiosi »  
 » pendenti a casu sed multa circumspicientis animi verba sunt haec :

Da dextram misero; tecum me tolle per undas,  
 Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam. »

*Magister* : « Nolo desperare te cum id ultimum malorum sit, sed attendere te volo »  
 » qualiter ab initio creaturarum nobilissimi spiritus corrumpere cum quibus et illud praec- »  
 » cinendum restat tibi forsitan :

Odimus laqueos et vincula nota timemus;

» nec minus cavendum ne sub aliena ferula te non tui juris Deus miserabilem con- »  
 » terere patiatur senectutem. Aderam cum te prorsus adolescentulum necdum teti- »  
 » gerat ambitio, cum tua tibi sufficerent quod tu ipse tibi sufficiebas. Postquam vero »  
 » me subduxit e medio conversandi tecum altissimus operum artifex, quod ridiculum »  
 » est, cogitare coepisti quae nunquam es accepturus et oblivisci quo pervenire necesse »  
 » est. » — *Adrianus* : « Non ignoro semper hominem animal egentissimum esse. »  
 — *Magister* : « Timere te volo semper quod tuae mortis avertat agnitionem. Quocirca,

» si te composueris ad naturam, delectare sobrietate, compesce motus animi, contine  
 » sensus a perceptibilibus ne pareant, nam a voluptatibus maxime sunt arcendi, et a  
 » visibilibus radenda sunt fantasmata, dicente Platone nil magis obstare Deitatis agnitioni  
 » quam libidinem inflammata appetitu carnis, et, ut summam dicam, cum spiri-  
 » tibus intellectualibus cave, quod miserrimum est, ne traharis propriae excellentiae  
 » amore, qui te summo bonis fallere posset atque spoliare. » — *Adrianus* : « Recte  
 » vulnera visceribus infixis contrectas, quae me, neque de vita, neque de morte sinunt  
 » recte judicare. Tamen ex proposito et opinione passiones quasdam supra memoratas  
 » naturae nobilissimos arbitraber affectus. » — *Magister* : « Veritas improbatione non  
 » eget, licet in rebus diversis diversa sit opinio. Semper ipsa permanet una, cujus  
 » desiderium animae proposita mortalitate lentesceret et inefficax videretur futurae  
 » vitae repromissio. Utinam caeca mortalitas intelligeret quid in auribus sit sonitura,  
 » quamvis etiam juxta verbum Ovidii :

Tarda sit illa dies et nostro serior aevo.

» Sed adversum te Tulliano possem uti verbo : Modum tu quaeris vitio quod a crea-  
 » tore te tuum creaturae desiderium inclinaverit, unde nichil aequè plus oblivionem  
 » Dei contemptumve parit quam amor rerum temporalium, nec miraris tantum posse  
 » passionem hanc in pectoribus humanis qua nulla vehementior. Ob hoc Therentius,  
 » ille comicus : Quae res in se neque consilium, neque modum habet ullum, eam con-  
 » silio regere non potes. Consentit in hoc Naso quod successore novo vincitur omnis  
 » amans, ideoque pro remedio subdit :

Quisquis amas, loca sola nocent, loca sola caveto.  
 Quo fugis in populo tutior esse potes.

» Verum ut aliquid novi te doceam, tria sunt quae animum exterrent ab amore :  
 » satietas, pudor et cogitatio. Primum necat ab ardentissimo desiderio; secundum co-  
 » libet ab illicito; tertium provocat remedia transacti temporis exequere. Parvulos suos  
 » ad petram allidere, id est praeteritarum curarum omnem cogitatum refrenare. » —  
*Adrianus* : « Gravi morbo me levatum gaudeo, sed nec tutus omnino sive quietus in  
 » appetitu proprio. » — *Magister* : « Si majorem inesse morbum noveris, ediscere  
 » forte : tibi nomen gloriae notum reor. — *Adrianus* : Nunquam tam ardentem quam  
 » hoc uno in loco. » — *Magister* : « Vitae pridem ac morti simul necessaria didicisti.  
 » Quo nunc ista judiciorum perversitas ut floridiora propter inanem gloriam ex hiis  
 » quae legeras in sodalium delicias reservares, et velut ex ingenti acervo consignares  
 » in usum fratribus elegantiora : quod est totum inanis gloriae leucinium, et animum  
 » a curis abstrahit melioribus. » — *Adrianus* : « Mortali datur ut mortalia concupiscat. »  
 — *Magister* : « O te miserum, si non immortalia! Nichil est spei tecum si non aeterna



» respicias. Nam, si forte qui solus vitae mortisque metram statuit, integrum tibi  
 » dumtaxat annum vivendi praefigeret, quam diligens temporis dispensator fieres! »  
 — *Adrianus* : « Summo studio diligentissime providerem ne quid in vacuum seriis  
 » impenderetur. » — *Magister* : « Valide credo, sed nescis quod sub ambiguo mortis  
 » es imperio, sub quo quidem omnes degent mortales quibus nec anni, nec lucis unius  
 » diei, nec certum horae spatium. Tibi vero, si perditur hic dies, quis sponsor est  
 » crastini? Stultissime felicissimos tibi fingis eventus inter mortales hoc ordine, quasi  
 » de transitoriis ad aeterna fit progressus aut inde regressus. Innumerabiles animas  
 » Orcho spes ipsa demersit, et tam subito lapsi sunt in ipso apparatu splendido vel  
 » aetatis flore ut, in situ latissimo hujus habitaculi qui dissonis linguis diversos mores  
 » hominum ritusque religionum edocet dissimiles, propagandae gloriae sive nominis  
 » praeriperit facultatem. Succrescens nempe novorum laus hominum aliorum morte,  
 » nonnichil aliquando derogat veteribus, et assurgens invidia tytulis aliquando gloriose  
 » molientes persequitur, accedit et odium veritatis, invisita plebibus ingeniosorum vita,  
 » judiciorum inconstantia vulgarium, ruina sepulchrorum,

Ad quae

Discutienda valent sterilis mala robora ficus,

» Dicit Juvenalis, qui non ineleganter etiam infert :

Occidet et bustum; titulusque in marmore sectus

Occidet; hinc mortem patieris, nate, secundam;

» Haec potissime dico puerilis ut error tuus convineatur, cui cum versiculis tuis occa-  
 » sura tertia mors restat aeterna. » — *Adrianus* : « Misereatur Altissimus, meque  
 » liberet hoc extremo malo! » — *Magister* : « Timeas: ego de gloria quam minus verbis  
 » quam deceit explicui, nisi forte fabulosa tibi dicta putes. » — *Adrianus* : « Minime  
 » fabulosa narrationis series, verborum dignitas aut loquentis auctoritas, quae jubet non  
 » esse gloriandum michi. » — *Magister* : « Ut inglorius degas non consulo, sed ne  
 » gloriae studium virtuti praeferas admono; nam impossibile est sole fervente corpus  
 » umbram non reddere, nec radiante virtute gloriam Deo non parere. Quisquis ergo  
 » veram gloriam tollit, virtutem ipsam sustulerit necesse est, qua sublata relinquitur  
 » homini vita brutis simillima, pace tua dixerim. » — « *Adrianus* : Quid faciam igitur? »  
 » — *Magister* : « Sarcinas abice, teque tibi restitue. Sensim tecum de morte cogita,  
 » nec dies ulla tibi transeat, quicquid occurrat, aut nox aliqua quae memoriam ejus  
 » non ingerat, memor Flacci

Dampna tamen celeres reparant coelestia lunae  
 Nos ubi cecidimus.

» Sidera cuncta nota tacito labentia coelo quae dum circumspicis occidi teque cum illis  
 » impelli seito. Revoça quod, ante oculos tota quantumlibet protendatur hominis vita,  
 » vix unius diei retinet instar. Sedes eorum qui tecum vixerunt, diligenter contem-  
 » plare. Quod hic scribitur teneas intelligi debere quum tota philosophorum vita mortis  
 » commendatio vivendi quam monstrat arripere non aliam docchit viam, nisi videlicet  
 » animi sequaris impetum qui cum sit turpis, nichillominus ad honesta puleberrimus  
 » est. » — *Adrianus* : « Utinam haec ab initio deposuisses ! » — *Magister* : « Dixi  
 » tempeste satis. Quaeso nunc ex me si quid gratum accepisti tam cito, ne desidia  
 » marcescere patiaris si quid asperius moleste feras; sed audi spiritum hortantem et  
 » suggerentem quid sequendum, quid vel vitandum proposuerit. » — *Adrianus* :  
 » « Maximas ago gratias tum pro detersa mentis caligine, tum pro tam circumfusi er-  
 » roris profunda discussione; sed, quum sedes vestra coelum est, o mi praeceptor  
 » colendissime, michique terrena needum finitur habitatio, in qua quorsum diversurus  
 » nesciens adhuc anxius pendeo, ne me tot tractibus distantem a te deseras obsecro. »  
 » — *Magister* : « Teipsum ne deseras : alioquin ab omnibus jure desereris. » —  
 » *Adrianus* : « Morabor ipse quantum potero mecum. » — *Magister* : « Utilius nichil  
 » est, nichilque fructuosius, siquidem id necessarius et inevitabilis probat exitus. »  
 » — *Adrianus* : « Tot ex anfractibus integer evadem, te sequar vocantem dum  
 » aliter esse non potest, et orabo per singulos dies michi sit veniae largus : « Bene-  
 » dictus qui venit in nomine Domini. » — Hac igitur apparitione cessante proposui peni-  
 » tus ad annalia conscribenda me retrahere quodam affectus taedio longioris incolatus, quod  
 » cum indulgentissimo spirituali patri meo quereretur in anno Dominicae Incarnationis  
 » M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXX<sup>o</sup>, quo propter scelera christianorum ad multos crudele Turchorum  
 » pervolavit imperium, de quibus plus fletu quam relatu dignum aliquid restabat asse-  
 » rendum, arbitratus est parum hunc prodesse laborem, sed nec obesse si sobrie tem-  
 » perateque praecedentium facta notentur. Cui memoriter : « O quanta cura, quibusve  
 » sudoribus, needum sancti viri quorum quanto fuere Christo proximiores, in carne  
 » tanto ceteris fidei fervore perfectiores, sed et ethnici pariformiter sua gesta litteris  
 » commendare studuerunt, ut aliquando vel in notitiam ad nostra tempora deveni-  
 » rent ! Et qui litteras non noverant, ut aevo perbenni gesta perdurarent aut in libro  
 » stilo ferreo et plumbi lamina ut Celtae sculpebant in silice, quem modum Ninus  
 » Assyriorum ille primus rex in ydolo patris, ut jugis apud eum et alios memoria rema-  
 » neret, induxisse creditur. Sic Moyses, cui Deus loquebatur et Hebraeorum alii  
 » mundi creationem, parentum praeviationem, omnis carnis per diluvium dele-  
 » tionem, Abrahae vocationem, Yzaac senectutem, Jacob benedictionem, duodecim  
 » prophetarum successionem ac totius Veteris Testamenti, quas Philostratus in lucem  
 » perduxit, hystoria transmisere. Sic Chaldaeorum, Persarum, Medorum, Indorum,  
 » Graecorum, Trojanorum nobis, tandem et Romanorum res innotuere, denique sicut

» Salustius vult, Athenensium amplae satis, magnificaeque res, sed aliquanto minores  
 » quam fama, feruntur. Primum verum ubi magna provenere, scriptorum ingenia per  
 » universum orbem celebrantur, tanta quippe sic eorum qui eas fecere, virtus habebatur.  
 » Quanto praeclaris ingenia verbis extollere potuere hoc equidem pacto Graecorum  
 » victorias et Romanorum triumphos, regis videlicet Alexandri, Caesarisque qui Pompey  
 » peyem profligavit, et cetera quae perhennibus tradita litteris a Tyto Livio, Pompeyo  
 » Trogo, Justinoque cognoscere possumus. Insuper quae conscripsere sancti et illustres  
 » per omnia viri, Jeronimus, Augustinus, Eusebius, Orosius, Paulus Constantinopolitanus,  
 » Gregorius Turonensis, Beda venerabilis Anglorum doctor, Willelmus, Gaufridus,  
 » Lanfrancus, Petrus Comestor, Martinus, Sigebertus Gemblaci monachus, Adrianus  
 » Valdensis monachus, Helinandus de Belvaco, monachus Frigidi Montis et alii copiosi  
 » quos fugit hominum memoria, quorum scriptis Vincentius ordinis fratrum praedicatorum  
 » immensa constat collegisse volumina, tandem laboriosissimus hystoriarum indagator  
 » noster Brando Duncensis, compendiosum satis sed prolixum ex omnibus volumen quod  
 » omnino non inutile *Cronodromon* vocans, conflavit quatuor partibus et tribus  
 » distinctum ad instar bibliothecae dereliquit codicibus, quos velut in alveolum  
 » strinxit magister eximias ad litteras consignatus, sacrae scilicet theologiae Dunis  
 » monastice professus, Ægidius de Roya supra memoratus ita de se testimonium perbibens :  
 » « Gratae juventutis animos laetos ac salutiferos exegeram dies, resolutis otiorum  
 » ysagogis quin mei corporis vires ad obsequium intellectus presto rapiebantur et nihil  
 » obsesset quin divinorum lectioni jugiter intendere potuissem, dum ex sententiis  
 » magistri Petri Longobardi saepius in medium obscurae quaestiones advenissent. In re  
 » tam sublima fremebundus operas applicare, casque difficultates quas theologicas apices  
 » nostri appellant, prout Dominus donaverit, complanare studui; cumque optato sub fine  
 » gratum illud opus incoeptum apud me quievisset, Parisius Regalem in Montem divina  
 » me elementia statuere dignata est, ubi lustris parum amplius placide satis exacto, caeca  
 » vertente fortuna, praesidendo evaseram, mox divinum quemdam in portum Flandriae  
 » quem Dunis appellant, prospere feliciterque deduxit <sup>1</sup>. » Hujuscemodi praemissis in

<sup>1</sup> Ce passage offre quelques différences dans l'édition de Sweertius :

« Gratae juventutis annos, laetosque ac salutiferos exegeram dies : resolutis quinque vocem isagogis, in opus evaseram, ad sacras litteras consignatus, meique corporis vires presto ad obsequium intellectus rapiebantur, et nihil oberat, quin divinorum contemplationi ac lectioni jugiter intenderem. Cumque ex sententiis Magistri Petri Longobardi obscurae quaestiones in medium advenissent, in re tam sublimi tremebundus operas applicare, casque difficultates, quas theologiae apices nostri appellant, prout Dominus donaverit, complanare studui; cumque optato sub fine gratum illud opus quievisset, Regalem in Montem divina me elementia statuere dignata est, ubi lustris et amplius placide satis exacto, caeca vertente fortuna, divinum quemdam in portum Flandriae, quem Dunis vocant, prospere feliciterque deduxit. Ubi dum pro innata sibi in me humanitatis gratia, venerandissimo

prohemio verbis idem doctor, ut bos lassus pedem fixit in laborando; qui cum excelsi nominis reverentia decem et octo mecum annis sub meritissimo dompno Johanne tertio Dunis conversatus est, morum gravitate linguæque facctia gracilis, largus et parum erastini sollicitus, non tamen interim otio deditus, sed in volvendis alioquin coeli speris taliter effugavit ignaviam ut infallibiles aurarum serenitates et alia suis adaptanda negotiis plurimum secure prænosticaret <sup>1</sup>. Contigit autem eum ventris profluvio Brugis mori, post cujus obitum de cursu temporis tabulam ex abbreviatis ejusdem magistri michi describere præsumpsi, posterisque compendiosissimam in lectionem relinquere curavi, non eo quidem animo ut extra cellulæ septa publicanda sicubi deputarentur vita comite; sed dumtaxat ut sub brevibus haberentur apud me non tam ab aliis quæ scripta leguntur quam quæ novissimis hiis meis temporibus agitantur. Vestris igitur sagacitatibus, fratres, hunc meum exiguum devoveo laborem, committens eum examini vestro districtè corrigendum, quoniam exilitate ipsius pensata frequenter apud me tractavi hæsitans indignum vobis munus an ausu quodam tandem esset dedicandum. Sequutus sum opus fratrum, confidens quod omnes originales hystorias attentissime visitaverint, quibus relictis institui stupendos temporum eventus ab eo passu quo præceptor meus atque magister abstinuit, brevissimis enarrare sententiis.

meritissimoque Patri, D. Joanni, ejusdem loci abbati, frequenter adsisterem, et de compendiosis historiis, quas idem conspexisse, sed aut igne, aut alias consumptas testabatur evanuisse, sermo incidisset, ne accensus in me studiorum igniculus aliquando tepesceret, requisivit. Cui memoriter: O quanta cura, quibusve sudoribus nedum sancti viri, sed et ethnici sua gesta litteris commendare studuerunt, ut hæc nostra in tempora venirent, quorum doctrina et exemplo successores, sapienter edocti, discerent quo pacto, quibusve legibus aut regulis mores et actus componerent, patrum pietatem, justitiam, severitatem, prudentiam, gravitatem, religionem, ceterasque tam corporis quam animi virtutes sectantes et imitantes. »

<sup>1</sup> Il faut comparer à ce qu'Adrien de But dit ici de Gilles de Roye, la préface de la chronique de l'abbaye des Dunes, éd. de la Société d'Émulation de Bruges, 1859.

# TABLE DES MATIÈRES.

## AVIS.

La rédaction de cette table des matières a été confiée à M. Jules Petit, de la Bibliothèque royale. Elle offrait d'autant plus de difficultés que les chroniques des religieux des Dunes, publiées dans ce volume, forment un vaste répertoire où les faits et les dates s'accroissent, quelquefois en désordre. On s'est contenté d'y relever, souvent sans détails, tous les noms propres d'hommes et de lieux, les mots insolites et les faits les plus intéressants pour l'histoire des institutions et des mœurs, en omettant tout ce qui faisait double emploi. C'est ainsi qu'on trouvera sous les rubriques ANGLETERRE, FRANCE, etc., les listes des souverains cités dans l'ouvrage; sous la rubrique PAPES, tous les souverains pontifes et les anti-papes, etc. Les millésimes placés entre parenthèses à la suite des noms indiquent la fin du règne ou de la vie des personnages. On cherchera sous la lettre L (LE ou LA) tous les noms dont cet article est inséparable dans l'usage, LA MARCHE, LA ROCHE, etc.; les noms précédés du mot SAINT forment une série particulière rejetée à la suite de la lettre S. De plus, la table sert d'*erratum* au texte, pour les fautes qui se sont glissées dans la transcription ou qui existent dans l'original, et l'on y a rectifié tous les noms propres d'une lecture incorrecte ou douteuse.

### A.

AD ASPICUELZA (Martin), cité, 340, n.

Abbés : leur relâchement, 277.

Abbeville, 244, 287, 446, 498, 507, 550, 577, 588.

Abdua, voy. Adda.

Achaïe, 394, 521.

Achemont, 468.

ACKER (Jean), 499.

ACKERE (Philippe de), 42.

ACKERMAN (Fr.), soulève les Gantois, 2, 8; s'empare de Damme, 8, 41; se retire à Gand, 7, 41.

Acre, voy. Dax.

Actium, 214.

Adamites, en Bohême, 434.

Adda (l'), 233, 287.

ADHÉMAR (le cardinal), 474.

ADORNE (Antoine), 21, 133.

ADRIEN (saint), 498.

*Aeduensis diœcesis*, voy. Autun.

AEGIDIU (Jean), doyen de Courtrai, 612.

*Aexis in Gasconia*, 80. *Acqs sur l'Adour*, aujourd'hui Dax, voy. ce mot.

Afflighem (abbé d'), 604, 608.

Afrique, 309, 541, 570, 672.

Agenbis (sénéchal de l'), 329.

AILLY (Pierre d'), évêque de Cambrai, 434; sa lettre à Benoît XIII, 438, 462.

AIMERIES (Philippe, sire d'), 455, 519, 586, 703.

Aire, 168, 503, 526, 529, 536, 537, 538, 544, 546, 550, 551, 552, 557, 560, 561, 562, 569, 577, 589, 590, 627, 633, 660, 662, 663, 666, 669, 675, 676, 680.

- Aix-la-Chapelle*, 109, 556, 587, 650, 651, 659, 693, 699.  
*Alains*, 296.  
*Albanie*, 304, 394.  
 ALBANY (duc d'), 494.  
*Albe*, voy. *Belgrade*.  
 ALBÉRIC, prieur des Dunes, 595.  
 ALBERINI (Jean), 461.  
 — (Jacques), 461.  
*Albi*, 297, 436, 470, 586, — card. d' —; voy. GEOFFROY (Jean).  
 ALBO BUSCO (de), voy. AUBUSSON (d').  
 ALBO DUMO (de), voy. AUBUSSON (d').  
 ALBRET (maison d'),  
 — (Charles d'), comte de Dreux (1415), 46, 143, 155, 156, 160, 168, 173, 205, 206, 269, 299, 314, 318, 323, 324, 325, 329, 330, 456, 497.  
 — (Louis d'), cardinal, 422.  
 — Ses enfants : les sires de Tartas, d'Orval et d'Éméuion, voy. ces mots.  
*Atençon*, 498.  
 ALENÇON (comtes et ducs d').  
 — (Jean I<sup>er</sup>) (1415), 143, 154, 155, 158, tué à Azincourt, 168.  
 — (Jean II) (1476), 492, 497, 206, 207, 237, 262, 263, 273, 298, 304, 311, 312, 355, 362, 482, 497.  
 — (René) (1492), 602, 648, 669.  
 — (bâtard d'), 492.  
 ALEXANDRE LE GRAND, 213.  
*Alexandrie*, 21, 113, 309.  
 ALEYDE, concubine d'Albert de Bavière, 23.  
*Alicante* (le grand-maitre d'), 396.  
*Alin ou Quesne*, 666.  
 ALLECLAYS, 508, 512.  
*Allemagne*, 24; guerres civiles, 195, 196, 246, 275, 420, 424, 568, 702.  
 — (Empereurs d').  
 — Othon III (1002), 481.  
 — Conrad II (1039), 308, 461.  
 — Frédéric II (1250), 305, 461.  
 — Louis V (1347), 566, 567.  
 — Charles IV (1378), 134.  
 — Wenceslas (1419), 49, déposé, 85, 93, 461, 479.  
 — Robert de Bavière (1440), comte Palatin, 49, 85, 87, 127, 133, 161; son fils Louis, 87.  
